MEDITATIONES
SUPER
VERITATES CHRISTIANAS ET ECCLESIASTICAS

Desumptæ ex Epistolis & Evangeliis Missarum totius anni, atque in singulos illius Hebdomadarum dies, & principalia festa distributæ

UNIVERSIS de CLERO

Ut & se ipsos ad Celebrandum seu dignè Communicandum, nec non ad quævis Ecclesiastica munia Sanctè obeunda disponere; & Populum suæ Curæ commissum debitè ac fructuosè instruere valeant.

OPUS UTILISSIMUM

AUTHORE M. *** PRESBYTERO CURATO DIOECESIS LUGDUNENSIS

Gallicè editum, latinitate verò à quodam Canonico Regulari S. Augustini donatum, in quatuor partes divisum, & pro Bono Cleri Germaniæ Typis impressum

NUNC DEMUM.

AUTHORITATE & MANDATO

ILLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI EPISCOPI CULMENSIS & POMESANIÆ

REIMPRESSUM

PARS ÆSTIVALIS

A Dominica SS. Trinitatis usquè ad Dominicam duodecimam post Pentecosten.

CULMÆ IN PRUSSIA
M. DCC. LX. III.

IGNIS IN ALTARI SEMPER ARDEBIT, QUEM NUTRIET SACERDOS. SUBJICIENS LIGNA MANE PER SINGULOS DIES.
Lev. 6. 12.

PRO

PRO DOMINICA SS.

TRINITATIS.

O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ DEI! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus. Rom. 11. 33.

De mysterio SS. Trinitatis.

1. Adorare debemus sanctissimam Trinitatem.
2. Et totum, quod sumus, in illam referre.

PUNCTUM I. VErba hæc, quæ in hodierna epistola legimus, illa sunt, quibus usus est S. Paulus, in materia prædestinationis; proponit ea nobis ecclesia hodie, ac instruit nos, quomodo primarium æquè, ac summum, ex omnibus mysteriis, id est, sanctissimam Trinitatem, venerari debeamus, id est, unum Deum, in tribus personis, Patre, Filio, & Spiritu sancto, in seipso abditum, seipso gaudentem, sibi ipsi ac soli sufficientem; specialiter hic cum propheta dicere possumus, quòd absconditus sit Deus; *verè tu es Deus absconditus.* Is. 45 15. Absconditus nimirum est non solùm sensibus nostris, sed etiam intel-

lectui noſtro, qui myſterium hoc, admirari quidem debet, ſed minimè attingere poteſt, cui etiam permiſſum nõ eſt, illud examinare, aut ſcrutari; tota igitur meditatio noſtra occupata hodie ſit, in laude Dei, per profundum quoddam ſilentiũ. *Tibi ſilentium;* quia quidquid dicere de myſterio iſto vellemus vel poſſemus, haud dignum eſſet Deo; intellectus hominis alas non habet, quibus ſe eouſque extollere valeat, & quo plus conatur eò pertingere, eo magis elongatur ab eo hoc altiſimum myſterium; *mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me; confortata eſt, & non potero ad eam,* P. 138. In admiratione igitur defixos nos teneat hæc tanta elevatio, imò potiùs oppreſſos nos fateamur, pondere tantæ gloriæ, & infinitæ hujus majeſtatis; abyſſus eſt, in qua quis feliciter ſeipſum perdit; nonniſi proſternationem, & continuam meretur adorationem. Ego adoro te magne Deus! in unitate eſſentiæ tuæ; in trinitate perſonarum tuarum, in ſocietate & cõmunione tua ineffabili; in tuis emanationibus ad intra, & productionibꝰ tuis ad extra; meipſum im̃ergo ac perdo in conſideratione perfectionum tuarum infinitarum; conjungo, & unio me cum omnibus ſpiritibus cœleſtibus & angelicis, unàque cum illis exclamo: *Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus exercituum; plena eſt*

omnis

omnis terra gloriâ ejus, Is. 6. 3, Dignum me fac, Deus meus, per infinitam misericordiã tuam, qui te unà cum illis, per totam æternitatem, laudare valeat. Post exhibitum sanctissimo & altissimo huic mysterio debitum servitutis nostræ homagium;

PUNCTUM II. Consideremus, quod totum, quod sumus; esse nostrum, vitam nostram, omnes nostras actiones, sanctissimæ Trinitati, in acceptis referre debeamꝰ. Ut hanc obligationem benè intelligas, & capias, alio haud opus est, quàm meminisse, nos in nomine sanctissimæ Trinitatis fuisse baptizatos; neque natos nos esse spiritualiter, in ecclesia, ab una solum̃odo persona; sed quòd regenerationem nostram, omnibus simul personis debeamus; soleñem ibi professionem fecimus, illas pro Deo nostro agnoscendi, à quo unicè dependeamꝰ; consequenter omnibus tribus personis amorem & gratitudinem debemus, siquidẽ omnes tres, primum nostrum principium, & noster finis ultimus, sunt; hæc ipsa ratio, quare ecclesia voluerit, festum istud sanctissimæ Trinitatis, ultimum ex omnibus mysteriis, & omnium solennitatum, quas per annum celebrat, consum̃ationem esse, ut ità nos obliget, omnia nostra ex integro sanctissimæ Trinitati deferendi; & in hac vita nos disponat ad exhibendum Deo

post illam æternum honorem, laudem, & gloriam, in altera; studeamus benè intelligere hanc veritatem, & de novo, toti sanctissimæ Trinitati nos totos consecremus; offeramus illi tres animæ nostræ potentias, memoriam nostram Patri; intellectum nostrum Filio; & nostram voluntatem Spiritui sancto; rogemus Patrem, ut è memoria nostra tollat omnem reminiscentiam vanitatum hujus sæculi, & ibi vivam imaginem infinitæ majestatis suæ insculpat, ut continuò in illius conspectu & præsentia ambulemus; rogemus Filium, ut intellectũ nostrum illuminet per lumen & illustrationem sapientiæ suæ, & nos ducat in via salutis per faculam fidei, & cognitionem veritatum æternarum; rogemus Spiritum S. ut voluntatem nostram sanctificet per amorem adeò ferventem, & tam constantem, ut nihil prorsus ab amore ipsius nos separare valeat; id, quod nobis optat apostolus per hæc verba: *gratia Domini nostri JEsu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritûs sancti, sit cum omnibus vobis, Amen.* 2. Cor. 13. 13. Pro præparatione ad Missam conjunge te intimè, ac toto affectu cum corde JEsu, ut cum ipso, & in ipso, & per ipsum totam sanctissimam Trinitatem adores; venit ille in mundum, ut Patri suo formaret veros adoratores, qui eum adorent

rent in ſpiritu & veritate; roga illum, ut te talem efficiat, & tu illi in hunc finem teipſum offer & conſecra. O JEſu, per quem nos omnes ad ſanctiſſimam & adorandam Trinitatem ſpectamus, dignare tuæ perpetuæ adorationi, quam in S. altari quotidie eidem exhibes, unire & conjungere etiam nos; fiátque per gratiā tuā, ut tā ſācte vivamus, quatenus tota vita noſtra illius gloriæ conſecrata ſit; *ſerviamus illi in ſanctitate, & juſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris*, Luc. 1. 75.

FERIA SECUNDA.

Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra; euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. Matth. 28.

De potestate ecclesiastica.

1. Dei cooperatores & adjutores ſunt pro ſalute animarum.
2. Ad quid propterea obligati ſint.

PUNCTUM I. Mirare hìc bonitatē ſalvatoris, qui aſcēdens in cœlum reliquit in terra apoſtolos, tanquam vicarios charitatis ſuæ, qui tam per ſe, quàm per clericos, illorum ſucceſſores, grande illud opus redemptionis humanæ perficerent, dicens eis: *data eſt mihi omnis poteſtas; euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* adducite eos in eccleſiam

meam; non deficiet miniſterium veſtrum, *quia ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*, Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. Bone Deus! qualis & quanta gloria, & honor pro miniſtris eccleſiæ! Deum nos ſibi ſocios voluiſſe, pro opere ſuo maximo ex omnibus, qualis eſt ædificatio, ſeu ſtructura eccleſiæ ſuæ; dicere nimirum poſſumus cū S. Paulo, populo curæ noſtræ ſpirituali concredito: *Dei enim ſumus adjutores; Dei agricultura eſtis; Dei ædificatio eſtis*, 1. Cor. 3. 9. Inſtituamus meditationem noſtrā ſuper hoc. O quàm mirabilis eſt Deus in operibus ſuis! cùm voluerit extruere templū, tanta pulchritudine coruſcans, Deòque dignum, voluit ſibi homines aſſumere in ſocios, & cooperatores tanti operis; homines aſſumunt ſibi cooperatores, ad opera ſua, quæ meditantur, ſed hoc fit, ob infirmitatem illorum, quia talibus indigent; Deus autem è contrario facit hoc ex poteſtate, & bonitate ſua; fit hoc, ut creaturam honore afficiat; dum eam participem facit intentionis ſuæ, & operis, quod præ manibus habet. An non hoc ſit honorare hominem ſupra, quàm nobis imaginari poſſimus, aſſumere eum ad excellentiſſimum quoddam opus ſuum perficiendum, & ad conſtruendum templum, in quo æternaliter habitet? templum hoc, eccleſia eſt, &

ani-

anima cujúsque fidelis, cujus ipse Dominus, principalis architectus est, solus magister, & Dominus, solus Deus, qui in illo adorãdus, cuìque in illo serviendum est, Christus JEsus fundamentum est hujus structurae; apostoli architecti, quos sibi associavit ad constituendum hoc aedificium; episcopi sũt primarii & principales operarii, qui huic structurae incrementum dare, & opus hoc perficere debent; sacerdotes, & reliqui ex clero ipsorum adjutores; populus autem, lapides vivi sunt, hujus aedificii; desumpsit Deus lapides istos per vim & efficaciã verbi sui ex tenebrosis cavernis infidelitatis; colligit illos per virtutem fidei; poliuntur per efficaciam sacramentorum, & praxin bonorum operum; uniuntur per ligamen charitatis, quae est ultima perfectio hujus structurae; quemadmodum autem solus Deus est, qui eos eligit, & operarios istos, sufficientibus mediis, ad eos expoliendos, instruit, ita etiam solus ipse est, qui quemlibet in tali, ac illo loco ponit, qui eis congruat; extensio hujus templi divini, alios limites non habet, quàm fines universi orbis, neque etiam, duratio illius, minor est, quàm ipsa aeternitas, qua durante *tota ipsa civitas redempta*, prout S. Augustinus loquitur de civ. Dei. l. 10. *offeretur Deo, per sacerdotẽ magnum.* O quanta felicitas nostra!

vocatos nos esse ad laborandum in, & pro hac augusta structura, ut & nos aliquid cõferre valeamus ad tam gloriosum opus! vide nunc etiam

PUNCTUM II. Quid à nobis tam nobile officium & ministerium exigat? 1mo. gratitudinem nostram Deo propterea exhibere debemus, *Audite filii Levi*, dicebat olim Moyses Num. 16. ad Levitas veteris testamenti, *nunquid parum est, quòd separaverit vos Deus ab omi populo, & junxerit sibi?* quia ergo ministerium nobis concessum est à Deo tale, quod infinities illud Levitarum superat, quàm solliciti esse debemus, ut gratos nos Deo exhibeamus; igitur dicamus cum propheta regio: *repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam*, Ps. 70. 9. 2do. humiliare nos tantò magìs debemus coram Deo; quò magìs nos Deus coram oculis hominũ extollit: tantò magìs nos, ante oculos nostros &illius deprimere, & demittere debemus, ad exemplum Davidis, qui, cùm se elevatum vidisset, ex simplici pastore, qualis antea fuerat, ad regale solium, ita loquebatur, 2. Reg. 6. 22. *propter Dominum, qui elegit me, ut essem dux super populum suum, vilior fiam, plũsquam fui, & ero humilis in oculis meis.* 3tio. debemus nobis ipsis, miseriæ nostræ, corruptioni, ac infirmitati

no-

nostræ diffidere, considerantes, quòd quantumcunque sublimati, & supra populum elevati videamur, nihilominus in manibus Dei simus, qui vilibus & improportionatis instrumentis utitur, ad perficiendum per nos id, quod ipse intendit; & quòd nos ex nobis ipsis, aliud præstare non possimus, quàm ut opus illius corrumpamus; *nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea?* Is. 10. 15. 4to. fideliter operari & laborare oportet in officio, ac ministerio, in quo nos Deus posuit, ut dicere cum S. Paulo valeamus: *secundùm gratiam, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui,* 1. Cor. 3. 10. Ut autem hoc fideliter præstare, ac dicere valeamus, oportet cum apostolo ædificare supra JEsum Christum, hoc est, supra fidem, & modum vivendi evangelicum, ac imitationem virtutum suarum; *fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est, Christus JEsus,* v. 11. En! quid à te requirat sublimitas & sãctitas statûs tui! vide, ut taliter comparatus sis; & pro præparatione ad Missam debito modo æstimare disce, dignitatem sacerdotalem; acceperunt, ait S. Chrysostomus, lib. 3. de sacerd. c. 3. & 4. potestatem talem, quam nec ipsi angeli habent; nam, cui angelorum submisit, & subjecit Deus totum istum novum mundum,

nempe

nempe ecclesiam suam? cui angelorum dixit, quibus remiseritis peccata sua, remissa erunt? quod in terris condonastis, & ego in cœlis condonabo? cui angelorum dedit potestatem, consecrandi corpus & sanguinem suum? admirare hanc stupendam potestatem; verùm, quò major est, eò plùs timere debes, ne illâ abutâris; *grandis dignitas sacerdotum, sed grandis ruina eorum, si peccant: lætamur ad ascensum, sed magìs timeamus ad lapsum*, Hieron. in Ezech. c. 45.

FERIA TERTIA.

Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timorem; quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non est perfectus in charitate. 1. Joan. 4. 18.

De timore.

1. Charitas non excludit timorem omnimodè.
2. Quinam sit timor, quem excludit.

PUNCTUM I. QUando legimus in S. Joanne, timorē non inveniri in charitate, imaginari nobis haud debemus, quasi vellet, hic Deo dilectus discipulus, omne genus timoris ex corde hominis eliminare, eùmque obligare ad hoc, ut quidquid agit, ex solo motivo puri amoris divini agat; perfectio hæc quæ præsēti vitæ minimé congruit; in cœlo fiet istud, ubi Deum ex tota plenitudine

ne cordis nostri amabimus, postquam destructa erit concupiscētia; donec, fiat hoc, securè timere possumus, & absque metu, ne per hoc charitas nostra minuatur; diffidamus huic vasi fictili, cui anima nostra inclusa est, & nullum medium negligamus à Deo nobis datum, ut à peccato liberi simꝰ, ex quibus utilissimum aliquod est ipse timor; *timor Domini, expellit peccatum*, Eccles. 1. 27. Ne igitur simus tam præsūptuosi, ut nobis ipsis imaginemur, nos adeò jam profecisse in vita spirituali, ut timore isto nobis haud opus sit, quia, quamdiu à nobis, & in nobis reprimenda est concupiscentia, vincendæ passiones; quamdiu imperiosum illud imperium, membrorum nostrorum sentimus, quæ nos trahere volūt, in captivitatem peccati, nonnisi maximam rationem, & causam timendi, habemus, ad quod ipsum, etiam Sapiens, nos hortatur: *si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua*, Eccles. 27. 4. utique non audebimus dicere, nos JEsū Christum ardentius ipso S. Paulo diligere, qui tamen identidem sibi ipsi timebat: nempe, sine dubio, tunc, quando stimulum carnis experiebatur, ne dum aliis prædicaverit, ipse reprobus efficeretur? an magìs radicati sumus nos in charitate, quàm S. Hieronymus? nihilominus sanctus hic doctor testa-

ſtatur nobis, ſe in violentis tentationibus, quibus exagitabatur, procul à ſe abegiſſe turpes cogitationes, & malignas dæmonis ſuggeſtiones; memoria terribilis illius ſonitus tubæ, quæ eum, & omes homines, evocatura eſſet ad judicium extremum, ac præ oculis continuò habendo atrociſſima inferni ſupplicia. Certum ergo eſt, charitatem, in hac vita, timorem abſolutè non excludere, & quia illo benè uſi ſunt ſancti, tam pro ſe, quàm pro aliis, & nos illô ad exemplum illorum uti debemus, verùm quia hoc principale noſtrum motivum, ex quo ad agendũ moveamur, & impellamur, haud eſſe debet.

PUNCTUM II. Notandum, à SS. Doctoribus, tres ſpecies timoris diſtingui, ex quibus homo agere poſſit. Primus eſt *timor filialis*, dum Deo diſplicere timemus, quẽadmodum filii cavent, ne patri ſuo diſpliceant; timor iſte inſeparabilis eſt à charitate, & vocatur à S. Auguſtino: *timor caſtus*, qui æternùm durat; *timeamus Dominum timore caſto, timore permanente, in ſæculum ſæculi.* Alter eſt *timor ſervilis*, quem peccatores habent, qui ideo de converſione ſua cogitant, ut ſic evadant pœnas inferni; non repellit hunc timorem charitas abſolutè, & omnimodè; bonus enim eſt & utilis, ſi à Spiritu S. veniat, & voluntatem peccandi

ex-

excludat; debèntque clerici illô uti, ut peccatores in seipsos reducant; minimè autem approbare debent illum servilem timorem, qui serviliter agit; prout theologi loquuntur; illum nempe timorem etiam ipsius inferni, sed naturalem tantùm, ità ut homo magìs timeat pœnam, quàm ipsum peccatum; qui externam aliquam mutationem, seu conversionem causat, absque interna, qui non impedit, ne peccator dicat, si infernus non esset, peccarem, talem denique timorem, de quo etiam S. Augustinus loquitur, epist. 145. ad Anastas. n. 4. nov. edit dum ait: *in ipsa voluntate reus est, qui vult facere, quod non licet fieri: sed ideo non facit, quia impunè non potest fieri.* Tertius est *timor mundanus*, hoc est, qui pro suo objecto mala hujus mundi, exilium, carcerem, morbos, jacturam bonorum temporalium &c. habet, quibus cessantibus homo peccat, & legem Dei transgreditur; charitas excludit hunc timorem, & minimè illum tolerat, in corde boni christiani, & clerici; de hoc timore locutus est salvator ad apostolos suos: *nolite timere eos, qui occidunt corpus, & post hoc non habent, quod vobis ultra faciant; sed timete eum, qui postquam occiderit, potestatem habet mittendi in gehennam; en! dico vobis; hunc timete.* JEsus Christus, ait S. Augustinus supra hunc locum, libera-

ravit nos ab aliquo timore; incussit autem nobis alium, & fortiorem: prohibet nobis timorem mundanum, sed substituit locô illius timorem Dei; *Dominus, ablato timore, subjecit timorem*, serm. 161. de V. D. edit. nov. Vide nunc, qualem tu habeas timorē? *ipsos humanos interrogate affectus*, pergit S. Augustinus; éstne mundus, quem times? èstne peccatum, vel pœna? roga Deum, ut è corde tuo expellat omnē timorem, christiano indignum, & ut illud repleat, hoc sãcto filiali timore, & reverentiali, qui majestati suæ divinæ debetur, quam paulò pòst in S. altari offeres, & sumes; angeli contremiscunt, in præsentia illius, prout ipse quotidie hoc in Missa testaris, qualem igitur respectum & reverentiam sacerdotes habere oportet? quid eos facere oportet, qui nonnisi pulvis sunt & cinis? *columnæ cæli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus*, Job. 26. 11.

FERIA

FERIA QUARTA.

Perfectus autem omnis erit, si sit, sicut magister ejus. Luc. 6, 40.

De perfectione.

1. Debent ad illam clerici continuò tendere.
2. Et alios etiam ad illam exhortari.

PUNCTUM I. PRoponit nobis ecclesia in Dominica Trinitatis, quæ simul est prima post Pentecosten, duo evangelia; primum nobis ob oculos ponit, mysterium SS. Trinitatis, de quo jam locuti sumus; 2dum. nos hortatur, nos adeò perficiendi, quousque divino magistro nostro similes efficiamur; exemplar ergo nostrum, nobis ad imitandum, propositum, exigit, ut incessanter proficiamus, & ad perfectionem tendamus, hoc exemplar aliud non est, quám JEsus Christus, do quo scriptum est, quòd creverit ætate, & sapientiâ. Si igitur viam cœli instar gigantis cucurrit, nobis permissum non est, subsistere, ait S. Bernardus ad quemdam sibi subjectum abbatem scribens: *quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi; ibi tu christiane fige tui cursûs, profectûsque metam, ubi Christus posuit eam; factus est obediens usque ad mortem; quantumlibet ergo cucurreris, si ad mortem non perveneris, bravium non apprehendis, bravium Christus est, quòd, si illo currente, tu gradum sistis, non Christo appropi-*

as, ſed magis te elongas, epiſt. 254. abb. Alpent. Guarr. Quid ergo cogitant illi, pergit S. Bernardus, qui ità dicere ſolent: ſufficit nobis, ſi tales ſimus, quales fuêre patres noſtri; nolumus iis meliores eſſe? non vis proficere ergo vis deficere? abſit, ais mihi, ſed volo ità permanere, qui ſum, hoc eſt, neque melior, neque pejor; mi bone frater! *hoc ergo eſſe vis, quod eſſe non potes*, ibid. Eſtne aliquid in mundo, quod ſemper in eodem ſtatu permaneat? an non in particulari de homine dictum eſt, eum nunquã permanere eundem, ſed velut umbram fugere? *nunquam in eodem ſtatu permanet*, Job. 14. 2. Conclude exinde, quòd non proficere in perfectione, idem ſit, ac deficere; cùm certum ſit, quemadmodum corpus noſtrum, cùm ceſſat creſcere, incurvatur; ita etiam ſpiritum noſtrum, ſi non progrediatur in via perfectionis, neceſſariò retrogredi; *hinc planè colligitur, quia nolle proficere, nonniſi deficere eſt*, ibid. Interim nil rarius eſt, quam invenire tales, qui progreſſũ in perfectione faciunt; *multò faciliùs reperias multos ſæculares*. ait alibi S. Bernardus, *converti ad bonum, quàm unumquempiam de religioſis tranſire ad melius*, epiſt. epiſt. 96. Ut autem à nobis ipſis non diſcedamus; quem ergo profectum feciſti à tempore illo, quo ſacerdos, vel paſtor factus es? poſt tot annos,

nos, quibus hoc beneficio ecclesiastico gaudes? in isto seminario? in ista com̃unitate? *hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus*, 1. Tim. 4. 15. Applica tibi ipsi hanc instructionem à S. Paulo datã Timotheo; ah! si apostolus vult discipulum suum, qui adeò perfectus erat, adhuc in melius proficere, & quidem ita notabiliter, ut omnes id advertere possent, quem conatum nos adhibere oportet, qui tam tepidi & negligentes sumus? temetipsum hic ingredere; *renovamini spiritu m̃etis vestræ*. Et

PUNCTUM II. Scito, haud sufficere clerico, si ipse ad perfectionem tendat; debet insuper etiam alios ad illam hortari, & adducere; patribus spiritualibus, & prædicatoribus, maximè autem pastoribus id muneris incumbit; debent suis manum porrigere, & illis in via & cursu virtutis, tanquam viæ duces, præire; debent ad exemplum S. Pauli, omnibus viribus conari, ut omnes hõines perfectos reddant in Christo JEsu; *quem nos annuntiamus, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominẽ, in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo JEsu*, Coloss. 1. 28. hic nempe finis est, quem laboribus meis præfigo, ait, *in quo & laboro*, quem etiam suis laboribus clerici præfigere debent; ipsorum est, infirmis præbere lac, hoc est,

docere eos prima elementa & fundamenta religionis, & pietatis; tales quàm plurimi dantur in parochiis, quibus idem dici potest, quod apostolus ad Hebræos scripsit: *facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo*, Hebr. 5. 12. Verùm quia status illorũ, qui primùm incipiunt, & adhuc debiles sunt, pluribus casibus obnoxius est, nil omninò omittere vel negligere debent clerici & pastores, ut eos à lapsu custodiant, debent totis viribus in id incumbere, ut populo suo ambitionem hanc inspirent, ut spiritualem istam infantiam dimittant ac relinquant, & ad eam perfectionem ascendant; quam Deus ab eis requirit; *perfectorum autem est solidus cibus*. An hucusque te ad id applicâsti? ah! quomodo alios ad perfectionem adduces, si tu adeò imperfectus es? Pro præparatione ad Missam roga Deum, ut animi tui affectiones purget, quæ sunt quasi pedes, quibus ad Deum progredimur; si etiã aliquantulum progressum jam fecisses, noli cessare, quin illum constanter roges, ut te ab illo periculoso pulvere im̃unem servet, à quo nec ipsi religiosi útùt perfecti, securi sunt; *dum per varias actiones vitæ hujus solicitudo distenditur, necesse est, de mundano pulvere, etiam religiosa corda sordescere*, S. Leo serm. 4. de quadrag.

PRO FESTO SANCTISSIMI ALTARIS SACRAMENTI.

Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis quoniam Dominus JEsus, in qua nocte tradebatur, accepit panem. 1. Cor. 11. 23.

De institutione sanctissimæ Eucharistiæ.

1. Cur à JEsu Christo instituta? Et cur ad finem vitæ.

PUNCTUM I. NArrat S. Paulus in epistola ista institutionem SS. eucharistiæ; facit hoc modo tã claro, qui & perfidiam hæreticorum confundere, & fidem christianorum confirmare possit; incipiamus hodiernam meditationem nostram per vivum fidei actum circa veram &realem præsentiam JEsu Christi in sanctissimo sacramento; *credamus quæso,* ait S. Gaudentiꝰ episcopus Brixinensis, tract. 2. de Pasch. *cui credidimus, nescit mendacium veritas;* videamus deinde, quos fines habuerit salvator in hac institutione? 1mo. voluit honorare Patrem suum, ad finem usque sæculorum per profundissimam omninò suam humiliationem; hinc vocat illum Tertullianus, sacerdotem Patris sui; *catholicus Patris sacerdos,* adv. Marc. l. 4. c. 9. qui scit Patrem suum infinitè, supremè, & æternaliter amabilem, & adorandum esse, & omnem illum cultum, quem creaturæ eidem exhibere possent, nullam prorsus

proportionem habere cum eo, quem ipse meretur, vult hunc ipsum defectum in & per hoc mysterium supplere, & id addere, quod perfectioni & durationi adorationis nostræ, illi debitæ, videt deesse. 2dò. voluit ditare ecclesiam suam tali sacrificio, quod esset pretii infiniti, per quod tam felix esset, ut possit quotidie Deo illam ipsam victimam offerre, quæ oblata pro nobis fuit in cruce; rem miram! mortem filii Dei, in hoc mysterio, renovari; & cùm nullam prorsus super eum mors habeat ampliùs potestatem, illum tamen in suo hoc statu prorsus immortali, & incorruptibili, quotidie adhuc immolari! *hæc namque singulariter victima, ab æterno interitu, animam salvat*, ait S. Gregorius M. l. 4. dial. c. 58. *quæ illam nobis mortem unigeniti per mysterium reparat, qui licèt resurgens à mortuis, jam non moritur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum, in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur.* 3tio. voluit Christus JEsus secum nos unire, modo perfectissimo, per participationē talis sacramenti, ubi unum corpus cum ipso efficimur; & ubi sanctissimam carnem suam adeò intimè comiscet cum carne nostra, prout quidam è SS. Patribus loquitur, (Cirill. Alex. l. 4. in Joan. 17.) quemadmodum cera liquefacta alteri ceræ miscetur;

tur; *ficut, fi quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit.* 4to. denique confolari nos voluit per fuam invifibilem præfentiam, & effe manna chriftianorum, in deferto hujus vitæ, ac fpirituale nutrimentum animarum; admirare hìc fines altiffimos divinæ bonitatis in inftitutione hujus myfterii. O bone Deus! quot & quæ media ad falutem noftram nobis donafti! exclamat hìc S. Joannes Chryfoftomus, hom, 60. ad popul. Antioch. qui fieri poffit, ut hæc omnia ad cõverfionem noftram non fufficiant! *heu mihi, quot ad falutem viæ! nos corpus fuum effecit, nobis fuum communicavit corpus, & horum nos nihil à malis avertit*; fuítne unquam ullus paftor gregis fui adeò amans, qui proprio fangvine eum pafceret? quid dico, ullus paftor? *multæ matres funt, quæ poft partus dolores, filios aliis tradunt nutricibus*; *hoc autem ipfe non eft paffus, fed nos proprio fanguine pafcit*, ibid. O Domine! èftne poffibile, ut in corpore adhuc mortali conftituti, tot extraordinaria figna, & probationes tui in nos amoris experiamur; quàm caufam habet, ità nobifcum procedendi? quid reciproci in nobis invenit, quod ipfi dare poffimus? vide, ut faltem hodie eidem gratitudinem tuam contefteris, affiftendo, cum omni pietate & devotione, folenni proceffioni; & ut magìs adhuc exciteris;

PUNCTUM II. Considera, cur D. N. J.C. hoc sacramentum instituerit illa ipsa nocte, quâ pro nobis, in mortem, tradendum se sciebat; *in qua nocte tradebatur*, S. Augustinus epist. 45. ad Januar. n. 8. hanc dat rationem: *namque salvator, quò vehementius commendaret, mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit altiùs infigere cordibus, & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat;* hinc ipse Christus Dominus voluit, ut mysterium istud celebraremus in memoriam illius, per quod omnibus fidelibus, maximè autem sacerdotib9, qui hujus sacramenti ministri sunt, quòd si huic intētioni salvatoris correspondere velint obligati sint, continuò, quantùm fragilitas humana id permittit, se occupare, memoriâ hujus grandis beneficii: *hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. 19. Sacerdotes, ministri! qui sacerdotio donati estis, & facti depositarii tam pretiosi pignoris; ipsius in nos amoris, occupate vos incessanter, hac cogitatione! nolite unquam oblivisci donum hoc ineffabile, quod à Christo JEsu in sanctissima Eucharistia accepistis! sint omnes actiones vestræ, totidem actus gratitudinis, & præparationes ad dignè accedendum, ad hoc sanctissimum sacramentum! mementote, in omnibus occasionibus, quòd manus vestræ tetigerint, & ulte-

ulterius tangere debeant diviniſſimũ corpus ſalvatoris, ut ſic iis nunquam utamini, ad tale quid, per quod tanto honore, indignæ reddantur; mementote pariter, quoties oſculati fueritis, & impoſterum oſculaturi ſitis Chriſtum JEſum, ut ità caveatis os veſtrum, fœdare per ullum tale verbum, vel actionem, quibus profanetur; tandem memores eſtote, cor veſtrum ſerviiſſe, & impoſterum ſerviturum, filio Dei, pro templo, conſequenter quòd nunquam permittere debeatis, ut in illo ullum tale deſiderium formetur, vel admittatur, ob quod tanto honore privari mereatur; accede ità diſpoſitus ad altare, & ora Dominum, ut auferat à te, quidquid illi diſplicere poſſet: *purgationem peccatorum faciens*, Hebr. 1. 3. & ut induat te ſpiritum juſtitiæ, & ſanctitatis, quibus cum hoc ſacrificium offerri convenit; *ſacerdotes tui induantur juſtitiam*, Pſ. 131. 9.

DIE SECUNDA INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

Similiter & calicem, poſtquam cœnavit, dicens; hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine; hoc facite, quotieſcunque bibetis in meam commemorationem. 1. Cor. 11. 25.

De SS. sacrificio Missæ.

1. Excellentia hujus ſacrificii.
2. Qua intentione, & ob quos fines offerri debeat.

PUNCTUM I. ADora D.N. J. C. ſupremum ſacerdotē novæ legis, qni ſuper altari noſtro, in propria ſua perſona, æquè ac in ligno crucis, conſummat ſacrificium illud, quod à principio mundi incepit offerri ſub variis figuris, diverſarum hoſtiarum, in veteri teſtamento, Deo Patri, oblatarum; colligit in ſeipſo ſolo, omnes obligationes noſtras, Deū honorandi, & infinites plus honoris, per ſolam oblationem corporis & ſanguinis ſui, Deo exhibet, quàm factum fuerit per omnes victimas, & ſacerdotes, omnes, & ſingulos, in toto veteri teſtamento, quæ nonniſi in figura repræſentabant id, quod quotidie in eccleſiis noſtris peragitur; *omnium differentias hoſtiarum, unà corporis & ſanguinis Domini implet oblatio*, S. Leo ſerm. 3. de paſſ. Benè expende, & pondera magnitudinem. & excellentiam hujus ſacrificii; 1mo. eſt momoriale quoddam, & continua repræſentatio paſſionis, & mortis JESU Chriſti, juxta verba iſta apoſtolis dicta: *hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis*; neque eſt ullum ex ornamentis, ſeu veſtibus ſacerdotis, neque ulla cæremonia in Miſſa, quæ non circumſtantiā aliquam paſſionis denotant; quale motivū pro nobis, ut tam illa, quàm iſtas, cum omni reverentia tractemus, & obſervemus!

2do.

2do. sacrificium Missæ, non solùm figura est, & memoriale passionis JEsu Chrîsti, sed illud ipsum sacrificium; & unum ab altero non differt, nisi in modo offerendi; idē est sacerdos, eadem victima, siquidem idēmet JEsus Christus, qui se in monte calvariæ pro peccatis totius mundi obtulit, se quotidie in ecclesiis nostris immolat, & Patri suo divino, mortem, quam pro nobis pertulit, per ministeriū sacerdotum offert; qualis honor pro nobis, quos pro suis ministris elegit! gratias illi age, qùòd etiam te ad tam sublimem functionem elegerit! agnosce, quàm indignum te peccata tua reddant tanto honore! *quantò magnus es, humilia te in omnibus*, Eccles. 3. 20. 3tio. in Missa sacrificat se JEsus Christus totum, ac integrum, cum omnibus membris suis, tanquam holocaustum consummatum per ignem amoris sui, qui eum facit, & sacerdotem simul, & victimam, út ait S. Augustinus in Ps. 124. *sacerdos & victima*; offert Deo Patri suo, non solùm corpus suum naturale, formatum in sanctissimo Mariæ utero, & affixum cruci, sed etiam suum corpus mysticum, quod est ecclesia; cujus tu membrum es, & consequenter, unàcum ipso sacrificaris. & immolaris; reflectisne te super hoc, quando Missam legis? ô si de hoc cogitares, prout oportet, haud aliter te im-

po

posterum considerares, quàm tanquam hominem, mundo mortuum, & Deo soli consecratum; verùm, ut hæc magìs adhuc penetres, & excellentiam sacrificii hujus æstimare discas;

PUNCTUM II. Considera rationes & motiva, cur institutum sit hoc sacrificium, & ad quos fines offerri debeat? nimirum ad præstandam & exhibendam Deo, debitam ipsi à nobis adorationem, gratiarum actionem, satisfactionem, & precationem, seu supplicationem, quam à nobis exigit, & exspectat; uterìsne ad hos fines sacrificio Missæ, si celebras? sitne hoc ut adores supremam Dei majestatem, & perfectiones illius infinitas, quæ aliter, & condignè honorare, & venerari non potes, nisi per hāc sacrosanctam, & pretiosam victimam, quæ in altari immolatur? sitne hoc, ut agnoscas bonitatem illius erga nos, & ad referendas gratias pro omnibus, nobis collatis beneficiis, & indies adeò profusè nobis concessis gratiis, pro quibus sanè minimè sat gratos, prout oporteret, nos exhibere possumus, nisi per JEsum Christum filium suum, in quo sibi summè complacet? sitne hoc ad placandam justitiam divinam, & ad reparandas injurias, per peccata nostra, illi irrogatas, ad quorum satisfactionem opus est infinito pretio; neque aliud superest, quod ple-

plenè satisfacere valeat, nisi hostia hæc immaculata? sitne hoc, ut gratias novas tā pro te, quàm pro aliis postules, & impetres? siquidem aliter eas impetrare non valemus, quàm uniendo nos cum hoc unico & supremo mediatore nostro, qui se Patri suo divino specialiter in hoc sacrificio offert pro omnibus necessitatibus ecclesiæ suæ? an non pro eo, ut tam sanctas intentiones formes, Missam legis absque ulla recollectione; attentione, precisè habitualiter, & ex consuetudine, ut facias id, quod alii faciunt? an non celebrasti ex hypocrisi, & ut longè alius appareas, quàm reipsa sis? an non factum fuit hoc ex respectu humano, potiùs ut hominibus, quàm Deo placeas? an non celebrasti ex spiritu avaritiæ, quærendo præcisè remunerationem, & stipendium, ut habeas, unde vivas? quæ sanè detestabilis perversitas est; examina te desuper, & pro præparatione hodierna resolve te ad id corrigendum, quod in intentionibus tuis adhuc defectuosum est; & pete à Deo auxiliū, ad hoc ipsum perficiendum, & exequendum. O Domine, qui fecisti nos sacerdotes tuos, ut idipsum sacrificium offeramus tibi, quod unigenitus Filius tuus tibi in cruce obtulit, fac, obsecro, ut talis sit intentio nostra, & fines nostri, noli permittere, ut unquam aliam habeamus,

mus, quæ ſanctitati hujus divinæ victimæ contraria ſit, quam quotidie immolare poſſumus, & ab eccleſia monemur, & jubemur, ut eam imitemur: *imitamini, quod tractatis; quatenus mortis dominicæ myſterium peragentes, mortificare membra veſtra, à vitiis, & concupiſcentiis omnibus procuretis*, Pontif. Rom. in ordinat. Presbyt.

TERTIA DIE INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. 1. Cor. 11. 26.

De modo legendi Missam.

1. Debet fieri cum reverentia externa,
2. Et devotione interna.

PUNCTUM I. QUanta cum reverentia & legi, & audiri Miſſa debet? ſi nos reflectamus ſuper iſta verba S. Pauli, quòd toties mortem Domini annuntiemus, quoties hæc ſancta myſteria celebramus, id eſt, quod ad altare accedamus, ut annuntiemus, & repræſentemus omnia, quæ in monte calvariæ cōtigerunt; quòd illius victimæ memoriam renovemus, eàmque hìc offeramus iterū, per quam Deo reconciliati ſumus? qualis ergo eſſe debet, & quanta reverentia noſtra, & reſpectus! 1mo. debet hoc elucere exterius, in habitu ſacerdotali, quô ad Miſſam uti-

utimur; debent hæ ſacræ veſtes eſſe ornatæ, & talis coloris, qui officio illius diei congruat; debemus eas induere in ſilentio, cum modeſtia, recitando preces ab eccleſia præſcriptas, in memoriam revocando circumſtantias paſſionis, quæ per illas denotantur; magna ſanè irreverentia eſt, ſi indumenta ſacra detrita ſint, aut linea immunda & ſordida; an non talem negligentiam ipſe etiam commiſiſti? *maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter*, Jerem. 48. 10. 2do. debet hæc reverentia elucere ex cæremoniis eccleſiaſticis, quas exactè obſervare oportet, conſiderando eas tanquam ſigna venerationis noſtræ erga Deum, quæque partem aliquam religionis noſtræ conſtituunt; eas negligere, idem eſt, ac exponere ſacroſancta myſteria contemptui, ac deſpectui laicorum, & inobedientem ſe exhibere erga eccleſiam, quæ illas præſcribit; qualis dolor hujus ſanctæ matris, ſi videat divinum ſponſum ſuum per proprios ſuos miniſtros, tam parùm decenter, & abſque reſpectu debito, tractari? officiales & miniſtri principum & magnatum, omnẽ ſollicitudinem & curam adhibent, ut cæremonias ſibi præſcriptas obſervent, & vos miniſtri Dei viventis, quomodo huic obligationi veſtræ contravenire audetis? vos qui de medio populi electi, & aſſumpti eſtis,

ut ei cultum perpetuum exhibeatis? *erùntque mihi ſacerdotes, religione perpetua*, Exod. 29. 9. 3tio. denique reverentia noſtra, ad celebrandum requiſita, apparere debet ex omnibus noſtris exterioribus, quæ in oculos hominum cadunt; debemus dicere Miſſam, cum tali recollectione & modeſtia, ut illi, qui Miſſam audiunt, videant, & agnoſcant, quàm persuaſi ſimus nos, & qualiter ipſi etiam perſuaſi eſſe debeant de vera & reali præſentia Chriſti JEſu in ſanctiſſimo ſacramento; quia nil adeò ædificat, & conſolatur populum chriſtianum, quàm ſi videant ſacerdotem taliter in altari ſe gerentem, ut oſtendat ſe omninò vivaciter, & intimè præ oculis habere Deum ſibi præſentem; econtrario nil magìs eos ſcandalizat, quàm ſi cernant ſacerdotes immodeſtos, & diſtractos, quorum oculi hinc & hinc vagantur, ſtultorum more; *oculi ſtultorum in finibus terræ*, Prov. 17. 24. pro eo, quòd nonniſi. quæ in altari præ manibus habent, contemplari deberent; quid de illis dicendum, in quibus talis ſtupenda levitas & præcipitantia advertitur, quâ verba præcipiant & detruncant, niſi quòd reverentia, adorationes, genuflexiones illorum parùm ſinceræ ſint, & quòd non minùs injurietur ab ipſis Deus, quàm à militibus Pilati? *ad vos ó ſacerdotes, qui deſpicitis nomen meum:*

non

non est mihi voluntas in vobis; maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis, Malach. 16. 2. 2. Expende tecum benè hanc cōminationem! non potest Deus quidem respicere ad victimam istam aliter, nisi cum summa complacentia, siquidem Filius suus dilectus ipsemet est; sed nonnisi iratè, & cum indignatione tam modicam vel omninò nullam devotionem & reverentiam cōsiderat, quâ illi offertur; teipsum hic scrutare, &

PUNCTUM II.

Nota, exteriorem reverentiam minimè sufficere ad benè legendam Missam; oportet illi conjungere internam pietatem, & cordis devotionem; in hunc finem 1mo. debemus in istis momentis, quæ à SS. PP. terribilia vocantur, quô etiam id tractatur, quod in religione nostra sanctissimum est, à mentibus nostris quàm longissimè elongare, & repellere omnes cogitationes mūdanas, & unicè nos occupare infinitâ illâ charitate Christi JEsu, qui seipsum victimam tradere vult, in manus nostras, ut id suppleatur, quod cultui nostro deest, & obligationibus nostris, quas erga Deum habemus, seipsum inpendendo, se consecrando, si ità loqui licet, ut nostris necessitatibus subveniat, & medeatur; exclamem cum S. Bernardo serm. 3. de circum. *mihi datus, & totus in meos usus expen*

2do. feriam attentionem facere debemus ad dignitatem fummi facerdotis, cujus nomine hæc peragimus; ad fanctitatem hoftiæ, quam in manibus noftris habemus; ad incomprehenfibilem Dei majeftatem, cui eam offerimus; nosipfos facrificare debemus, ut nonnifi una & fola victima fimus cum D.N.J.C. quemadmodum nonnifi unus facerdos cum ipfo fumus, offerendo hoc holocauftum tali corde, quod omninò ardeat præ amore gloriæ fuæ; *quidquid profers, accende charitate*, ait S. Auguftinus in Pf. 55. 19. 3tio. oportet meminiffe paffionis, & mortis falvatoris noftri, cujus ipfa Miffa, viva & realis quædam repræfentatio eft; confiderare item, quanti illi conftiterit peccatum; concipere de illo magnum horrorem, & defiderare, ut proprium fanguinem & vitam noftram pro illius deftructione dare poffemus, ad exemplum divini magiftri noftri, qui hoc actu fecit, & quotidie adhuc in S. altari incruentè hoc facit. O divine falvator! ah utinam fanguinē pro fanguine! vitam pro vita, dare poffem! *quis ei refundet innocentem fanguinem! quis reftituet pretium, quo nos emit!* idem conf. l. 9. c. 13. Occupa teipfum, durante Miffa aliquâ, cogitationum iftarum, aut fimiliū; medium hoc erit, ut actionem tam fanctā dignè peragas; hanc gratiam in præparati-

one tua ad Missam à Deo petere potes; Domine Deus meus, qui nos fecisti sacerdotes tuos, ut tibi in augustissimo Missæ sacrificio Filium tuum JEsum Christum offeramus, inspira nobis talem respectum, & reverentiam, ac pietatem, qualibus dignissimum est, hoc sacrosanctum & adorandū mysterium. Ah! si angeli, qui altare circūstant, se coram victima, quæ hìc immolatur, prosternunt, quid facere deberent sacerdotes, qui hoc honore gaudent, ut ipsam hāc victimam offerre possint? Domine Deus! illumina intellectum nostrum! aperi oculos nostros! anima fidem nostram! circa magnitudinem & altitudinem hujus incomprehensibilis mysterii, ut ad exemplum horum cœlestium ac beatorum spirituū nunquam ad altare tuum accedamus, nisi cum tali religioso timore & profundissimo respectu, quem nobis optaremus, si unà cum illis coram throno gloriæ consisteremus: *tanquam si in ipsis cælis collocati, inter cœlestes illas virtutes, medii staremus*, S. Chrysost. l. 13. de sacerdot. c. 2.

QUARTA DIE INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. 1. Cor. 11, 27.

De indigna communione.

1. Enormitas hujus criminis;
2. Quàm detestabile sit in sacerdote.

PUNCTUM I. TRemenda sanè verba! & quæ quis satis meditari non potest! ille, qui indignè communicat, reum se reddit corporis & sanguinis JEsu Christi, ait S. Paulus, id est, juxta explicationem S. Hieronymi, pro vili ac contemptibili re habet mysterium tale, quod nonnisi omnem respectum & venerationem meretur. 1mo. infame sacrilegium est, per quod committitur gravissima profanatio, adeò ut quis contra ipsum Deum consurgat; *ore ac manibus in Deum delinquunt*, ait S. Cyprianus; S. Th. 2. 2. q. 99. a. 4. tract. de lapsis. unit, seu jungit JEsum Christum, hanc innocentem victimam cum corde suo, quod omninò corruptum & depravatum est; obligat sanctum sanctorũ, ut peccatis conspurcatam conscientiam ingrediatur & habitet in medio odiorum, injustitiarum, & impuritatum abominabilium; *vis infertur corpori ejus & sanguini*, Hebr. 10. 28. pedibus conculcat Filium Dei, profanat sanguinem novi testamenti, in quo sanctificatus est; & spiritui gratiæ contumeliam facit; prout S. Paulus loquitur; qualis profanatio! exclamat S. Joannes Chrysost. collige omnia scelera, & crimina enormia

in

in unum, non invenies ullum, quod huic comparari valeat, ait hic S. P. Hom. 83. in Matth. *Christum conculcare, pessimum.* 2do. proditor est, qui indignè communicat, cujus cor plenum est hypocrisi, & simulatione; tradit Filium Dei osculo, & meretur audire à Christo eandem cum Christo exprobrationem; *amice! ad quid venisti? osculo Filium hominis tradis?* Matth. 26. abutitur signo, & pignore pacis, ut Deo suo insultare possit etiam in ipso S. altari, ubi non cessant angeli adorare, & benedicere illum; nō accedit ad illum, nisi ut Deum suum tradat in manus crudelissimorum suorum inimicorum; ut passionibus suis inordinatis eum exponat; & dæmoni subjiciat illum, qui dominus est illius, qui indignè communicat, de quo illud ipsum dici potest, quod evangelium de famoso illo apostata refert: *post buccellam introivit in eum sathanas,* Joā. 13. 27. quale crimen! qualis perditio! quāta perfidia! 3tio. Deicida est, qui de novo Christum crucifigit; meritò consideratur scelus Judæorum, qui Christum crucifixerunt, pro omnium maximè enormi & nefando; & non attenditur ad hoc, christianos, qui indignè communicant, idem prorsus crimen admittere. *Proh scelus!* exclamat quidam è PP. ecclesiæ, (Tertull. l. de idol. c. 7.) *semel Judæi Christo manus intu-*

lerunt; isti quotidie corpus ejus lacessunt; ô manus præscindendæ! pejores sunt ipsis carnificibus, qui JEsum cruci affixerunt; siquidē illum descendere cogunt de sinu gloriæ Dei Patris sui, quô ascendit post relatam de inimicis suis victoriam, ut eum de novo exponant omnibus injuriis, & novæ morti. O quis comprehendere valeat totam enormitatem criminis istius! verùm si adeò horrenda est in quolibet christiano;

PUNCTUM II. Longè detestabilius est in sacerdote, quem JEsus Christus in domum suam assumpsit; proprio suo caractere insignivit; sua authoritate dotavit; id, quod Petrum Blesensem dicere coëgit, in illa pulcherrima epistola, ad episcopū Lōdinensem scriptâ, qui eum ad suscipiendū sacerdotium hortatus est, se non posse capere, temeritatem sacerdotis alicujus, qui in malo statu celebrare audeat; *magna est, & supereminens cœlestis dignitas Sacramenti, & quis poterit ad eam? quantò ergo, & quàm damnabili temeritate sacerdos indignè ministrare præsumit?* epist. 123. causa est, talis indignus minister per suum hunc sceleratū modum agendi, cur venerabile Sacramentum contemptibile reddatur populo christiano; *sacerdotes ejus polluerunt sanctum*, Soph. 3. 4. gerere se deberet tanquam vicarium apostolorum, & ùt filium S. Petri; & ipse

fit

sit socius Judæ, & præcursoris antichristi; quod causam & ansam dedit S. Gregorio juxta eundem authorem, ibid. dicendi, talem sacerdotem, qui indignè celebrat, prodere Christum, ità quidem, ut eo ipso tẽpore, quo Missam legit, Dominus ad eum dicat: *manus tradentis me, mecum est in mensa*; & S. Augustinus examinans verba ista prophetæ: *dederunt in escam meam fel*, ait, sacerdotes, qui indignè offerunt Christum, modò regnantem in cælis, committere enormius crimen, quàm ii, qui eum crucifixerunt, dum adhuc in terra hac morabatur; quibus etiam applicat verba illa prophetæ lacrymis nostris dignissima, nomine JEsu Christi, in cruce prolata; *dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto*, Ps. 68. adjungit hoc ipsum esse crimẽ, quod ab indignè celebrantibus admittitur, *Dominus equidem salutem nostram sitit, & esurit, & ideo damnabiliter peccat, qui ad corpus ejus cum felle conscientiæ pravæ, & cum aceto iniquitatis accedit*, Bles. ibid. totum hoc cõcludit Petrus Blesensis, docere nos debet, quàm terribilis sit locus iste, in quo sacerdos immolat Deo Patri unicum Filium suum; *terribilis verè locus est, in quo Deo Patri, ejus unigenitus immolatur; ideo quisquis accedit ad tantæ sanctificationis mysterium, necesse prius habet deponere omnem immunditiam*

operum mortuorum, ibid. Ecce ideam illam, quam ſibi piiſſimus hic archidiaconus de miniſterio ſacerdotali formavit; & de crimine, cujus ſe reos faciunt coram Deo; & de præjudicio, quod eccleſiæ afferunt, ſi indignè celebrant; ah utinam clerici noſtri temporis, eaſdem formarent reflexiones; certè non ſemel, ſed pluries prius cogitarent, & ſubſiſterent, an ſacerdotalem dignitatem & officium aggredi & aſſumere velint. Pro præparatione ad Miſſam examina teipſum, in quo ſtatu tu ipſe ad S. cõmunionem acceſſeris, vel celebraveris? utrum id non indignè feceris? ſi vel ſemel lapſus fuiſſes in tale crimen, ſufficientes lacrymas haud profundere poſſes ad illud diluendum, *time, ſi quid tale feciſti &c. intellige, quantum ſceleris admittat, qui ad altare venit indignus*. Pacianus Pariſ. ep. parren. ad pœnit. O JEſu, qui ex bonitate tua infinita dediſti nobis in ſanctiſſimo Sacramẽto corpus & ſanguinem tuum, tanquam certum & ſecuriſſimum pignus futeræ gloriæ, ne permittas, obſecro, unquam, ut tã miſerabiles & cœci ſimus, ut pretium redemptionis noſtræ per communionem indignam commutemus in noſtram damnationem; ſacrificium in ſacrilegium, myſterium amoris in parricidium, & vitam in mortem; *quàm perditus eſt, qui redemptionem*

in

in perditionem, qui ſacrificium in ſacrilegium, qui myſterium in parricidium, qui vitam convertit in mortem, Petrus Bleſ. cit. O JEſu, præſerva nos à tali crimine, quod etſi enorme ſit tamen non ceſſat eſſe commune & ordinarium; *quàm multi de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur!* S. Auguſt. in Joan. tract. 26. n. 11.

QUINTA DIE INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI,

Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit; non dijudicans corpus Domini. 1. Cor. 11. 28. & 29.

DE DISPOSITIONIBUS, SEU PRÆPARATIONE ad S. COMMUNIONEM.

1. Debet ad illam afferri 1mo. puritas conſcientiæ.
2. Fervor devotionis.

PUNCTUM I. EXamina hìc benè; quænam ſit illa probatio, quam S. Paulus vult, ut de nobis ipſis ſumamus, antequam ad ſacram menſam accedimus, ſiquidem toties à nobis hoc fit; hæc probatio ſecundùm SS. PP. conſiſtit ſpecialiter in puritate conſcientiæ, quam illuc afferre debemus; *quid enim eſt hoc loco probare*, ait S. Gregorius Papa l. 2. 1. R. c. 1. *niſi evacuatâ peccatorum ne-*

quitiâ, se probatum, ad dominicam mensam exhibere, puritas ista requirit à nobis 1 mo. ut simus liberi, ab omni peccato mortali; affer, ait S, Augustinus, tract. 26. in Joan. ad altare innocentiam; si conscientia tua te alicujus peccati arguit, quod è numero eorum tantùm sit, qualibus vel ipsi justissimi subjecti sint; verum mortale nequaquā sit; *panem cœlestem spiritualiter manducate; innocentiam ad altare apportate; peccata etsi sint quotidiana, vel non sint mortifera*; si autē lapsus es in peccatum aliquod mortale, ne sis adeò temerarius, ut in tali statu cōmunices, aut celebres; purifica te priùs per lacrymas veræ & sinceræ pœnitentiæ; hæc est regula, quam nobis ecclesia præscribit: *ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione, ad sacram eucharistiam accedere debeat*, ait S. concilium Tridentinum sess. 13. de Euch. c. 7. 2do. petit hæc puritas, ut non solùm ab omni peccato mortali exēpti simus, sed etiam ab omni affectione ad veniale, id est, quòd etiam minimos defect9 abominari, eòsque evitare studeamus; hæc est dispositio in iis requisita, qui frequenter accedere volunt ad S. eucharistiam, præcipuè in clericis, & sacerdotibus, quos tam

sanctè vivere oportet, ut quotidie digni sint accipere S. eucharistiam; nam ad eos præcipuè diriguntur verba ista S. Ambrosii l. 5. de Sacram. c. 4. *sic vive quotidie, ut quotidie merearis accipere;* felix ille, qui ità dispositus est! exclamat hìc Petrus Blesensis epist. 123. *O quàm felix, qui probatus inventus est.* Ab hac felicitate autem excidere nō potest, qui non cessat rogare Deum, ac supplicare illi, pro ista puritate animæ & corporis, quæ ipsi necessaria est, ut dignè valeat de hoc sanctissimo Sacramento participare; vide nunc, utrum te hucusque ità probaveris? & ulterìus

PUNCTUM II. Considera, secundā dìspositionem, quàm ad S. communionem afferre debemus, esse fervorem devotionis, quam habere oportet, ut grati agnoscamus desiderium illud, quod salvator noster ostēdit, dandi se nobis per S. eucharistiam, quòdque per verba paulò ante mortem suā apostolis dicta notum fecit: *desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar,* Luc. 22. 15. Devotio hæc cōsistit 1mo. in quadam fame spirituali, seu sacra, proveniente, ex cognitione indigentiæ nostræ, quam habemus, nutriendi nos hoc pane spirituali; *debemus esurire Christum, cibum nostrum intimo corde desiderando,* S. Th. opusc. 58. de Sacr. Hoc desiderii

adeò

adeò necessarium est, ut juxta S, Gregorium M. l. 2. in 1. Reg. 1. *non saturentur, nisi famelici, qui à vitiis perfectè jejunantes, divina Sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis.* Habésne sacram hanc famem? agnoscìsne magnam tuam indigentiam hujus spiritualis nutrimenti? corrigìsne defectus tuos, ut aptus sis, ac dignus uniri cum illo? 2do. in magna fidelitate ad satisfaciendum obligationibus nostris; non debemus nobis imaginari, hunc esse effectum præcisè unio quadrantis horæ, & quòd jam sufficiat, se uno tantùm momento recolligere, coram JEsu Chrìsto, priusquam sanctissimum corpus illius sumamus; requiritur insuper, ut vita nostra sit continua quædam præparatio ad communionem, & ut omnes actiones nostras tam sanctè peragamus, ut nobis serviant; pro dìspositione ad illam, sacerdos e. g. nihil debet per diem agere, per quod indignus reddatur, offerendi sanctum sacrificium Missæ; quando cubitum it, cogitare debet, quid de manè facere intendat; *cras cum rege pranjurus sum*, Esther. 5. 12. quando manè surgit, cogitationem, ac reflexionem istam renovare debet, & seipsum examinare, an in statu sit, dicendi Missam; & tandem durante Missa ea omnia vitare, quæ eum distrahere possent. Fuítne hæc praxis tua, usque in præsens? Pro præ-

pa-

paratione hodierna, fac propositum hoc deinceps faciendi; *præparate corda vestra Domino*, 1. Reg. 7. 3. Domine Deus, qui nos fecisti sacerdotes, ut sacerdotio Filii tui JEsu Christi fungamur; quìque vis, ut eum tibi ,offeramus, adoremùsque sic infinitas perfectiones tuas; tuæ bonitati gratias agamus; tuæ justitiæ satisfaciamus; expelle de cordibus nostris peccatum, ut te non irritemus de novo, pro eo, ut te nobis recōciliemus; crea in nobis cor purum, quod nonnisi te adoret, nonnisi te amet, nonnisi tibi sacrificet, omnia ad te referat; dona nobis Domine, hunc spiritum rectum, qui nonnisi te quærat, & unicè tibi inhæreat; fateor Domine, me hunc favorem & gratiā haud mereri, sed potiùs dignum me esse, quem à sacro altari tuo repellas, & à facie tua projicias; verùm noli nobiscum agere Domine secundùm merita nostra, sed secūdùm magnitudinem & multitudinem misericordiæ tuæ; & ità me purifica per merita JEsu Christi Filii tui, ut dignus efficiar eum tibi offerendi; *proba me domine, & tenta me, ure renes meos, & cor meum, ut tanto Sacramento dignus inveniar*, Petrus Blés. epist. 123.

SEX-

SEXTA DIE INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Joan. 6. 57.

DE GRATIARUM ACTIONE POST MISSAM AUT COMMUNIONEM.

1. Necessitas. 2. Praxis illius.

PUNCTUM I. SI unquam uniti esse debemus JEsuChristo inseparabiliter, fieri hoc debet, quando ab altari post S. communionem recedimus; tunc enim manet ille in nobis, & nos in illo manere debemus; tunc gratiis suis nos ditat, & nos gratos esse oportet, & satagere, ut fructus colligamus ex tali communione, quae nobis tam salubris est, quod aliter obtinere non possumus, nisi per gratiarum actionem; ad hanc obligamur 1mo. ob excellentiam doni, quod accepimus; *gratias Deo super inenarrabili dono ejus*, 2. Cor. 9. Pretiosissimum donum ex omnibus est, siquidem ipsissimum pretium redemptionis nostrae est: *panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita*, Joan. 6. 52. ait ipse Christus. Anima mea! utinam agnosceres donum, quod tibi Deus per ipsum Deum facit! *si scires donum Dei!* quid non faceres ad disponendum teipsam ad dignè illum suscipiendum, quàm sollicita esses post tantā

acce-

acceptam gratiam ad laudandum, benedicendum Deum, & gratam te exhibendi! *Dulcissime JEsu, quanta tibi reverentia, & gratiarum actio pro susceptione sacri corporis debetur!* exclamat hìc author libri de imitatione Christi, l. 4. c. 2. 2do. ob ipsum authorem hujus doni; hic ipse, Pater æternus est, qui hoc nobis exhibet; dedit olim Israelitis manna, in deserto, sed modò dat nobis panem verum in sanctissima eucharistia, dum nobis dat JEsum Christum, Filiũ suum; *non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum,* ait Salvator in evangelio, Joan. 6. 32. Ah! nos eramus tam pauperes, ut prorsus nihil habuerimus dignum Deo; Pater æternus misertus est indigentiæ nostræ, & dedit nobis Filium suum unigenitum, ut haberemus, unde obligationibus nostris satisfacere possemus; an satis gratos nos illi propterea exhibere possumus? *confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus &c. quia in humilitate nostra memor fuit nostri,* Ps. 135. 3tio. ob amorẽ illum infinitum, quo donum hoc nobis contulit; an non dignum & justum sit, ut amorem pro amore rependamus JEsu Christo; dat seipsum nobis absque ulla reservatione; integrum se dat nobis absque ulla partitione; absque ulla distinctione, pro sẽ-

per,

per, & abſque ulla limitatione; caro hujus agni divini manducatur, à populo fideli, & tamen manet vivus, & integer; abſumitur à nobis, & tamen nunquam conſumitur. O prodigium! ô miraculum! ubi eſt cor ullum, quantumvis duriſſimum, & ingratiſſimum, quod non emolliatur, ſi ad hunc Deum amoris accedat? & quòd non capiat, ſeu comprehendat omnem ſe poſſibilem conatum adhibere debere, ut ſe gratum exhibeat? haud opus eſſet ulla ratione, quæ nos ad hoc faciendum inducat, ſi nos reflectere vellemus, vel ad hoc ſolum, quanta in nos reſultet utilitas ex eo, quòd cum Deo converſari poſſimus; *non habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam, & gaudium*, Sap. 8. 16. Sed quid nos hucuſque fecimus? ſi Chriſtus JEſus gratias egit poſt celebrata hæc ſancta myſteria cum apoſtolis ſuis, an putamus nos minimè obligatos, ad eum quoad hoc imitandi? *gratias egit*, ait S. Chryſoſtomus Hom. in Matth. 26. *ut nos inſtrueret, quomodo myſterium hoc facere debeamus, ut nos quoque ſimiliter faciamus*. Nũquam omiſimus noſtram gratiarum actionem abſque neceſſitate? an non illam abſolvimus quandoque in uno quaſi momento, prout videre eſt apud plures ſacerdotes, qui vix ſacras depoſuerunt veſtes, & ſtatim

tim ex ecclesia egrediuntur, ut in talia negotia se effundant, quæ præcisè secularia, & nequaquam sancta sunt? examina teipsũ, in quo ipse hucusque deliqueris? & ut idipsum emendes, ac corrigas;

PUNCTUM II. Disce, qualiter instituere debeas hanc gratiarum actionem? statim ac ab altari recedis, oportet recitare canticum illud, quod ecclesia præscribit; ut ità impedias distractiones, & illi te exẽplo conformes, quod apostoli dederunt: *& hymno dicto exierunt in montem Oliveti,* Matth. 26. 30. deinde progredi debes ad considerationem tanti boni, quod consecutus es; non dico, quantum temporis in id insumere debeas; quilibet suam gratiarum actionem instituat, prout ipsi devotio sua dictat; neque etiã adduco actus illos, quos exercere debeat, vel possit, hoc solo contentus sum, ut dicam, nostram gratiarum actionem reduci posse ad tria; 1mo. *Deo gratiæ agendæ.* 2do. *aliquid ei offerendum.* 3tio. *aliquid ab eo petendum.* 1mo. gratiæ referendæ sunt huic divino hospiti, qui hũc honorem nobis exhibet, ut velit nobiscũ manere, offerre dein debemus cor nostrũ in laudem ipsius; annihilare nos in ipsius præsentia; agnoscere impotentiam nostrã ad dignè agendas gratias; invocare omnes creaturas in axilium, ut nobiscum laudent

Deum pro tanto beneficio, & gratia; gustare etiam, quàm suavis sit Dominus; admirari bonitatē illius, quâ nos singulis diebꝰ seipsô reficit, & nutrit: *memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, & miserator Dominus; escam dedit timentibus se*, Ps, 110. 2do. nos totos *Deo offerre* debemus, quemadmodum ipse totum se nobis, dat; *dilectus meus mihi, & ego illi*, Cant. 2. 16. Roga illum, ut te unà secum offerat Deo Patri, ut in omnibus & per omnia sis verus & fidelis minister illius; consecra illi vitamtuam, sanitatem tuam, omnes occupationes, & studia tua, ut te ipso, ac omnibus tuis rebus uti dignetur pro sua majori gloria, & secundū suum sanctissimum beneplacitum, ut disponat de omnibus, quæ habes, & quod es, tanquam de re, absolutè suâ, *Deo dignas oblationes offer*, Eccles. 14. 11. 3tio. oportet ab illo fiducialiter *petere gratias, & virtutes*, quarum indigentiam habemus; exponere illi in & cum simplicitate miserias nostras, & instanter eum obsecrare, ut nostri misereatur, dicendo cum propheta, Ps. 34. 3. *dic animæ meæ: salus tua ego sum*. Itáne hucusque instituisti tuam gratiarum actionem? ô Domine! ego ex toto corde meo veniam peto, quòd tam parùm hucusque sollicitꝰ fuerim, benè instituendi hanc gratiarum actionem; jure timere possum, uou

non hæc ipsa negligentia mea, causa sit, cur tam parùm fructûs hauserim ex tot Missis & sacris communionibus; fac, ô Domine! ut nunquam ampliùs in talem negligentiam cadam, quæ nonnisi effectus esset verissimæ ingratitudinis, seu vitii talis, ùt quidam ait, quod tibi infinitè displicet, & cursum sistit gratiarum, & miserationum tuarum; *ingratitudo ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, & fluenta gratiæ*, S. Ber. serm. 51. in Cant.

SEPTIMA DIE INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; & qui manducat me, & ipse vivet propter me. Joan. 6. 58.

DE EFFECTIBUS SANCTISSIMÆ EUCHARISTIÆ.

1. In anima. 2. Et in corpore.

PUNCTUM I. ADora D. N. J. C. vivũ in sanctissiã eucharistia, & cõmunicantem nobis hanc divinam vitam, à Patre suo acceptam per admirabiles effectus, quos hoc diviniſſimũ Sacramentum in nobis producit; 1mo. unit animas nostras intimè cum Christo JEsu; ex omnibus unionibus, nullam intimiorẽ agnoscimus, quàm illam, quæ fit per digestionem alimentorum, quæ transeunt in

substantiam, illa comedentis, porrò unio i-
sta exēplar quoddam est illius unionis, quæ
inter Christum JEsum & animam nostram
intercedit in sanctissimo Sacramento cor-
poris & sangvinis ipsius; nos manemus in
ipso; & ipse in nobis manet; *in me manet, &
ego in eo*; neque tamen hoc totum est, aut
solum; transformamur insuper in JEsum
Christum, & in aliquo sensu una caro, & u-
nus sanguis cum ipso, efficimur; *concorpo-
rei & consanguinei Christi*, prout S. Cyril-
lus Jerosolymitanꝰ loquitur, Catech. myst.
4. Dicamus plus, si possibile sit, efficimur
quasi alter Christus; *Christi facti sumus*.
Christus JEsus, tam potens, & validum est
nutrimentum in sanctissimo Sacramento,
ut in se transformet illos, qui ipsum man-
ducant, id, quod ipse sanctum Augustinum
docuit, dum ità ad illum ajebat: *cibus sum
grandium; cresce & manducabis me; nec tu me
in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mu-
taberis in me*, Conf. l. 7. c. 10. Quàm ad-
miranda sunt, ô Domine, verba ista! tu, &
ego, nonnisi una, eadèmque res! stupendū
quid! quis hoc valeat comprehendere! 2do
fortificat nos hoc Sacramentum contra ini-
micos salutis nostræ; virtus est, fortitudo
divina, quæ nos confortat, & unit contra
periculosas tentationes dæmonis; deside-
ria inordinata carnis; doctrinam corruptā,
&

& perversam hujus sæculi; hinc tempore persecutionum, solicita semper fuit ecclesia, præbendi S. eucharistiam iis, qui martyrio expositi erant, ut ità præservaretur ne furori tyrannorum succumberent, *idoneus non potest esse ad martyrium, qui ab ecclesia non armatur ad prælium*, ait S. Cyprianus, epist. 54. ad Cornel. *& mens deficit, quam recepta eucharistia non erigit, & accendit.* Et S. Augustinus tract. 27. in Joan. attribuit animum illum generosum & invincibilem, quem S. Laurentius super prunas assatus, ostendit bono usui sacræ communionis; *in illa ergo longa morte, in illis tormentis, quia benè manducaverat, & benè biberat, tanquam illâ escâ saginatus, & illo calice ebrius, tormenta non sensit.* Si ergo nos tam debiles sumus, ac infirmi, id ex eo fit, quòd adeò malè hoc cœlesti nutrimento utamur. 3tiò. auget in nobis gratiam & charitatem; cùm S. eucharistia animæ nostræ panis sit, agit in illa idipsum, quod panis materialis in corpore nostro; facit nos successivè ità crescere, quousque demum perveniamus ad plenitudinem & perfectionem ætatis JEsu Christi; *caro in corpore & saguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur*, ait Tertullianus lib. de resurr. c. 8. Qui dignè communicant, faciunt quotidie novos progressus in virtute, quod desumi potest ex

eorum verbis, ex eorum actionibus, & reliquo modo vivendi; pleni ſunt charitate, patientia, humilitate, mortificatione, ſubmiſſione, ac reſignatione propriæ voluntatis in divinam, obedientiâ erga ſuperiores; verbô, in omnibus bonus odor Chriſti JEſu ſunt; eu! effectus, quos ſanctiſſima euchariſtiâ in anima producit, ſi dignè ad communionem accedat.

PUNCTUM II. Videamus modo etiã, quales effectus in corpore communicantis dignè producat? 1mo. ſanctificat corpus noſtrum per ſuum contactum, ex quo, à S. communione receſſimus, corpus noſtrum factum eſt, ciborium corporis JEſu Chriſti, ipſi conſecratum eſt, ac proin nonniſi gloriæ illius deſervire debet, quemadmodum ſacra vaſa, ad alium uſum, quàm altaria, adhiberi non poſſunt. Erubeſce igitur, quòd corpus tuum, à corpore JEſu Chriſti, ſanctificatum, toties profanaveris; revere, & honora impoſterum corpus tuum, tanquam ſanctuarium quoddam, ubi Chriſtus toties moratur, & nulla omnino impuritate, illud fœdare præſume. 2dò. mitigat ardorem libidinis, ſeu concupiſcentiæ; *ſi quis veſtrûm*, ajebat S. Bernardus ſerm. 9. in cœna Dom. ad ſuos religioſos, *non tam ſæpè modò, non tam acerbos ſentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ aut cæterorum hu-*

jusmodi

jusmodi, gratias agat corpori & ſanguini Domini; quoniàm virtus Sacramenti operatur in eo; gaudeat, quod peſſimum ulcus accedat ad ſanitatem; non eſt abbreviata manus Domini, neque exhauſtus theſaurus miſerationum illius; hoc Sacramentum pergit continuò adhuc producere tales effectus, quos S. Bernardus eidem attribuit; accedamus ad illud, prout oportet, & hosipſos etiam nos experiemur. 3tio. dat nobis ſanctiſſima euchariſtia jus ad glorioſam reſurrectionē; *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die,* Joan. 6. 55. S. Cyrillus, explicans hæc verba, adjungit: euchariſtiam relinquere in corporibus noſtris, utut mortalibus, ſemen quoddam immortalitatis, & virtutem aliquam ſecretam, vi cujus reſuſcitantur ſuo tempore ad vitam glorioſam & incorruptibilem. O quales in ſe includit, & complectitur gratias ſanctiſſima euchariſtia! gratias Deo propterea age, & conſidera, quòd ſi eas hucuſque non receperis, defectus ex parte tua ſit; ſi poſt tot Miſſas & communiones nihilominus idem ipſe es, æquè vacuus, & virtutibus denudatús, ac antea, inde eſt, quòd parùm vel omnino nil requiſitæ præparationis afferat; dat ſe tibi Chriſtus JEſus; tu autem teipſum ei dare recuſas; ſemper

adhuc peccaminosè aliquatenus creaturis adhæres, & ipsius te intentioni, quam de tua sanctificatione habet, opponis: *nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas*, Jer. 11. 15. Scito, carnem hanc sanctissimam hujus augustissimæ victimæ, novi testamenti, utut sacratissima sit, tibi tamen ad damnationem vergere, si eam sumas, non purificato priùs corde tuo; reflectè te seriò super hoc, antequam ad altare accedas; & ora Dominum, ut animam tuam ipse disponere dignetur, quò dignè valeas accedere. Domine Deus meus, præveni animam meam in benedictionibus dulcedinis tuæ, ut valeam ità devotè accedere ad hoc augustissimum Sacramentum, prout dignum est, excita cor meum; trahe illud ad te, & libera me à sopore illo, qui illud occupat; infunde mihi tuam gratiam salutarem, ut gustem suavitatem tuam cœlestem, cujus plenitudo abscondita est in hoc Sacramento; tanquam in fonte. Domine JEsu, fac mihi hanc gratiam, ut quotiescunque ad hāc sacram mensām accedo, toties, ac magis semper, opus salutis meæ crescat: *quæsumus, Domine, ut cum frequentatione mysterii, crescat nostræ salutis effectus*, Oratio eccles.

OCTA-

OCTAVA CORPORIS CHRISTI.

Hic est panis, qui de cælo descendit; non sicut manducaverunt patres nostri manna, & mortui sunt: qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Joan. 6. 59.

DE EUCHARISTIA út VIATICO.

1. Eucharistia servit nobis Pro viatico in hora mortis.
2. Debemus illam etiam in vita sumere per modum viatici.

PUNCTUM I. D. N. J. C. est in eucharistia manna absconditum, sed valdè diversum à manna Israëlitarum in diserto; qui manducaverunt hoc manna, mortui sunt, sed qui novæ legis manna comedit, ùt oportet, vivet in æternum; est nimirum panis vivus de cœlo descendens, ut nos eò perducat, illum sumendo, vitam gratiæ recepimus; nec hoc tantum; sed securum pignus vitæ æternæ, ac beatæ; *futuræ gloriæ nobis pignus datur:* quantus favor! agnoscamus favorem hunc & gratias Christo propterea agamus, illùmque in sanctissima eucharistia adoremꝰ, út viaticum nostrum, qui ideò ad nos venit, ut auxilio nobis sit ad benè moriendū & transeundi ex altera vita ad alteram beatam; tria nos turbare possent in hora mortis nostræ. 1mo. separatio à creaturis. 2do. bellum. quod nobis instat contra inimicum salutis nostræ. 3tio. exspectatio judi-

judicii divini; euchariſtia ſalvat, & ſecurè nos deducit per omnia iſta tria pericula imò. dulcēreddit ſeperationem noſtram à creaturis, quæ adeò dura accidit hominibus hujus ſæculi; qui aſſveſcit quotidie ſe ſeparare à bonis, honoribus, & voluptatibus hujus vitæ ,ſi hora mortis adveniat, abſque difficultate deſerit id, quod poſſedit abſque affectu & adhæſione; in hac diſpoſitione erat S. Hieronymus ad extremum vitæ ſuæ, quando exclamavit: ô mors! quàm mihi pulchra es! quàm injuſtè te depingunt homines adeò deformem! talis nonniſi pro malis es, ex eo tempore, quo te amavit Salvator meus, etiam inter ipſa tormenta places, quia ſemper conjunctam habes ſpem felicis ac beatæ æternitatis; quod adeò dulcem ſancto huic Doctori reddidit mortem, erat ſanctiſſima euchariſtia, cui ſpeciali devotione addictus erat, quámque non aliter reſpiciebat, niſi ùt viaticum neceſſarium pro iſto grandi itinere ad æternitatem. *O eſca ſacratiſſima, quam verè comedens, Deus efficitur;* exclamabat hic S. Doctor; *ô ſacrum peregrinationis noſtræ viaticum, quo de hoc ſæculo neqnam pervenitur ad cæleſtis Jeruſalem conſortium; eja ergo fidelis anima; & gaude & epulare ; ne moreris, iis deliciis frui,* Euſebius de morte Hierom. 2do. euchariſtia facilem

cilem nobis reddit pugnam, quæ nobis ineunda eſt cum inimicis ſalutis noſtræ; verùm eſt, quò debilior eſt moribundus, eò fortiorem eſſe dæmonem, ac omnem conatum adhibere, ut eum ſupplantet, & dejiciat; ſed quando dignè communicavit & cum JEſu Chriſto de novo conjunctus eſt, prorſus diſarmatus eſt diabolus, nec habet amplius, unde ei nocere poſſit; *Dominus regit me, & nihil mihi deerit; in loco paſcuæ, ibi me collocavit.* ait tunc cum propheta; *ſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*, Pſ. 22. 1. & 4. Hic erat ſenſus S. Nicolai Tolentini, Surius in vita; deſidero, ajebat, accipere ſacrum viaticum, ut non deficam in hoc grandi itinere, quod mihi aggrediendum eſt; comedam panem hunc angelorum, ut, extrahendo me à mundo, & elevando de terra, ſuſtentet me, & transportet ſecum in cœlum, unde ille deſcendit; quia Salvatorem meum apud me, & mecum habeo, nullatenus timeo neque dolores mortis, neque inimicos ſalutis meæ; *Dominus mihi adjutor, & ego deſpiciam inimicos meos.* 3tio. quamcunque denique terribilia ſint judicia Dei, amabilia redduntur per hoc ſacrum viaticum; portamus, ut ità dicam, nobiſcum judicem noſtrum, qui etiam nobis eò favorabilior erit, quo majori ſollicitudine ſtuduerimus, illũ

devotè ſumendi per S. communionem; nō potes, Domine, me non agnoſcere, vel repellere eum, qui non ſolùm tibi præſentat imaginem JEſu Chriſti, ſed ipſum JEſum, Chriſtum Filium tuum, ſecum affert; libēter recipies in cœlum, ſervum fidelem, & prudentem, qui dignè in ſe receperit Filium tuum dilectum. En! quomodo ſanctiſſima euchariſtia nobìs ſerviat in hora mortis pro viatico! ſed quia accidere poſſet, ut pro tunc in ſtatu non ſimus, hoc ſacrum viaticum recipiendi, ideo aſſueſcamus durante adhuc vita iſta illam ſumendi per modum viatici, & ad hunc finem.

PUNCTUM II. Cûra 1mo. quolibet die ſacræ communionis ità communicare, acſi hoc ultima vice fieret; diſpone te tanta ſollicitudine ac attentione ad manducandum hunc divinum agnum, acſi pridiè ante mortem illum ſumeres, quemadmodum Chriſtus JEſus in vigilia mortis ſuæ ſuum comedit, & euchariſtiam ſumpſit, ſuìſque diſcipulis diſtribuit; imitabimur in hoc ſanctos martyres, qui per frequentem uſum hujus ſpiritualis cibi ſeipſos confortarunt contra appropinquantem mortem, & varias exinde ortas apprehenſiones, quod juxta S. Cyprianum ex principalibus effectibus ſanctiſſimæ euchariſtiæ unus eſt: *cùm ad hoc faciat euchariſtia, ut poſſit accipientib9*

eſſe

esse tutela, ait hìc S. P. epist. 54. *quos tutos esse, contra adversarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus.* 2. si sacerdotes sumus, ad hunc ipsum finem, & ex eodem spiritu Missam legere possumus; igitur recitentur devotè quinque illi psalmi in Missali assignati pro præparatione ad Missam, qui nobis & sanctas cogitationes, & salubria desideria de morte instillabunt; durante Missa, non sit nobis satís, tantùm annuntiare mortem JEsu Christi, prout apostolus nobis præscribit, sed petere debemus insuper gratiam bonæ & felicis mortis; plures sancti optarunt durante sacrificio vitam finire posse (crucifixi, ùt bonus latro inseparabiliter, cum Christo crucifixo) vide, ut ejusdem cum iis sis sensûs, & devotionis. Bone Deus! non solùm permissũ est mihi, vitam meam tibi sacrificare instar martyrum, sed tali modo insuper, ùt ipse JEsus Christus; siquidem unà mecum, Deum tibi offerre, & sacrificare possum, *sed &, si immolor, supra sacrificium gaudeo,* Philip. 2. 17. 3tio. si Christum JEsum in sanctissimo Sacramento visitaturi accedimuꝰ, assuescamus illum ibi considerare, ùt viaticũ nostrum, non solùm pro hora mortis, sed toto tempore peregrinationis nostræ; rogemus illum pro gratia hac, ut ante mortem recipere valeamus Sacramenta ab eccle-

sia

ſia ordinata pro iſto tempore, ut ità nos præmuniamus, & confortemus ad periculoſum hoc iter. Pro præparatione ad Miſſam vel S. communionem incipe adhuc hodie hæc ſancta exercitia, & praxin; & continua idipſum per totam vitam tuam; grãde medium hoc eſt pro præparatione ad bonam mortem; ita Domine, non aliter ſumam impoſterum hunc panem cœleſtem, niſi ùt viaticum, quo omnibus diebus vitæ meæ indigeo, ut in errorem illum non incidam, quem ordinariè major pars infirmorum committere ſolet, qui ad extremũ uſque, ultimam communionem ſuam differunt; præveniam ego tempus iſtud, & providebo mihi pluries, & toties, quoties poſſibile erit, de hoc ſacro viatico; ſi grave & periculoſum iter ingredimur, prudentiæ eſt, non exſpectare ultimam horam, quâ iter aggrediendum, proſpiciendi ſibi de neceſſariis ad iter, manducabo igitur panem hunc fortium, ut non deficiam in via, quæ me ad æternitatem perducere debet. Domine JEſu Chriſte, qui es panis angelorum, & cibus, ac refectio animarum ſanctarum, fac ut nil mihi ſapiat, præter te; *tuâ anima mea te eſuriat panem angelorum, & refectionẽ animarum ſanctarum; te ſemper ambiat, te quærat, te inveniat, ad te perveniat,* Orat. S. Bonav. poſt Miſſam.

FE-

FERIA SEXTA.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Luc. 14. 16.

De visitatione sanctissimi Sacramenti.

1. Diligentia & ſolicitudo viſitandi JEſum in ſanctiſſimo Sacramento.
2. Impatientia noſtra, dum in eccleſia ſumus.

PUNCTUM I. Conſidera ſub figura hujus hominis, qui fecit cœnam magnam, ad quam invitavit plures, Filium Dei, qui dum nobis dat corpus & ſanguinem ſuum ad manducandum & bibendum in ſanctiſſima euchariſtia, ſervos ſuos mittit, qui ſunt miniſtri eccleſiæ ſuæ, ut nos ad hanc menſam invitent; ipſe nos urget, & invitat non ſolùm ad manducandum corpus ſuum, ſed etiam ad adorādam divinitatem ſuam; hinc habitat in eccleſiis noſtris, & in altari, tanquam rex in palatio ſuo reſidet, in loco elevato, ut ſubditorum ſuorum viſitationes & homagia excipiat; huc vocat nos amor ſuus, ut effectus magnificentiæ, & liberalitatis ſuæ nos experiri, & percipere faciat. O quàm ſolliciti eſſe deberemus, exhibendi huic divino agno ſervitutem, & adorationem noſtram; qui in hoc ſtatu adeò humili coram oculis noſtris apparet, ille ipſe eſt, quem angeli, & beati omnes, in throno gloriæ ipſius

psius continuò adorant; quìque, ùt S. Joãnes ait, dignus est cum Patre suo divino accipere omnem laudem, honorem, & benedictionem; *sedenti in throno, benedictio & honor, & gloria, in sæcula sæculorum*, Apoc. 5. 13. 1mo. fideles ergo simus in visitando sanctissimo Sacramento, horis, & temporibus nobis præscriptis, vel prout ipsi nobis id præscripsimus, si ad ecclesiam accedimus, & illam intramus, aspiciamus, & consideremus Christum JEsum in sanctissima eucharistia, tanquam adoratorem Patris sui æterni; uniamus nos ipsi in omni oratione nostra, si à Deo exaudiri, & accessum ad eundem habere volumus; *per ipsum accessum habemus in uno spiritu ad Patrem*, Ephes. 2. 18. 2do. nil magni aggrediamur, quin prius consultaverimus hoc divinum oraculum, ne nobis idipsum contingat, quod Israëlitis, qui ab inimicis suis decepti fuêre, eòquòd neglexerint consulere, Dominum coram arca; *os Domini non interrogaverunt*, Josue. 9. 3tio. confugiamus ad illum specialiter in tempore desolationum, tentationum, pusillanimitatis, & similium miseriarum spiritualium, quibus hæc vita subjecta est; pro eo, quód auxilium, aut cõsolationem nostram quæramus in societate hominum, & hujus mundi voluptatibus, seu recreationibus; procidamus coram JE-

su Christo, exponendo illi necessitates, & indigentias nostras, & totius ecclesiæ, & in particulari parochianorum nostrorum, vel domûs nostræ, vel illorum, quorum causâ hanc visitationem in nos suscipimus; & inveniemus solatium in tribulationibus nostris, prout ipse Salvator noster nos de hoc securos & certos reddit; *venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam vos*, Matth. 11. Fuistíne ità sollicitus hucusque, visitandi JEsum Christum in sanctissimo altaris Sacramento? an non per integras septimanas neglexisti ei exhibere hoc obsequium servitutis tuæ? an non huic visitationi prætulisti visitationem affinium, & amicorum tuorum, quasi pro tempore perdito reputans illud, quod in templo insumpsisses? an etiam illo modico tempore, quo coram Christo JEsu in ecclesia fuisti, illam observasti modestiam, recollectionem, & reverentiam, quæ magnitudini & majestati regis regum competit? adorastíne illum secundùm duplicem statum illum, quo in hoc mysterio existit? magnum, & humilem? sublimem & inglorium? si hoc examen instituere vis, invenies haud dubiè, si fiat, prout oportet;

PUNCTUM II. Nonnisi impatientiã, & distractiones; & quàm indignè à majori parte christianorum, imò etiam clericorũ

ibi tractetur. Quot sunt ecclesiæ, in quibus Dei Filius, solus & unicus, in ciborio abscondítus, in tabernaculo inclusus habitat? quid magìs desertum, & minùs visitatum, quàm ecclesiæ quædam rurales, quas quãdoque per integram septimanam nullus invitat? sed loquamur hìc solùm de iis, qui videntur habere aliquid devotionis pro sanctissimo Sacrãento hoc; qualis torpor in facienda ista visitatione? quantæ distractiones in ipsa actuali visitatione? vix aliquãto tempore, vel momentis, ibi manetur, statim tœdium subrepit; omnia alia tolerantur, præterquam hoc, ut quis coram sanctissimo Sacramento aliquanto tempori perduret; *solius Dei impatientes*, dicebat olim Tertullianus; sustinemus molestias, & incommoditates non modicas, quamvis per integrum diem durent; nolo aliquid dicere, de conventibus sæcularium, ubi plures horæ transiguntur in continuo quasi statu violento, & obligato, sufficit hoc solum dicere, civilitatem quamdam humanam, vel politiam nos patientiores reddere, quàm religionem; quia siquis fortè alicui societati, conventui valdè displicenti & fastidioso intersit, toto tamen tempore, quantum necessarium esse putamus, ibi manetur; & quidem quoad externam speciem, taliter comparati in vultu, ac gestibus nostris, acsi

omni-

omnimodam ibi satisfactionem nostram reperiremus, & haberemus; præcisè in societate & præsentia sanctissimi Sacramenti nullam habere volumus patientiam; sumq ibi, quasi catenis & funibus ligati; sit verbo venia, quod ex aliquo sanctorum patrū desumpsi; verbô, adeò fastidimus ecclesiā, & tœdiô in illa afficimur, ut post gestus, & compositionem corporis indecentem præmissam, postéa vel dormiamus, vel sedeamus; & quia amplius non scimus, quid híc facere debeamus, recedimus cum fastidio ex ecclesia, adeò quidem, ut pro pæniten- tia in confessionali quibusdam imponi debeat, visitandi quamdam ecclesiam, ibíque certô spatiô temporis manendi in oratione coram sanctissimo Sacramento. Bone Deus! quid hoc! anne pœnitentiæ loco, & quidem non minimæ, nobis sit, manere aliquot momentis coram, & apud te! interim tu patientiam habes, & nil dicis contra impatientiam nostram adeò peccaminosam, quam coram te ostendimus, & ex infinita bonitate tua toleras eos, qui ex fastidio quodam, & nausea planè sacrilega te sufferre non possunt! ahDomine! meremur sanè eandem exprobrationem olim Judæis factam; *O generatio incredula, & perversa, quousqe ero vobiscum? usquequo patiar vos?* Matth. 17. 16. Pro præparatione ad Missā

vel communionem; pete veniam à Deo, quòd toties deliqueris in puncto adeò essentiali religionis nostræ. O Domine, quis non ingemiscat, si videat ecclesias tuas desertas, altaria tua derelicta, dum interim principes hujus mundi, numeroso servitio, gaudent, & aulæ, ac palatia illorum, frequentissimo hominum concursu, gloriantur! qualis confusio pro nobis, quòd adeò te quasi fugiamus, quem pro Deo, ac Domino nostro agnoscimus! O JEsu, qui delicias tuas reputas, vivere inter filios hominum, cur non pariter deliciæ meæ sint, tecum esse, & cor meum, in tua præsentia effundere? ah immuta, ô Domine, cor meum, & sensum meum, & deinceps non aspirabo, nisi ad tabernacula tua; totùmque, & unicũ gaudium meum erit, tecum in ecclesia esse posse; *quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum? concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini*, Ps. 83.

DIE SABBATHI.

Et misit servum suum, horâ cœnæ, dicere invitatis, ut venirēt, quia jam parata sunt omnia, & ceperunt simul omnes excusare. Luc. 14. 17.

De frequenti communione.

1. Optandum, ut frequenter communicemus.
2. Excusationes illorum, qui rarò communicant.

PUNCTUM I. Incivilis illa repulsa, quam tulit paterfamilias

lias ab iis, quos ad cœnam suam invitavit, imago est valdè expressiva ingratitudinis tot christianorum, qui ad sacrum conviviũ eucharistiæ venire negligunt, ad quod nos Salvator noster tanto cum amore, & bonitate invitat, dicendo per os Sapientis. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis*, Prov. 9. 5. En, quomodo te vocet ad mensam suam, velítque te nutrire, & reficere propriâ suâ substantiâ; quô desideriô ardere deberes fruendi hoc honore, quô te afficit? qua aviditate tangi, ut fruaris pane hoc vivo, de cœlo descendente, qui animam à morte præservat, & suo tempore etiam corpori vitam suam restituet; ah Domine, siquidẽ sanctissima eucharistia cibus & potus est animæ meæ, noli permittere, ut meipsum ex negligentia aliqua privem illâ! sit unicum desiderium, & solicitudo mea, dignè me præparandi ad illius sumptionem! *unus sit nobis dolor, hâc escâ privari*, Chrisost. hom. 60. Vide nunc, utrum sincerum habeas desiderium sæpiùs communicandi? an in te videre est illud desiderium, illud gaudium, quod testatus est Zachæus, quando ad eum dixit JEsus: *hodie in domo tua oportet me manere? & festinans descendit, & excepit illum gaudens*; intellexistíne benè, quòd cùm JEsus Christus sit in eucharistia, panis quotidianus, juxta

mentem SS. nullus etiam dies esse debeat, quo non desideremus eum sumere? S. Aug. serm. 42. in hom. 5. & quòd desiderium istud, si verum sit, nos obligare, & inducere debeat, ad ità puré, & sanctè vivendum, ut non mereamur à sacro altari repelli; *sic vivamus, ut ab altari tuo non separemur*, ibid. Persuasistíne populo tuo frequentem usum S. communionis? ostendistíne zelum quēdam contra ejusmodi indifferentistas, quibus parum curæ est, an communicent, & fortè integrum annum exspectant, quousque panem hunc quotidianum sumant? *si panis quotidianus est, cur post annum sumis illum? accipe quotidie, quod tibi quotidie prosit*; verùm quia nimis quàm multi sunt, qui, nescio, quos prætextus afferunt, ut seipsos dispensent, & eximant à frequenti usu hujus sanctissimi Sacramenti;

PUNCTUM II. Considera quænam sint illorum excusationes? non sunt minùs frivolæ quàm illorum, qui in evangelio dicuntur fuisse invitati ad cœnam magnam; *villam emi*, dicebat unus ex illis, *necesse habeo, videre illam*; iste est figura hominis cujusdam ambitiosi, qui aliud non quærit, quàm ut videatur ab hominibus, & ut se ab aliis distinguat in mundo; *vocaverunt nomina sua in terris suis*, Ps. 48. 12. aliud non cogitant, nisi quomodo se, & sua stabiliāt; alti-

altiùs ascendant; officia obtineant; beneficia pinguiora assequantur; & cùm ità occupatam ejusmodi ambitiosis cogitationibus, & intentionibus mentem habent, facilè negligunt mensam Domini, & frui nolunt honore illo, ad quem illos invitat, *pretium meum cogitaverunt repellere*, Ps. 61. 5. *Juga boum emi quinque*, alius dicebat, *& eo, probare illa*; repræsentat iste hominem avarum, qui taliter occupatus, & sollicitus est, acquirere bona ista terrena, ut facilè cœlestia oblivíscatur; repræsentat clericos illos, qui meliorem partem vitæ suæ transigunt, emptionibus, venditionibus, litibus; & ut reditus suos, per laborem quemdã, aut commercium mechanicum augeant, quos potiùs quæstores, publicanos, aut mercatores, seu negotiatores, esse dixeris, quàm sacerdotes, & ministros JEsu Christi; negotia, & curæ sæculares, amor lucri & pecuniarum, & fortè ipsæ etiam injustitiæ, ac obligatio, quæ exinde consurgit, eas resarciendi, & restitutionem faciendi, sæpè eos impediunt, ne frequenter ad communionem accedere, vel Missam legere valeant, & si illam legunt, ordinariè id ab ipsis solummodo ex quodam avaritiæ spiritu fit, ut aliquid lucrentur, vel suis pecuniis parcant, & sumptibus divini sui magistri vivant, ùt Judas fecit, de quo scriptum est,

fur erat, & loculos habens. Denique 3tius ex invitatis cōvivis excusat se sic: *uxorem duxi, & ideo non possum venire*; indicat amorē & affectum erga voluptates carnales: infelix excusatio! excusatio à Deo reprobata, & exclusione à regno cœlorum, quod cœnaculum hujus convivii est, punita! quàm frequens tamen his nostris temporibus! vellent homines libenter frequentiùs communicare; verùm quia sciunt, quòd se subtrahere debeant à tali vel tali societate, ab hac sensualitate, ab hoc inordinato affectu & amore, hinc malunt elongare se ab hac sancta mensa, quàm ut suis passionibus renuntient, quæ eis dominantur, & Deo illas sacrificent; nonnisi disgustum & nauseam, imò contemptum habent erga hoc manna cœleste, quia cor suum affixum habent vilibus Ægipti cibis; amant nonnisi semetipsos, & propriam suam carnem; hinc parùm vel omninò non amant sacratissimam carnem Christi JEsu; *nauseat anima nostra super cibo isto levissimo*, Num. 21. 5. Verùm ego timeo, ne indignè communicem in hoc statu, in quo me esse invenio, intimâ amicitiâ huic personæ conjunctus sum; èstque illa tam amabilis, ac tam blandè irrepit in animum meum, ut nesciam, quomodo me ab illa separare valeam; audi nunc, quid S. Augustinus serm. 57. de temp. N. edit. 255.
in

in append. tibi respondeat; *si quis indignum se communione eucharistica putat, dignum se esse faciat; quomodo errores pristinos relinquat, pœnitentiam petat, satisfactione mundetur;* deduc motiva ista in praxin; utilitas, quā ex frequenti communione trahimus, meretur certè, ut quis sibi ipsi aliquam violentiā inferat. Pro præparatione hodierna ad Missam, roga Christum JEsum, ut tibi donare dignetur novum fervorem & ardorem pro sacra communione; Domine Deus, qui es panis angelorum in cœlo, & talis etiam esse vis pro hominibus super terram, concede nobis eandem aviditatem, quam spiritꝰ hi cœlestes habent; continuò te comedunt, & manducant sine fine, quin propterea satientur; fiat etiam idipsum nobiscum Domine JEsu, fac, ut nunquam obliviscamur comedere panem hunc angelicum, quem etiam hominibus in cibum esse voluisti, & hujus oblivio, causa & occasio esse potest, perdendi omninò omnem sensum devotionis, & pietatis; *percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum,* Ps. 101. 5.

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN.

Humiliamini ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore viſitationis; omnem ſolicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis. 1. Petri. 5. 6.

DE CONFORMITATE, & SUBMISSIONE VOLUNTATIS NOSTRÆ CUM DIVINA.

1. Sum9 in hoc mundo, ut voluntatem Dei faciam9.
2. Qualia ad hoc faciendũ media arripere debem9?

PUNCTUM I, NOn eſt ulla obligatio tam eſſentialis homini, quàm iſta, quam nobis S. Petrus hìc præſcribit, nempe, ut nos humiliemus ſub omnipotenti Deo; ipſius diſpoſitiones, & providentiam adoremus; omnem inquietitudinem, & ſolicitudinem noſtram in ſinum ipſius projiciamus, ac ex integro nos eidẽ ſubjiciamus; hoc illud ipſum eſt, quod Chriſtus nos docuit in oratione illa, quam apoſtolis ſuis præſcripſit, in qua quotidie dicimus: *fiat voluntas tua*; exemplum de hoc ipſo, ſtatim à primo momento, quo in hunc mundum intravit, nobis dedit; ſiquidem primus uſus voluntatis ſuæ erat, ut eam voluntati Patris ſui ſubmitteret, prout ipſe per prophetam & S. Paulum teſtatur; *ecce venio, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus*, Pſ. 39. 8. Hebr. 5. 9. Et ſi toties idipſum repetiit, non faciebat id ſolummodò, ut oſten-

deret, qualis esset interior cordis sui dispositio, & præparatio, sed insuper, ut doceret nos, quòd neque nos ex alia causa in hunc mundum venerimus, quàm ut faciamus etiam voluntatem Dei. Exerce hìc actum fidei circa hoc; crede, sed viva fide, te in hoc mundo non esse, ut tuam propriam, sed voluntatem illius facias; te non vivere, ut divitias congreges, beneficia obtineas, voluptates sequaris, passionibus tuis satisfacias; hoc enim esset errare à via, & in perditionem ire; *non enim, qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt*; Ps. 118. sed, ideò te vivere, ut facias id, quod Deus à te petit, in illo statu, conditione, & loco, in quibus providentia illius te posuit, adeò, ut christianus quicunque, prout S. Petrus alibi dixit, *jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne, vivat temporis*, 1. Petr. 4. 2. Esne ità comparatus, & dispositus? potèsne dicere cum propheta regio, quòd aliud non quæras, quàm obedire Deo in omnibus? *in toto corde meo exquisivi te, ne repellas me à mandatis tuis*, Ps. 118. Esne contentus manere in statu illo, in quo illius providentia vult esse, sivè deinde in honore, sivè contemptu, sivè in infirmitate, sivè in sanitate, prosperitate, aut adversitate? benedicendo Deum in omnibus absque murmuratione, aut que-

re-

rela? *obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti*, Pſ. 38. 10. Ah! quàm longè adhuc ab hoc abes, ut in tali ſubmiſſione, & ſubjectione vivas? reforma igitur, & emenda tuum modum agendi, aut loquendi; *reformamini in novitate ſensûs veſtri, ut probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta*. Et

PUNCTUM II. Conſidera, haud ſufficere, ſi in generali, aut communi, ſcias, nos facere debere voluntatem Dei; oportet inſuper media arripere, hoc exequendi, & faciendi; primum eſt, rogare Deum inſtanter, ut gratiam nobis iſtam concedat, agnoſcendi, & faciendi omne, & totum id, quod ipſe à nobis requirit; *notam fac mihi viam, in qua ambulem; quia ad te levavi animam meam*, Pſ. 142. Hinc legimus in actibus apoſtolorum primum illud, quod divina gratia S. Paulo inſpiravit, dum eum perfectè cõvertit, fuiſſe, ut diceret, Chriſto JEſu: *Domine, quid me vis facere?* Act. 9. 6, Nota, apoſtolum non dicere, nec petere folùm generaliter á Deo, quid fieri debeat, & ad quid faciendum quilibet chriſtianus ſit obligatus, ſed ad quid ipſe, in particulari, faciendum teneatur? ſecundum eſt, quòd quis ad particularia, ſeu fines proprios, quos Deus nobis præfixit, descendere, & attendere debeat; quia non petit Deus à paſtore idi-

psũ, quòd à religiosis; nec à religioso, quod à sacerdote, seu parocho requirit; ut igitur voluntatem Dei cognoscas, & agnoscas, studere debes, ut intelligas obligationes tui status, & vocationis; & tunc videbis, quales hæ sint, & quid à te Deus exigat, & exspectat? *quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper*, Eccles. 3. 22. consilium ac monitũ est, quod nobis Sapiens dat; pariter voluntatem Dei quærere, & agnoscere debemus, in voluntate, & ordinatione superiorum nostrorum; quid necessitas, vel utilitas aliorũ à nobis petat, & generaliter attendere diversos casus & eventus, qui à Dei providẽtia permittuntur, & regulantur. Denique tertium medium, quod excellentissimum etiam quoddam pietatis, & devotionis exercitium, & utilissimum ex omnibus est, in quo se clericus exercere possit, est, ut nos quotidie de mane offeramus Deo ad implendam illius sanctissimam voluntatem, dicendo, cum devotione possibili: *utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas*, Ps. 118. Idipsum facere studeamus ad initium cujuslibet actionis vel negotii per diem, in unione illius, quod Christus JEsus fecit in principio vitæ suæ, & quod continuavit per singula momenta, & actiones suas, prout ipse hoc testatur, quando dicit: *quæ placita sunt ei, facio semper*, Joan.

8. 29. Uniamus igitur; & conjungamꝰ nos, cum hoc divino exemplari, & ſtudeamus in omni actione noſtra, Deo placere; neque ullam incipiamus, quam non ſanctificemus, illam offerendo Deo noſtro, per Dominum noſtrum J. C. id, quod eccleſia optat fieri ab omnibus fidelibus, præſertim à clericis, quibus in officio divino ad Primam præſcribit, ut dicant, ſiquidem Deus eos feciſſet, per ſuam omnipotentiam ad principiũ diei venire, pariter faciat per gratiam ſuã, ut omnia verba, cogitationes, & opera eorum, per ipſum dirigantur, & diſponantur ad implendam legem, & juſtitiam illius. En hìc media aliqua, ut adimpleas in terra voluntatem Dei, quantum in hac terra fieri poteſt; reflecte te ſuper illa feriò, antequã ad altare accedas, & in præparatione tua ad Miſſam pete à Deo hanc gratiam, ut ea exequi, & ad praxin perducere valeas; *doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu*, Pſ. 142.

FERIA SECUNDA,

Sobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens, quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide. 1. Petr. 5. 8,

DE TENTATIONIBUS DIABOLI.

1. Quomodo nos tentat.
2. Quomodo ei reſiſtendum?

PUNCTUM I. VUlt eccleſia, ut verba iſta quotidie in Completorio repetamus, ut nunquam obliviſcamur pericula, quibus in hac vita expoſiti ſumus; ubi dæmon, tanquam leo rugiens inceſſanter circumcurſat, ut nos tẽtet & perdat; gratias Deo agamus, quòd ſanctæ huic matri noſtræ inſpiraverit, dare nobis monitum tam ſalutare, & curemus exinde proficere; memores itaque ſimus, quòd maximus adverſariorum noſtrorum, quos hoc brevi tempore, quo in mundo vivimus, habeamus, ſit diabolus; *væ terræ, & mari*, ait S. Joannes, Apoc. 12. *quia deſcendit diabolus ad vos; habens iram magnam; ſciens, quòd modicum tempus habet*; tentat nos variis, viis, ac modis; maximè autẽ 1. per paſſiones illas, quæ in nobis præ aliis dominantur; callidus iſte adverſarius & inimicus noſter conſiderat naturam, & complexionem noſtram, ac diverſas inclinationes, ait S. Gregorius, l. 14. mor. c. 7, cujus verba ſunt: *intuetur inimicus generis humani, uniuscujuſque mores, cui vitio ſint propinqui, & illa apponit ante faciem, ad quæ cognoſcit faciliùs inclinari mentem; ibi ergo decipulam ponit, ubi eſſe ſemitam mentis conſpicit*; & ità caput hoc omnium impiorum, guſtandam præbet dulcedinem, & incantationem ſuam unis per ſuperbiam, aliis per

men-

mendacium, aliis per luxuriam, & sic de aliis vitiorum speciebus loquendo, ut eos veneno suo inficiat, prout alibi idem S. ait: *quot ergo vitia carnalium cordibus inserit, quasi tot potus suæ eis dulcedinis porrigit*, l. 15. mor. c. 38, 2do. tentat nos dæmon per consuetudinem seu usum præsentis sæculi, utpote *princeps* hujus mundi; *Deus hujus sæculi*, 2. Cor. 4. 4. Ephes. 6. 12. vult, ut vivamus secundùm morem & doctrinam sæculi; *hinc accidit, quòd peccata, quamvis magna, & horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse credantur;* sic Augustinus, Enchirid. c. 80. in eodem sensu ait S. Gregorius l. 7. epistol. epist. 119. id, quod secundùm rationem illicitū esset, per consuetudinem licitum fieri; hinc tot novitates in suppellectili & vestibus cernimus, pro quibus tot expensæ fiunt inter sæculares, quos nequidem ipsi clerici erubescunt imitari, quia omnia hæc palliant prætextu modernæ consuetudinis, & usûs; *fit consuetudine licitum, quod ratione constat esse illicitum.* 3tio. tentat nos per exemplum eorum, qui, cùm oratione professionis suæ, & ex obligatione statûs sui, Deo consecrati sint, omninò sæculariter, mundanè, & gentiliter vivunt, procurat nempe perdere christianos per exemplum ipsorūmet christianorum; *exemplô christianorum suffo-*

suffocat christianos, ait S. Augustinns in Ps. 93. sed quid non facit per malam doctrinã, & perversos mores clericorum, qui sub habitu sancto spiritum hujus sæculi nutriunt, & fermè iisdem passionibus subjecti, eadẽ penè crimina committunt, ac ipsi sæculares? facilè creditur haud esse malũ, si fiat, quod dicunt, aut quod ab ipsis fieri videtur; nemo sibi imaginetur sacerdotes, aut religiosos, die ac nocte, ministerio suo sacro occupatos, alios decipere velle; *homo sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos*, 1. Machab. 7. 14. En quales laqueos nobis ordinariè tendat diabolus; videamus modò, quomodo ei resistendum.

PUNCTUM II. S. Petrus tria nobis media suppeditat ad resistendum tentationibus diaboli. 1mũ est sobrietas, *sobrii estote*; passiones nimirum nostræ sunt, ùt vidimus, quæ dæmoni serviunt ad nos tentandos; quæ illis arma suppeditant, & machinas, quibus utitur, ut cor nostrum in suam potestatem redigat; si conatibus illius resistere volumus, oportet eas domare per tẽperantiam, seu sobrietatem, quæ supra omnes sensus nostros regnet; specialiter in tentationibus castitati nostræ contrariis; debemus tunc observare exactam frugalitatem; occupare nos sanctis cogitationibus; ante omnia passionem D.N.J.C. mente re-

colere, qui tanta sustinuit, & passus est ad expiandam sensualitatem & mollitiem peccatoris, dicendo sæpius, cum quodam sancto: *Dominus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo?* for. hom. vitæ inter opera Bernardi. tom. 5. p. 796. 2dum. est vigilantia, quæ nobis adeò commendatur in evangelio, *vigilate*; necessaria nobis illa est, ut videamus, quid in nobis agatur; *attendite*, ait nobis JEsus Christus. Luc. 21. 34. *ne fortè graventur corda vestra in crapula, & ebrietate*; necessaria nobis est ad detegendos laqueos diaboli; *vigilate, ne intretis in tentationem.* Denique necessaria nobis est, ut propriam infirmitatem & corruptionem naturæ nostræ agnoscamus, & ad auxiliū gratiæ divinæ, unde nostra fortitudo derivatur, recurramus, dicendo cum propheta regio Ps. 24. 15. *oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* 3tium medium, quod princeps apostolorū nobis præbet, ad resistendum diabolo, fides est; *cui resistite fortes in fide*; per hanc enim incipimus, & pergimus vincere illum in hoc mundo, in Christo, cum Christo, & per Christum, qui est brachium, virtus, & potestas Patris; fides est, quæ in ultima victoria illum destruet, quam electi tunc de illo reportabunt; *in omnibus igitur sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi*

simi ignea extinguere, Ephes. 6. 16. Pro praeparatione ad Missam, roga Christum, ut in auxilium tibi venire dignetur in omni praelio, quod inimicus salutis tuae contra te ciere posset; & dic ad eum in sacra communione: *pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me*, Job. 17. 3. Domine Deus meus, qui permittis, ut toties in hac vita simus tentati, sed pugnas nostras non multiplicas, nisi ut pariter coronas nostras multiplices, conforta me per gratiam tuam, ut benè utendo mediis illis, quae nobis subministrasti ad vincendum tentatorem, dicere valeam idipsum, & cum pari gratitudine, quod apostolus tuus 1. Cor. 15. 57. dixit: *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum JEsum Christum.*

FERIA TERTIA.

Deus autem omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam in Christo JEsu, modicùm passos ipse perficiet, confirmabit solidabitque. 1. Petr. 5. 10.

De modo, quo Deus nos inter mala vitae hujus conservat.

1. Abbreviat illa.
2. Consolatur nos. 3. Patientiam nobis dat ad illa toleranda.

PUNCTUM I. Finit S. Petrus hanc epistolam per talia verba, quae sanè animum nobis addere debent

ad patientiam; docet nos, Deum adeò plenum esse amore & bonitate erga nos, ut inter mala vitæ hujus & adversitates nos conservare velit, talia abbreviando; *modicùm passos*, & moderando, seu proportionaliter ad infirmitatem nostram talia permittendo, nihilominus non vult nos omninò eximere à tribulationibus, hoc enim nec justum, imô neqve utile nobis esset; quia cùm simùs peccatores, debemus experiri justitiam ejus; congruum est, ut nos percutiat, hocipsum facit, ùt pater, qui filios suos castigat, non ùt judex, qui reos cōdemnat, ait S. Augustinus in Ps. 79. *ità planè irasceris, ùt pater corrigens, non ùt judex damnans*; si agnoscat, nimis nos esse debiles, ac infirmiores, quàm ut gravia mala toleremus, exponit nos solummodò tentationib9 quibusdam humanis, ac levibus afflictionibus, quia ùt apostolus 1. Cor. 10. 13. ait; *fidelis Deus, qui non patitur vos tentari supra id, qnod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*; omninò in hoc medicum imitatur, qui cognita magna debilitate ægroti tam cautè cum illo procedit, ac fieri potest; non præscribit illi media violenta, sed satìs habet, si ei præscribat potiones quasdam dulces, & proportionatas, modicis ejusdem viribus; id, quod agnovit propheta, quando ad Deum ,dixit;

cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis, in menſura, ibid. vult dicere juxta expoſitionem S. Auguſtini: *ipſa menſura eſt, ut erudiaris, non ut opprimaris;* mirare hìc Dei bonitatem, & cura te illi propterea gratum exhibere.

PUNCTUM II. Non ſolùm conſervat nos Deus in malis noſtris, & adverſis, ea abbreviando, ſed etiam interius nos conſolando, quando talia toleramus; *modicùm paſſos, ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabìtque;* non loquor hìc de conſolationibus humanis, ſeu ab hominibus provenientibus, qui nequidem capaces ſunt, ut nos conſolentur; *conſolatores oneroſi omnes vos eſtis,* Job. 16. 2. non loquor hìc, niſi de illis, quas Deus effundit in animas illorum, qui amore ipſius quidquam patiuntur. O quis exprimat gaudium illud, quod tales experiuntur in medio afflictionum! *ſecundùm multitudinem dolorum meorum conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam,* Pſ. 93. Verùm ex omnibus conſolationibus, quæ tolerantiam paſſionum in ejuſmodi animabus dulcem reddere poſſunt, dulciſſima & amabiliſſima illa eſt, quando Spiritûs S. teſtimoniũ intra ſe habent, quòd pro JEſu, & cum JEſu patiantur ea, quæ tolerant; ità conſolabatur S. Petrus primos chriſtianos, qui in diverſas provincias ejecti fuerant, rati-

one persecutionis & martyrii S. Stephani; *charissimi*, ait, 1. Petr. 4. 12. *nolite peregrinari in fervore, quasi novi aliquid vobis contingat! sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes*; hocipsum erat, quo seipsū consolabatur S. Paulus, & unà etiam fideles, quos Deus per ministerium illius ad fidem convertit; *benedictus Deus & Pater D. N. J. C.* dicebat, 2. Cor. 1. 4. *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui nos consolatur in omni tribulatione nostra, ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per eandem consolationem, quâ Deus consolatur nos, quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ità & per Christum abundat consolatio nostra.* O si ità patienter toleraremus ejusmodi mala, prout apostolus, quantam consolationem, quale gaudiū experiremur?

PUNCTUM III. Conservat nos insuper Deus in pressuris nostris, donando nobis patientiam, ut talia pati christianè valeamus; si nobis gravia, & quasi importabilia esse videantur, alio opus non est, quàm ut voluntati divinæ nos subjiciamus; tunc enim facilia & levia esse inveniem9; *verumtamen Deo subjecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea*, Ps. 61. 6. Clericus, qui in tali submissione vivit, haud conque-

ti-

ritur, quidquid ei accidat; paſtor ità Deo ſubjectus non ſuccumbit gravaminibus illis, quibus injuſte afficitur, & gravatur in ſua parochia; non deprimunt eum injuriæ, calumniæ, aut ſimilia, quibus vita ipſius expoſita eſt; imò ſunt potiùs illi objectum, & cauſa gloriæ; contemnit talia, vel potiùs conſiderat illa, tanquam vera bona, quæ in ipſo patientiam cauſant, & omnes reliquas virtutes, per quas ad Deum pervenitur, *non ſolùm autem,* ait S. Paulus, Rom. 5. *ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes, quòd tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem &c.* Felix anima, quam Deus facit invenire hæc cōmoda, quorum cauſa exiſtunt tribulationes, & adverſitates, ſi de manu Dei ſuſcipiuntur; accede hodie ad altare, ut petas à JEſu Chriſto gratiam benè & fructuosè tolerandi, quidquid nos amore ſui pati, & ſufferre vult; agnoſcamus maximum favorem, & gratiam, quam nobis conferre poſſet, ſi unà ſecum nos ad montem calvariæ perducat; non ſufficit cognoſcere, & agnoſcere ſolummodò Dei Filiū ſecundùm carnem, prout eum oculis ſuis viderunt Judæi in Jeruſalem, qui manducaverunt, & biberunt, ac converſati ſunt cum illo, neque tamen propterea ſancti evaſerunt, ſed ut quis diſcipulus ejus ſit, oportet eum a-

gnoſcere in cruce, ubi vix ullus eum ſequi vult; ſi animum habeamus, aliquid pro ipſo patiendi, prout ille pro nobis paſſus eſt, tunc dicere poterimꝰ, cum S. Ignatio martyre: *nunc incipio Chriſti eſſe diſcipulus, nihil de iis, quæ videntur, deſiderans, ut JEſum Chriſtum inveniam: ignis, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diviſio, totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantùm ut Chriſto fruar*, Epiſt. ad Rom.

FERIA QUARTA.

Erant appropinquantes ad JEſum publicani & peccatores, ut audirent illum; & murmurabant phariſæi dicentes, quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Luc. 15, 1. & 2.

De misericordia DEI erga peccatores.

1. Exſpectat illos ad pænitentiam.
2. Invitat illos. 3. Recipit illos.

PUNCTUM I. DUm legimus in evangelio, publicanos & peccatores appropinquaſſe Chriſto Domino, ut eum audirent, & divinū hunc Salvatorem tanta bonitate eos recepiſſe, ut nec dedignatus quidem ſit cum iiſdem cōverſari, & manducare cum illis, ut eos ad ſe attraheret, quid melius facere poſſumus, quàm admirari hìc miſericordiam Dei erga peccatores? 1mo. exſpectat illos ad pœniten-

tentiam, ut sic eos ad illam faciendam inducat; *exspectat Dominus, ut misereatur vestri*, ait Isaias, cap. 30. 18. tolerat, quòd peccator aberret; quòd se à Deo elonget, ut currat vias invias & desertas, nec verbulum dicit. O Domine! *ibam longius, & recedebam à te, & non fugiebas!* exclamat hìc S. Augustinus, l. 2. conf. 2. loquens de excessibus juventutis suæ. Ah! Domine quotidie magis ac magis me à te elongabam; omnes gressus mei, omnes motus totidē erant lapsus, in nova præcipitia; accendebantur passiones meæ semper magis, & tu patientiam habebas; *& non fugiebas!* Ah! patientiam infinitam Dei mei! tot anni sunt, quòd te offendimus, & tamen nondū nos punivisti, prout meruimus; exspectas nos, quemadmodum fecisti olim illis hominibus incredulis, qui tandem periêre dein aquîs diluvii; & quare exspectat nos, quærit S. Petrus, ideò, quia neminem vult perire, sed ut ad illum revertamur per pœnitentiam? *patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*, 2. Petr, 3. 9. Utere hoc motivo, ut Christo JEsu appropinques, & ut alios quoque ad eum perducas; dic cum S. Paulo, Rom. 2. 4. quid? *an divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnitis, ignoratis, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam*

vos adducit? disce pariter ex hac Dei patiẽtia exspectare peccatores, ut non deficias in laborando pro eorum conversione, & ut nunquam desperes de illis: quorum salus maximè desperata videri posset, prout S. Bernardus in Cant. serm. 10. loquitur: *non sunt, quamdiu hìc sunt, quantumlibet vivant desperati*; nam

PUNCTUM II. Non solùm exspectat illos Deus ad pœnitentiam, sed etiam ad hanc illos invitat; en! quomodo Christus JEsus ad illos loquatur, Matth. 11. 28. *venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Peccatores! lassati estis vos in via iniquitatis; redite ad me; ego consolabor vos, venite, & gustate, quã suavis sit Dominus; quàm leve jugum illius, & quàm illius mandata amabilia! Deus tam bonus, & Pater misericordiarum rogat illos, instat, & omnia media adhibet, ut eos ad se reducat; adhibet remorsus conscientiæ; vocem prædicatorum; exhortationes, & admonitiones confessariorum, consilia amicorum, persecutiones inimicorũ; prospera & adversa; bona & mala hujus vitæ, ut nos lucretur; & si inflexibiles permaneant, etiam lacrymas fundit, quemadmodũ fecit supra infidelem Jerusalem civitatem; & tu, qui hoc honore gaudes, ut sis minister illius, quid fecisti hoc toto tempore,

quo hanc parochiam administras, ut revocares peccatores ab errore viæ suæ? scio quidem optimè, tuum non esse, ùt S. Chrysostomus Hom. 15. in Matth. ait, liberare peccatorem à putredine peccati; benè tamen, adhibere diversa media, ut à corruptione desistat, & magìs non corrumpatur; *liberare à putredine peccatorum, Christi virtutis est; ut autem ad illa non revertantur, apostolorum curæ est, ac laboris.*

PUNCTUM III. Denique postquam peccator se convertit, misericordia Dei tam magna est, ut eum recipiat, & omnia peccata commissa dimittat; nil amplius objicit tali animæ pœnitenti, quæ in viam virtutis revertitur; obliviscitur omnium præteritorū excessuum; *tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ed me, dicit Dominus, & ego suscipiam te,* Jerem. 3. 1. vide, quanta bonitate recipiat Salvator peccatricem, de qua S. Lucas loquitur, quæ se ad illius pedes projecit; adeò illam à se non repulit, vel ei exprobravit excessus, quos commisit, ut potiùs defensionem illius contra pharisæum in se susceperit, qui eam condemnavit, laudavit eam, quòd pedes suos lacrymis rigaverit; & protestatur, multa illi peccata dimissa esse, quoniā dilexit multùm. O divine Salvator! bonitas tua infinita planè fascinat me! ut ità dicam;

cam; *quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine*, Pſ. 30. quando tandem hoc fiet, ut illam imiter? examina te nunc, quomodo tu hucuſque peccatores tractaveris? habuiſtìne illam compaſſionem cum illis qualem ac quantam illorum ſtatus miſerabilis meretur, in quem per peccata ſua lapſi ſūt? ſubveniſtíne illis, ut eos corrigeres, ità, quemadmodum miſericors Deus tecum egit, ut te emendares dicendo cum propheta regio, Pſ. 85. *miſericordia tua magna eſt ſuper me, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori.* an non illos à te repuliſti, ità ut nequidem confeſſionem eorum audire volueris? an non durè & aſperè eos tractaſti, eos increpando uſque ad deſperationem? pete veniam à Deo eorum, quæ in hac parte commiſiſti, & deliquiſti; & pro præparatione ad Miſſam roga JEſum Chriſtum, ut! dum tibi dat ſanctiſſimum corpus ſuū, pariter etiam cordi tuo imprimat viſcera miſericordiæ ſuæ, ut eâ ſemper, & ubique in omnibus exercitiis, & functionibus miniſterii tui, indutus appareas; *induite ergo vos, ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam*, Coloſſ. 3. 12.

FE-

FERIA QUINTA.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves; & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat illam? Luc. 15. 4.

De ove perdita.

1. Non omnes fuimus oves perditæ.
2. Christus JEsus, pastor bonus venit, quærere nos.
3. Quàm grati propterea illi esse debeamus.

PUNCTUM I. AGnoscamus humiliter coram Deo, nos fuisse ovem hanc perditam, de qua hodiernum evangelium loquitur; dicamus cum Davide; *erravi sicut ovis, quæ periit,* Ps. 118. O utinam tam felices essemus, ut idipsum, eodem spiritu, ac cum iisdem suspiriis & lacrymis, cum hoc rege pœnitente dicere possemus! omnes igitur in errore fuimus; non loquor solùm de illo, in quo nati sumus, quíque communis est omnibus Adam filiis, & descendentibus; loquor de errore, & elongatione voluntaria, in qua fuimus, ut sequeremur passiones, & desideria inordinata cordis nostri; *omnes nos quasi oves erravimus; unusquisque in viam suam declinavimus,* Is. 53. 6. Dereliquimus viam arctam, quæ sola ducit ad vitam; ad cœlestem Jerusalem, patriam nostram; viam arctam declinavimus, ut sequeremur largam & spatiosam, quæ ducit ad interitum; & quid in-

de

de ſecutum eſt? *laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles*, Sap. 5. 7. nam impoſſibile eſt, relinquere Deum, in quo ſolo pax & quies ſolida invenitur, quin experiamur extra illū nonniſi agitationem, inquietudinem, & tœdium eſſe; eheu! quò deveniſſemus in hoc errore & deviatione? præda eſſemus dæmonum, ſi noſter divinus paſtor compaſſionem nobiſcum non habuiſſet, & de manibꝰ eorum nos non eripuiſſet; hoc continuò occupare debet mentem noſtram; hoc eſſe debet continuum objectum doloris noſtri; totâ vitâ noſtrâ deplorare debemus hunc errorem noſtrum. *O tortuoſas vias!* S. Aug. 6. conf. c. 16. & quia intimo corde de hoc dolere debemus, quòd tanquam filii prodigi, tam tenerum, tam dignum, tam bonum patrem, dereliquerimus; dicamus cum S. Auguſtino, ibid. l. 2. c. 10. & l. 3. c. 3. & 6. *defluxi abs te ego, & erravi; Deus meus, nimis devius à ſtabilitate tua in adoleſcentia, & factus ſum mihi regio egeſtatis &c. væ, væ, quibus gradibus deductus ſum in profunda inferi!* Ah Domine, non ſum dignus vocare te Patrem meum, nunquam conſolatus eram, quòd te dereliquerim, & diabolū tibi prætulerim; tu tamen me nunquam omnino dereliquiſti; *& circumvolabat ſuper me fidelis à longè miſericordia tua*, ibid. l. 5. c. 9. vigila-

labat super me continuò providentia tua, etiam tunc, quando ardentissimè post perditionem meam currebam; nam quò irem, si tunc hinc abirem, *nisi in ignem atque tormenta digna factis meis, in veritate ordinis tui?* ibid. en! qualis tibi esse debeat sensus ob errores, & miserias præteritas! &

PUNCTUM II. Considera, quòd pastor ille bonus, qui venit, quærere nos, alius non sit, nisi JEsus Christus; *venit enim filius hominis quærere, & salvum facere; quod perierat,* Luc. 19. 10. Hæc est talis veritas, quam scire debemus, dignáque est, ùt S. Paulus loquitur, ut ex toto corde acceptetur, venisse nimirum Dei Filium in hūc mundum, ut maximos etiam peccatores salvos faceret; *fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus JEsus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere,* 1. Timoth. 4. 9. docet nos apostolus, qui hujus rei in seipso experientiam habuit, quòd admirabilis hic Salvator sibi complaceat, abundātius effundere gratias suas in eos, qui maximè ac præ cæteris inimici ejus erant, & in quos diabolus tyrannidem suam magìs exercebat; *ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia,* Rom. 5. 20. Ah! quid non fecit pro nobis divinus hic pastor! quoties vocavit nos, & nos noluimus ad ipsum redire? imò, quando vocem illius audivimꝰ,

vel exterius in concionibus, vel in lectione librorum ſpiritualium, vel interius per ſecretas reprehenſiones, & aculeos conſcientiæ noſtræ, illam ſprevimus, curavimùſque, ut illam non audiremus? & adhuc magìs nos ab eo elongavimus, fugimus, neque permiſimus nos ab eo capi, & reduci; quia autem divinus iſte paſtor per ſuam bonitatem nos reduxit, & vicit malitiam, & obſtinationem noſtram quid nos facere oportet?

PUNCTUM III. Continuò gratias agere ei debemus, quòd infinitam miſericordiam ſuam erga nos oſtenderit; *confitemini Domino, quoniam bonus; quoniam in æternum miſericordia ejus.* Pſ. 117. Nil efficacius, & urgentius ad hoc nos excitandos eſſe poteſt, quàm ſi incenſſanter in memoriam nobis ipſis revocemus ex una parte errorem noſtrum, ac periculum perditionis noſtræ, cui nos expoſuimus; & ex altera parte laborem, ſolicitudinem, & defatigationem, & alia, quibus ſe expoſuit Chriſtus JEſus, ac charitatem illam, quâ nos quæſiît; *charitas Chriſti urget nos*, 2. Cor. 5. 14. & ſi volumus ei conteſtari gratitudinem noſtrā, quam ipſi debemus, ſtudeamus eum imitari, & quantum in nobis eſt, quærere oves errantes, quemadmodum ille quæſivit

sivit nos; vide, quid S. Paulus fecerit, ut gratum se ostenderet Domino pro beneficio conversionis suæ? vide, quales peregerit cursus incomparabilis hic pastor, ut quæreret perditas oves, & in ovile Christi JEsu eas reduceret? quale spectaculum & angelis & hominibus, videre hunc magnum apostolum, quærere ejusmodi oves in synagogis, civitatibus, villis & pagis? per deserta vagari, trasmeare maria, percurrere integras provincias & regna; totum romanum imperium, imò loca etiam vel maximè barbara, ut eas ad dominium JEsu Christi reduceret quod priùs ignorabant, vel spernebant? conjice oculos tuos in hoc exemplum, antequam ad altare accedas, & memento, quòd cùm Filius Dei te ab errore tuo reducendo, voluerit, ut deinceps nonnisi ipsi vivas, debeas teipsum totum quantum consecrare saluti peccatorum, pro quibus ipse mortuus est, & à mortuis resurrexit; *ut, qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit*, v. 16.

FERIA SEXTA.

Et cùm invenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens; & veniens domum convocat amicos & vicinos, dicens illis: congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat. Luc. 15. 5.

De teneritudine Christi erga peccatores.

1. Hunc imitati ſunt paſtores ſancti.
2. Hos etiam nos imitari debemus.

PUNCTUM I. Hic paſtor, qui invenit ovem perditam, imponit illam cum gaudio in humeros ſuos, èſtque imago & exemplar vivum teneritudinis illius, quam ſancti paſtores habeant erga peccatores, etiam illos, qui hoc minimè merentur. Eràtne populus, aut gens aliqua teneritudine, & amore paſtoris ſui magìs indigna, quàm Iſraëlitæ, indigni prorſus, qui à Moyſe amarentur? & tamen quoties amantiſſimus hic paſtor exarmavit per preces ſuas, & lacrymas iram Dei, jam parati ad ſæviendum contra populum hunc ingratum, continuò rebellantem, & quaſi incorrigibilem? ſed, quando extremè irritatus, & provocatus erat Deus contra idololatriam hujus ipſius populi, adeò ut eos omninò exterminare, & delere ſibi propoſitum habuerit, quid fecit admirabilis hic paſtor?

re

respondit Deo sic; *aut dimitte illis hanc noxā, aut dele me de libro, quē scripsisti*; ubi non sine ratione exclamat S. Bernardus serm. in Cant. 12. O hominem plenum teneritudine, & amore! loquitur tanquàm verus pater, cui nil dulce est, aut sapit sine liberis; quemadmodum, si dives aliquis ad manducandum secum invitaret pauperem fæminam dicendo, hodie apud me prandebis, sed infantem tuum foris dimitte, nec tecum sume, quem nutris, quia nobis nimis incommodus accideret ob clamorem suum; mulier talis mallet certò manere extra domum divitis, quám sine infante suo cum ipso prandere; ità ait Moyses ad Deum; malle se non intrare in gaudium illud æterni ac cœlestis convivii, quàm ad illud admitti, si populus suus iste ab illo exclusus manere deberet; rebellis est populus, verum est; verùm infans suus est; viscera illius torquentur, quando se sine illo videre debet; non potest absque illo beatus, aut felix esse; quis adhuc indignior teneritudine pastoris sui fuit, quàm Saul? Samuel vix eum unxerat in regem super Israël; & ecce statim obliviscitur, negligit, spernit salutaria illius monita, & pedibus conculcat mandatum omninò expressum, & clarissimum Domini Dei sui, quod ex ore hujus pro-

phetæ intellexit; diminuítne hoc teneritudinem Samuelis versùs hunc principē adeò ingratum, & inobedientem? neutiquam; adeò tangitur non contemptu sui, sed infelicitate, quæ ei accidit, ut ploraret die ac nocte; neque ab hoc dolore suo remitteret, nisi Dominus stitisset cursum lacrymarum istarum, dicendo ad illum, quòd reprobasset, & à se abjecisset hunc infelicem principem; *usquequo tu luges Saul, cùm ego projecerim eum?* 1. Reg. 16. Possint his exemplis adjungi innumera adhuc alia; verùm hæc duo sufficiant ad demonstrandum nobis, quo spiritu animati & agitati fuerint pastores sancti hinc

PUNCTUM II. Debet minister ecclesiæ magnam sollicitudinem adhibere, ut eos imitetur, ad quod ab eo statim tempore vocatus fuit, quo in se suscepit magnum illud onus, & officium sacerdotale, & curam animarum; nullum igitur lucrum æstimare debet comparandum cum illo, si aliquem ex peccatoribꝰ convertere, & reducere possit; ministerium suum non intelligit, si aliam ideam sibi format, & principalem suam obligationem turpiter negligit, si eo ad alium finem utitur; *si officium presbyteri vis exercere,* ait S. Hieronymus epist. 13. *alio-*

rum

rum salutem fac lucrum animæ tuæ; ratio est, quia nil Deo gratius, & acceptius est, quàm emendatio, & conversio peccatoris, ait S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 93. quia sic recuperat id, quod dæmon ei rapuit; *nulla re perinde delectatur Deus, ut hominis emendatione, & salute.* Si ergo pastoris officio fungeris, teneritudinem matris ostende iis omnibus, qui gregis tui sunt, maximè autem peccatoribus, qui primarium objectum erant charitatis Christi JEsu, ait enim Luc. 5. 32. *non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam;* vide, quid S. Paulus fecerit pro Onesimo, mancipio & latrone; nunquam pro ullo tanta teneritudine scripsit, ac pro isto servo fugitivo; rogat Philemonem, ut eum in domum suam recipiat, ac si ipse Paulus esset; *si ergo habes me socium, suscipe illum, sicut me;* si tibi mali quid fecit; si te offendit, aut aliquid tibi debet, mihi hoc noceat; *si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa,* Philem. 1. 17. Si peccator videat se à pastore suo ità tractari, non potest non illum amare; si autem illum amat, cedet monitis, & dulci violentiæ, ut in viam redeat. Pastores! igitur amate gregem vestrum; ne fatigemini iis dare signa affectiva, & realia amoris, & teneritudinis; & sic infallibiliter eos, qui

sani sunt, vivaciores & valentiores; qui verò infirmi & debiles sunt, sanos reddetis; si S. Paulus hanc charitatem pro Onesimo non habuisset, quis de illius sanitate recuperanda cogitare potuisset, siquidem morbus illius incurabilis videbatur? successisti S. Paulo tanquam pastor in officio medici animarum, & protectoris miserabilium, tua propria salus periclitatur, si illô non fungaris cum zelo, affectione & teneritudine; roga pastorem summum, qui te quotidie in S. altari reficit, & nutrit, ut cor tuum hoc sancto amore repleat, qui te docebit, quomodo peccatores tractare debeas; *bona mater charitas in pastore; cùm arguit, mitis est; cùm blanditur, simplex est, piè solet sævire, sine dolore mulcere; patienter irasci; humiliter indignari*, S. Bern. Epist. 2. Bone Deus! si te amarent clerici, prout deberent, quid boni non procurarent, & efficerent? quot animas ad te non adducerent? *si amatis Deum, rapite omnes ad amorem Dei; rapite, quos potestis, hortando, portando, rogando, disputando, rationem reddendo, cum mansuetudine, cum lenitate*, S. Aug. in Ps. 33. v. 4.

DIE

DIE SABBATHI.

Dico vobis, quòd ità gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentiâ. Luc. 15. 7.

De tristitia & gaudio boni pastoris.

1. Ovis errans tristitiam causat bono pastori.
2. Conversio peccatoris gaudium.

PUNCTUM I. POstquam evangeliũ nobis ostendit laborem & fatigationem pastoris in quærenda ove perdita; & mulieris quærentis drachmam perditam; indicat etiam gaudium utriusque post secutum bonum effectum hujus inquisitionis; & concludendo parabolam subjungit, idem etiam accidere angelis Dei super uno peccatore, qui pœnitentiam agat; subsistamus hìc ad verba, & consideremus in persona angelorum pastores bonos, qui à Deo missi sunt, quemadmodum illi, ut curam agant salutis animarum; *in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis,* Hebr. 1. 14. Et primò quidem statim consideremus, qualis sit illorum aflictio, solicitudo, tristitia, si aliqua ex illis á recta via deflectat, & in errorem labatur; *vide, qualis solicitudo, quàm paterna, quàm materna,* exclamat S. Augustinus in Ps. 98. 8. loquendo

do de primis ecclesiæ pastoribus; si mater aliqua inconsolabiliter tristatur super morte unius tantùm infantis sui, qualis esse debet dolor verorum pastorum, qui plures ex liberis suis in periculo mortis constitutos vident, vel actualiter mortuos per peccatum, quæ est verissima mors, siquidem peccatum mors est animæ, quæ infinites periculosior est morte corporum nostrorum? quam consolationē habere possunt, si peccatores se convertere renuant non obstante omni eorum conatu? *sicut angeli gaudent super pœnitentes*, ait S. Hieronymus in epist. ad Rom. 8. *ità dolent super convetid nolentes*; plagæ & vulnera nostra, quæ minimè à nobis sentiuntur, sunt, quæ illis maximum dolorem afferunt; intimè afficiuntur malis nostris, quæ nos nō curamus, imò fortè etiam ridemus; verùm ut abundans dolor illorum satìs exprimeretur, oporteret cognoscere magnitudinem charitatis eorum, quia, ùt S. Augustinus in Ps. 98. ait, *quantò major est charitas, tantò majores plagæ de peccatis alienis*. Examina hìc charitatem tuam; vide, quomodo afficiaris, aut tangaris lapsû peccatorum? utrum cum propheta regio dicere possis; *vidi prævaricantes, & tabescebam; quia eloquia tua non custodierunt*, Ps. 118. Legimus in vita S. Theresiæ, quòd continuò

tinuò deploraverit perditionem hæreticorum, & infidelium; *quorum tenebras continuis deflebat lacrymis*; & quales tu lacrymas fudisti? non dico supra infideles, sed super tot animas christianorum, in oculis tuis, & conspectu tuo pereuntium? ubi est charitas tua? zelus tuus pro domo Dei? *qui omnia, quæ fortè ibi videt perversa, satagit corrigi, cupit emendari, non quiescit; si emendare non potest, tolerat, gemit*, ait S. Augustinus tr. 10. in Joan. Esne ità comparatus? examina te desuper, & ut te super hoc melius instruam.

PUNCTUM II. Nota, quòd quantùm tristitiæ bonus pastor habet ob errorem & lapsum peccatoris, tantùm etiam gaudii sentiat de illius reditu, & conversione; *majorem horum non habeo gratiam, quàm ut audiam filios meos in veritate ambulare*, ait S. Joanes 3. Ep. 1. 4. verùm non est gaudium in toto mundo huic comparandum, quod sentit, si quis peccatorum se convertat, & veram agat pœnitentiam: *nunc gaudeo*, ait tunc cum apostolo 2. Cor. 7. 9. *non quia contristati estis; sed quia contristati estis ad pœnitentiam*; & sanè gaudium, quod causat felix ista mutatio, ascendit usque ad cœlum; si ipsi angeli hoc gaudio afficiuntur, & quidem longè magìs, quàm si videant justum in bono perseverare, quale

gaudium esse debet boni pastoris, si videat ovem perditam reductam, & talem resuscitatum ad vitam gratiae, qui Jam pro mortuo computabatur? noli mirari, ajebat S. Augustinus, si nos in gaudio constitutos videas; hic peccator, qui ad nos revertitur, est subditus quidam rebellis, qui propriis armis contra legitimum principem suum usus fuit; qui durante sua rebellione millies in periculo perditionis fuit; cujus recuperatio nos magìs delectare debet, quò major erat labor, eum ad id, quod debet, reducendi, *quantò magìs periculum fuit in prælio, tantò majus gaudium est in triumpho*, l. 8. conf. c. 3. O si vel parum quid de zelo hujus sancti episcopi haberemus; si soliciti essemus totum tempus nostrum in id insumendi, omnem industriam, omnem laborem, omnem conatum nostrū omnem laborem, omnem conatum nostrū in id conferendi, ut errantes in viam rectā reduceremus; quale foret gaudium in hac vita nostra? sed ante omnia, & prae omnibus, qualis consolatio nostra, pro, & in hora mortis, ubi Deus coronabit merita electorum suorum? roga Christum JEsum in præparatione tua ad Missam, ut te participem faciat hujus charitatis perseverantis, seu constantis, quam omnes sancti pastores habuêre, hujus charitatis, quae nunquam defatigatur; quae semper

per agit, semper orat, & quidquid possibile est, adhibet, ut destruatur peccatum, & peccatores sanentur, quò & ipse partem etiam habere possis cum ipsis, paris gaudii, consolationis, & præmii, *hoc est curam agere pro delicto, semper niti, semper intendere; semper studiosè & sedulò agere, ut sanes peccantes*, S. Aug. in Ps. 37. 19.

DOMINICA QUARTA POST PENTECOSTEN.

Existimo, quòd non sint cond gnæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis; nam exspectat o creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat. Rom. 8. 18. 19.

De tolerantia passionum hujus vitæ.

1. Cogitare debemus sæpiùs, eas nullam proportionem habere cum bonis cælestibus.
2. Quàm utilis sit hæc cogitatio, & apta ad nos confortandos.

PUNCTUM I. PLanè absque omni difficultate toleraremus mala hujus vitæ, si idipsum cogitaremus, quod S. Paulus, nempe nullam esse proportionem inter illa, & gloriam, quam speramus. D.O.M. velit verba ista apostoli cordi nostro altè imprimere, & instituamus meditationem nostram hodiernam super illis, juxta ideam, & sensum illum,

quem

quem nobis SS. PP. reliquerant. *Vide ergo*, ait S. Bernardus, *quàm non sunt condignæ ad gloriam passiones! quod tribulationis est, momentaneum est, & leve; quod gloriæ, æternum est; & pondus etiam supra modum in sublimitate; quid tibi in incertum dies & annos numeras? transit & pœna, nec accedunt sibi, sed cedunt potius, & succedunt; non sic gloria, non sic remuneratio; non sic merces ipsa laboris; nescit vicissitudinem, nescit finem; manet tota simul, & manet in æternum; cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini*, Ps. 126. *Sufficit enim nunc cuique diei malitia sua, nec laborem suum poterit reservare sequenti; reposita est mihi corona justitiæ*, ait apostolus, *quam reddet mihi, non in illis, sed in illum diem, justus judex; melior est enim dies una in atriis tuis super millia*, Ps. 83. *Gustatim pœna bibitur, liquando sumitur; per minutias transit; nam in remuneratione torrens est voluptatis, & fluminis impetus, torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ, & flumen pacis; flumen planè est, sed quod affluat, non quod fluat, vel effluat; flumen vocatur, non quòd transeat, vel pertranseat, sed quod abundet; æternum gloriæ pondus*, Serm. 1. de diversis. n. 7. Concludit deinde S. Pater sic: *ad omne igitur, quod videmur portare pondus, æternum gloriæ pondus cogitemus*; frequenter cogitemus, & mente versemur ista, mini-

stri

stri Domini! hæc cogitatio confortavit S. Paulum in suis apostolicis laboribus, & continuis persecutionibus, quibus ex omni parte impetebatur; hac reflexione se consolabatur S. Bernardus in omnibus exterioribus negotiis, & officiis suis gravissimis, quæ ipsi contra voluntatem suam incumbebant; hæc cogitatio, uno verbo, est illa, quæ omnes sanctos erectos tenuit; utebantur illâ tum ut consolarentur seipsos, tum ut erigerent alios in malis perferendis, quibus in hac vita expositi sumus; hâc ipsâ utamur & nos ad exemplum illorum, & ipso facto ostendamus, patiendo pro JEsu Christo, quàm certam spem & fiduciã reponamus in iis, quæ nobis promisit; *certa atque secura est exspectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio dominicæ passionis.* S. Leo. serm. 9. de pass. Dom.

PUNCTUM II. Considera utilitatem, quem meditatio hujus veritatis affert; clericus, qui considerat, prout oporteret, totum id, quod quis tolerat, aut tolerare etiam posset in hoc mundo, nonnisi momẽtum esse brevissimum, & levissimum, in comparatione illius felicitatis immensæ, quâ in cœlis gaudent omnes sancti, nunquam animum despondebit in adversitatibus, & contradictionibus, quibus functiones ministerii sui ordinariè expositas ex-

pe-

peritur; *id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum, in ſublimitate, æternum gloriæ pondus, operatur in nobis*, 2. Cor. 4. 17. Si attentè meditatur, & expendit improportionem malorum præſentis vitæ, cum remuneratione, quæ eum in altera vita exſpectat, poſſitne conqueri, quaſi infelix eſſet ſua conditio? verum eſt, vitam boni paſtoris valdè laborioſam, & defficilem eſſe; ſervus gregis ſui eſſe cogitur; debitor eſt omnì horâ, omni momento; videtur hæc ſervitus certè dura eſſe iis, qui mundum hunc amant, ſed dulcis & grata apparebit illi, qui eam comparat cum gloria, quam Deus olim revelabit in paſtore fideli; adeò igitur ſe non affliget, quòd talem vitam ducere debeat, ut potiùs ob id gaudeat, certò perſuaſus, ſe pro menſura patientiæ, & laborum ſuorum, majus gloriæ pondus accepturum, quod Deus ſuo tempore in ipſo revelabit. An conqueritur mercator ob labores ſuos inſupportabiles quaſi ſi lucrum ſuum proportionaliter ad illos augeat? quomodo ergo miniſter eccleſiæ, qui ſcit, ſe ad proportionem eorum, quæ in fideli executione functionum ſuarum partitur, recepturum in æternitate gloriæ pondus immenſum, audebit conqueri? poſſitne aliquis tam piger, & ignavus eſſe in

labo-

labore, qui tam citò transit, quemque sesequetur requies nunquam amplius finiēda? *noli esse piger, laborare breviter, & gaudere incessabiliter; hæc est requies sempiterna,* ait S. Augustinus in Ps. 93. Sacerdotes, pastores! ministri Domini! quicunque demum sitis, sæpius super hoc vos reflectite! quotiescunque se occasio aliqua offeret patiendi quidquam pro gloria Dei, & salute animarum, dicite intra vosmetipsos: *non sunt condignæ passiones hujus temporis &c.* nihil est totum hoc in comparatione beatitudinis æternæ; sæpe consideras laborem & dolorem, quem hìc in terra toleras, verùm considera simul etiam. pergit S. Augustin. ibid. illam requiem, illam beatitudinem, quam Deus tibi promittit; *attende, te hìc habere dolorem, qualem ille requiem pollicetur; nunquid cogitare potes? si illam cogitare posses, videres te nihil laborare, ad compensationem.* Fac super hoc præparationē tuam ad Missam; & roga instanter Christū JEsum, ut vivam in te conservet memoriā bonorum æternorum. O JEsu! qui es in hac vita consolatio nostra in SS. eucharistia, excita fidem nostram, conforta spem; inflamma cor nostrum amore tui, & rerum cælestium, ut oculos claudentes ad mala hujus vitæ, eos aperiamus ad bona immutabilia in cœlis; quies, quam nobis

pro-

promittis, æternum à nobis exigere posset laborem, & tu tam modico tempore vitæ hujus contentus es! *qualis misericordia Dei! non dicit, centena millia annorum labora; non dicit, vel mille annos labora; non dicit, quingentos annos labora; cùm vivis, labora, in paucis annis; inde requies erit, & finem non habebit*, S. Aug. in Ps. 93. 19.

FERIA SECUNDA.

Vanitati enim creatura subjecta est, non volens, sed propter eum, subjecit eam in spe Rom. 8. 20.

De Statu creaturarum post peccatum.

1. Periculosæ sunt.
2. Quibus cautelis uti contra illas debeamus.

PUNCTUM I. Considera, creaturas primitùs factas esse ad usum hominis, & ut per illas excitaretur ad continuum amorem, gratitudinē, & laudem Dei; verùm homine per peccatū dæmonis mancipio facto, illius etiam secutæ sunt conditionem, qui earum Dominus esse debuisset, id est, etiam subjectæ evaserunt dæmoni, quæmadmodum ipse homo; utitur nimirum illis ad satisfaciendum vanitati suæ, Estius, & Menochius ibi. dum eas adhibet ad tentandum hominem, & elongandum illum à Deo suo; quia autem usus iste contra naturam i-

psarum, & finem creationis ipsarum est, hinc ait S. Paulus hìc, quòd minimè voluntariè ipsi subjectæ sint, & quòd suspirent continuò exspectando suam liberationem ab hac servitute; quod eveniet in universali renovatione totius mundi, quãdo Christus JEsus destructô omnî imperiô, omnî dominatione, & potestate, etiam mortem destruet, & consequenter injustissimum imperium, & dominatum à dæmone supra creaturas hucusque usurpatum; verùm durante exspectatione hujus renovationis & liberationis, certum est ex scriptura & funesta experientia, quam quotidie in nobis ipsis habemus, quòd dæmon illis utatur ad tentationes, & ut homines à Deo abstrahat, & elonget; facit hoc tot diversis modis, & tam malitiosè, ut sancti, quibus Deus aliquam hujus rei cognitionem & agnitionem dedit, planè super hoc obstupescant; *unde quæso*, ajebat S. Chrysostomus l. 6. de sacerd. *respirare dabitur inter laqueos?* quis tutus erit, dicebat S. Antonius suspirando, inter tot horrendos laqueos & pedicas, quibus dæmon replevit terram? *quis hos transire poterit?* Ruffin. de vita PP. l. 3. 129. Ingemiscamus pariter & nos cum sanctis in consideratione tot laqueorum, quos diabolus nobis per creaturas tendit, quæ servire debent vanitati

principis tenebrarum, ut nobis bellum inferat, & triumphum de nobis reportet! ah nimis quàm insensibilis foret quis quoad hanc suam infelicitatem, si non ingemisceret, dum objectum esse debet malignitatis dæmonum, qui creaturis utuntur, ut nos tentent, & perdant; si tuti esse velimus, & munire nos contra hunc perniciosum dæmonis usum creaturarum;

PUNCTUM II. Exactè observare debemus sequentes cautelas. 1mo, nunquã utamur creaturis, nisi adhibitâ prius solicitudine, avertendi per orationem & preces nostras illos malos effectus, quos per illas in nobis dæmon causare posset; id, quod ecclesia exemplô suô nos docet per omnes benedictiones suas, quas nobis ad manum dat; docet igitur nos hoc suo modo agendi, nunquam utendi ullâ creaturâ, nisi prius nos muniamus per orationem contra perniciosos illos effectus, quos ille ad inficiendas animas nostras per illas producere posset, alias exponeremus nos periculo, experiendi tela nequissimi ignita, quæ continuò mediantibus creaturis cõtra nos ejaculatur, si iis uti vellemus indifferenter, & sine armis orationis, non possumus in hoc nimiùm, & plus quàm necesse sit, esse cauti, petere igitur debemus à Deo, ut alimenta, quibus necesse

ha-

habemus, & omnibus aliis, quæ sub sensus nostros cadunt, nobis non cedant in perniciem nostram astu, & invidiâ dæmonis, inimici salutis nostræ. 2dò. uti illis debemus multa & magna cum moderatione, non verò cum passione, quali aguntur ii, qui iis frui volunt, & requiem ac beatitudinem suam in illis reponunt; *utentis modestiâ, non amantis affectu,* ait S. Augustinus l. 83. q. quæst. 10. *nam,* ùt idem dicit, *omnis humana perversio, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle*; ex quo sequitur, quòd sola necessitas movere nos debeat ad usum creaturarũ, & quòd illi sapientiores & prudentiores sint, qui parciùs creaturis quibuscunque utuntur; nam, quia omnes periculosæ sunt, & peccatum certam quamdam in illas malignitatem effudit, quæ eas nimiùm periculosas reddit, & contagiosas, quò rarior & cautior est illorum usus, eò erit etiam nos tentandi, & nobis nocendi; impedit Deus hos malos & perniciosos effectus, si nonnisi ex ipsius voluntate, & necessitate cogente, iis utamur; quis autem dixit, vel dicere nobis potest, idipsum secuturum, si uti velimus creaturis, non solùm absque necessitate, sed præcisè ad satisfaciendum curiositati, ac sensualitati nostræ? 3tio. non contenti esse debemus hoc solo, quòd cautè iis utamur,

ſi aliunde ſcimus, illas nobis eſſe periculoſas, & aptas nos corrumpendi, diſſipandi, diſtrahendi, prout ſæpè accidit in converſatione & ſocietate aliorum; à quibus proin ſe ſubtrahere convenit, & vivere in ſpirituali quadam ſolitudine, ad quam nos hortatur Sapiens Eccleſ. 9. 7. 8. 9. *noli circumſpicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius; averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam; propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit.* Vide nunc, quomodo te circa iſta hucuſque gesſeris? agnoviſtíne periculum iſtud, quod creaturis ineſt? armaſtíne te precibus, antequã iis uteréris? uſúſne iis es temperanter, & moderatè? quomodo converſatus es inter homines maximè cum altero ſexu? quam modeſtiam & cautelam adhibuiſti? denique conſideraſtíne creaturas, tanquã media, & ſcalam perveniendi, & aſcendendi ad creatorem, & ad fruitionem hujus ſummi boni, quod ſolùm te reddere poteſt æternúm felicem & beatum? Pro præparatione ad Miſſam roga Chriſtum JEſum, ut abſtrahat cor tuum à creaturis, & illud affigat bono æterno & immutabili; infundendo illi ſuum ſanctum amorem, quo cum ſẽper uti potes creaturis; ſine illo autem nũquam, prout oportet, ùt S. Auguſtinus l.
4.

4. contra Julianum c. 3. docet: *per hunc amorem creatoris benè quisque utitur creaturis; sine hoc amore creatoris nullus quisquam benè utitur creaturis.*

✝✝*✝*✝*✝*✝*✝*✝*✝*✝*✝*✝*

FERIA TERTIA,

Scimus, quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc; non solùm autem illa, sed & nosipsi, primitias spiritû habentes; & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri. Rom. 8. 22. 23.

QUALITER COMPARATI ESSE DEBEMUS IN HAC VITA?

1. Ingemiscere debemus in consideratione miseriarum nostrarum.
2. Et aspirare ad liberationem à corpore isto mortali.

PUNCTUM I. POstquam nobis apostolus dolorem illum ostendit, quem sentiunt creaturæ etiam inanimatæ, eoquòd vanitati subjectæ sint, concludit deinde: christianos, qui primitias spiritûs possident, & gustarunt donum Dei, nutritíque sunt spe bonorum futuri sæculi, adhuc magìs ingemiscere debere in consideratione miseriarum, quibus se circumdatos vident; quæque infelices sequelæ, & consequentiæ sunt infelicis conditionis, ad quam per peccatum redacti sunt; miseriæ istæ adeo considerabiles sunt,

& in tanto numero, ùt S. Auguſtinus, qui eas ſatis diſtinctè enumerat in cap. 22. l. 22. de civitate Dei; credat, nullum eas ſermone explicare; imò nec comprehendere poſſe; *quot & quantis pœnis agitetur genus humanum, quis ullo ſermone diggerit? quis ulla cogitatione comprehendit,* neque ego ea in particulari explicabo; fatalis neceſſitas, in qua ſumus, ut eas vel in aliis videre, vel in nobisipſis experiri debeamus, ſufficere nobis debet, ad ingemiſcendum toto hoc tempore, quo in terris degimꝰ; quid aliud percipimus in mundo, quàm perverſitatem, confuſionem, injuſtitiam, fallacias, vanitates, perfidias, & diſſolutiones? Deus vix ab aliquibus agnoſcitur; multominùs ab eis illi ſervitur; contenti ſunt aliqui certis exterioribus, ritibus, de cætero ſine ſcrupulo violantur principalia puncta religionis, ſeu cultûs divini; quale tormentū! quale martyrium pro corde tali, quod aliquo ſenſu tangitur gloriæ divinæ, ſi videat Deum ſingulis diebus inhonorari per infinitas blaſphemias, ebrietates, impudicias &c. potéſtne quis faciem mundi adeò immutatam, & defiguratam, & tam quaſi generalem conſpirationem chriſtianorum contra Dominum & Deum ipſorum videre, quin cor illius vivo quodam dolore afficiatur, & configatur? quin dies noctéſque in-

integras transigat in luctu, afflictione, & amaritudine, Deùmque incessanter roget cum propheta 3. Reg. 19. 4. *sufficit mihi Domine: tolle animam meam, neque enim melior sum, quàm patres mei?* Esti ne etiam hæc ipsa animi tui dispositio & sensus? etiam res & creaturæ inanimes gemunt suô modô, & suspirant finem sæculorum, eòquòd tunc quidquid in mundo perversum, malū & corruptum est, corrigendum, & in ordinem, pulchritudinem, ac perfectionem redigendum sit, quam omnes creaturæ desiderant; & nos, qui christiani & clerici sumus, & qui pretiosissima dona S. Spiritûs accepimus, quo ardore ingemiscere deberemus? deberemus nimium incessanter cū psalmista Ps. 37. 10, dicere: *gemitns meus à te non est absconditus*; ingemiscamus saltē ideò, quòd non ingemiscamus; non possumus utilius orare, quia, út S. Augustinus Epist. 130. n. 20. nov. edit. annotat: *plerumque hoc negotium plus gemitibus agitur, quàm sermonibus; plus fletu, quàm affectu;* &

PUNCTUM II. Memores simus, nos non solùm ingemiscere, sed etiam suspirare continuò debere liberationem nostram, exspectantes effectum adoptionis divinæ, & redemptionem corporis hujus mortalis, quod nos circumdat; finem vitæ hujus peccato, & infinitis infirmitatibus subjectæ; &

beatitudinem, ac felicitatem filiis Dei in coelis præparatam; *ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri;* optare debemus sanctâ quâdam impatientiâ exitum ex hac domo terræ hujus, quam modò inhabitamus, transituri ex illa ad illam domū gloriæ, quam ipse Dominus præparavit nobis; *nam & in hoc ingemiscimus,* dicit alibi apostolus, *habitationem nostram, quæ de cælo est, superindui cupientes,* Cor. 5. 2. Quid convenientius miseris & exulibus, quàm ingemiscere in loco exilii, & ad patriam suspirare, & aspirare? *incola ego sum in terra;;* en! quid nos omnes simus! quid ergo facere possumus, quàm gemitus edere in hac valle lacrymarum? *qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati,* v. 4. væ illis, qui hoc non faciunt; planè non sciunt miserias suas, exilium suum; id, quod eos dupliciter miserabiles reddit; quia si ingemiscere non discant, in æternum non acquirent habitationem in coelesti Jerusalē; dicit enim S. Augustinus in Ps. 148. *qui autem non gemit peregrinus, non gaudebit ut civis, quia desiderium non est in illo;* interim, etsi mille rationes, & infinita mala, quæ terram hanc inundarunt, abstrahere nos deberent ab amore hujus sæculi, & nostri ipsius, & desiderium nobis inge-

ingerere civitatis cœlestis in futuro sæculo, tamen verissimum id est de nobis, quod S. Gregorius ait Hom. 5. in evang. *& tamen superba mens nostra adhuc non vult sponte deserere, quod quotidie perdit in vita.* Pro præparatione ad Missam pete à JEsu Christo, ut nos, & affectus nostros abstrahat ab hac miserabili vita, ubi ferè aliud non facimus, quàm ut ipsum offendamus; optemus illum suscipere in sanctissima eucharistia, sed adhuc magis desideremus illi uniri, absque velamine; dicamus ei sæpius cum ecclesia, sponsâ suâ: *veni Domine JEsu,* Apoc. 22, 20. conservemus quotidie in cordibus nostris desiderium felicis & beatæ æternitatis; ibi enim eum videbimus apertè; ibi eum amabimus absqe mensura; & laudabimus sine tœdio, sine fine; *tibi dixit cor meum: exquisivit te facies mea; faciem tuam Domine requiram,* Ps. 26.

FERIA QUARTA.

Cùm turbæ irruerent in JEsum, ut audirent verbum Dei; & ipse stabat secùs stagnum Genesareth, & vidit duas naves, stantes secùs stagnum; piscatores autem descenderant, & lavabant retia Luc. 5. 1.

DE PISCATIONE SPIRITUALI ANIMARUM.

1. Cur homines apostolici piscatoribus comparentur.
2. Instructio ex hoc evangelio capienda. PUN-

PUNCTUM I. COntinet hoc evangelium primam piscationem miraculosam apostolorum, quæ considerari debet tanquam certum ac securum pignus spiritualis piscationis, quā Salvator noster eis promisit, vocans illos ad sui sequelā; *venite post me faciam vos fieri piscatores hominū*, Matth. 4. 19. Consideremꝰ híc, quare viri apostolici piscatoribus cōparētur? prout à scriptura fieri videmus; *ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus; & piscabuntur eos*, Jerom. 16. 16, Fit hoc 1mo. quia, quemadmodum pisatores professionem faciunt, ut semper in aquis sint occupati, jacendi retia sua, & capiendi pisces aliquot, ità & ministri evangelici sēper retia sua ad manus habere debeant, hoc est, verbum Dei in ore, & conari, pro data occasione, lucrandi animas quasdam Christo JEsu, & extrahendi illas ex hac vita perdita & abominanda, quam vivunt homines in hoc mundo, qui juxta S. Augustinum mare quoddam est tempestatibꝰ agitatum, naufragiis infame; ubi homines instar piscium seipsos invicem devorant; *an non est mare hoc sæculum, ubi se invicem homines quasi pisces devorant?* Serm. 252. de divers. alias 5. Obligatio itaque nostra est, applicandi nos continuò ad extrahendos illos à periculo, in quo sunt, pereundi, juxta

mo-

monitum Sapientis Prov, 24. 11. *erue eos, qui ducuntur ad mortem; & qui trahuntur ad interitum, nece ſſes liberare.* 2do. comparantur item operarii evangelici piſcatoribus; quia, quemadmodum qui piſcatur, fortuitò jacit rete ſuum, quin ſciat, utrum piſcem aliquem capturus ſit, vel qualem; ità etiam contingit ei, qui evangelium annuntiat; neſcit illos, quos Deus per prædicationem evangelii ad ſe trahere velit; & in iſta incertitudine ſufficere illi debet, continuò laborare, & jacere retia ſua, etſi incertus de captura; *laxate retia veſtra in capturam;* & quemadmodum, ſi piſcator felicem capturam habeat, id non labori ſuo attribuere poteſt, & induſtriæ, ſed Deo, qui ità dirigit retia, & piſces ea intrare facit, ſic etiam, dum clericus functiones miniſterii ſui cum fructu exercet, gloriam omnem non ſibi dare, ſed ad Deum referre debet, qui laboribus ſuis benedixit, dicendo cum S. Paulo: *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus,* 1. Cor. 3. 7. an ità egiſti hucuſque? vix aliquot annis laboraſti, ſtatim vis laudari, & æſtimari pro eo, quod te magìs humiliare, & modicum illud, quod benè feciſti, ad authorem omnis boni referre deberes. Verùm quia adhuc alia inſtructio & doctrina ſupereſt ex hoc evangelio trahenda,

PUN-

PUNCTUM II. Nota, qualem modū agendi hic observet Christus Dominus, qui nobis pro regula servire debet, dum in publico verba facimus, seu concionamur. 1mo. ex duabus navibus, quae erant in stagno Genesareth, elegit illam, quae ad Simonem Petrum spectabat: *ascendens autem in unam navim, quae erat Simonis, rogavit eum à terra reducere pusillum; & sedens docebat eos*; navis ista figura est ecclesiae, cujus divinus Salvator Petrum caput visibile esse volebat; intrat in illam, ut ibi praesideat, populum gubernet, ac instruat; per quod clericis innuit, nunquam recedere à doctrina ecclesiae, quae alia non est, quā doctrina ipsiusmet JEsu Christi, juxta fundatum principium S. Augustini Epist. 105. *neque enim sua sunt, quae dicunt, sed Dei, qui in cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis.* 2dò rogat Salvator Petrum, velit navim à terra reducere pusillum; quod ostendit juxta S. Gregorium M. eos, qui populum instruere ex officio debent, accomodare se debere eorum capacitati, quin nimiùm elevent, aut nimiùm deprimant suum discursum, sed observando medium, quod omnibus utile esse possit; *nec in altum duci, & tamen praecipit removeri, profectò significans praedicatores suos, rudibus debere populis, nec alta de coelestibus, nec tamen terrena praedicare,*

re, Moral. l. 17. c 12. 3tio. mandat Dominus S. Petro, & sociis ejus, expandere retia sua in capturam, quamvis tota nocte nihil ceperint, quod tamen opportunissimum aliàs tempus pro piscibus capiendis esse solet; quod nobis demonstrat, nunquã nos fatigari debere in laborando, sed quòd laborare debeamus in consortio, & cum auxilio Domini, & ad illius mandatum, hoc est, per & cum ejus vocatione, in statu gratiæ, & unionis cum illo, dicendo illi cum S. Petro: *in verbo autem tuo laxabo rete*; aliter laborare, est laborare de nocte, perdere tempus, & periculo se exponere, seipsum etiam perdendi, *ecce qui elongant se à te, peribunt*, Ps. 72. 27. Vide nunc, qualiter te hucusque gesseris circa piscationẽ animarum; applicastíne te benè ad discendam doctrinam ecclesiæ, ut aliud non prædicares, quàm quod ipsa docet? sequendo in hoc mandatum S. Pauli ad Titum: *loquere, quæ decent sanam doctrinam*, Tit. 2, 1. An exercuisti te in omni humilitate, servo JEsu Christi conveniente? tecum expendendo, quamvis ministri simus evangelii, propterea tamen non desinere nos, etiam esse peccatores? an non potius affectasti comparere, & teipsum ostentare, ac ab aliis te distinguere, quàm ædificare, ac aliis utilis, & proficuus esse? an non præsumpsi-

sti-

ſti de viribus tuis? ante tempus te in munus prædicandi ingerendo, ſine prævio examine, utrum te Deus ad miniſteriū prædicationis vocaverit? denique anne vixiſti út miniſter evangelii, qui haud contētus eſt docere alios ſanam doctrinam, ſi non etiam modum vivendi evangelio conformem habeat? *tunc doctrinæ eſt ſanitas*, ait S. Hieronymns Comment. in epiſt. ad Tit. c. 1. *cùm doctoris doctrina pariter & vita conſentiunt.* Pete veniam errorum & delictorum tuorum ex hac parte commiſſorum, & pro præparatione ad Miſſam cura purificare æquè intentionem, & fines tuos, ac conſcientiam tuam, quemadmodum apoſtoli lavarunt retia ſua, ut aptiora illa ad piſcandum redderent; hoc erit medium evitandi exprobrationem illam, quam audire à Deo debent illi, qui ſuam ſanctam legem annuntiant cum conſcientia fœdata & criminoſa; *peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum*, Pſ. 49. 16.

FERIA QUINTA.

Præceptor per totam noctem laborantes, nihil cepimus. Luc. 5. 5.

De jactura temporis.

1. Quòmodo fiat
2. Quàm hæc jactura ſit peccaminoſa.

PUN-

PUNCTUM I. FUit nox ista sine dubio valdè tristis, & inamœna pro apostolis, in qua piscando nec minimum tamen pisciculum capiebant, qui labori eorum consolationi esse potuisset; sed longè tristior, ac magìs deplorandus est modus vivendi & agendi tot christianorum, imò plurium etiam clericorum, qui vitam suam transigunt, quin aliquid pro salute sua faciant; quíque manus vacuas in hora mortis suæ inveniunt, ubi piæ & devotæ animæ bonis operibus abundāt; *egestatem operata est manus remissa; manus autem fortium parat divitias*, Prov. 10. 4. Fàcilè adverti potest, malum hoc nonnisi valdè commune, & ordinarium à jactura temporis originem suam trahere; hinc adjungit scriptura: *qui congregat in messe, filius sapiens est; qui autem stertit æstate, filius confusionis*, v. 5. Videamus modò, quomodo ergo tempus perdatur? 1mo. perditur *nihil* faciendo, prout quampl urimi faciunt, qui complicatis manibus sta nt, vel sedent in otiositate tam externa, quàm interna; qui de nulla re prorsus cogitant, vel nonnisi inutilibus cogitationibus, vanis, & chymericis consiliis se occupant; qui laborem omnem, & difficultatem horrent, qui nonnisi quietem, & propria commoda sua amant, & curant; quíque vel minimâ etiam obortâ

diffi-

difficultate vel incommoditate animum despondent! status hic ille est, quem Sapiens Prov. 20. 4. ità describit: *propter frigus piger arare noluit; mendicabit ergo æstate; & non dabitur illi.* 2dò. perditur tempus *malè* faciendo, prout illi faciunt, qui illud lusu & luxu, detractionibus, vel continuis jocis, vindictis, processibus, seu litibus injustis, & mille aliis à lege Dei prohibitis actionibus insumunt; eheu! ait S Gregorius M. Hom. 9. in evang. *sunt plerique intra sanctam ecclesiam, qui meliores vitæ vias aggredi metuunt, & tamen jacere in sui torporis ignavia non pertimescunt; cùmque se peccatores considerant, sanctitatis vias arripere trepidant, & remanere in suis iniquitatibus non formidant.* 3tio. perditur tempus, exercendo actus indifferentes, quin ad Deum referantur, uti sunt, bibere, comedere, dormire, conversari, invisere alios; & pleræque aliæ similes, ubi nonnisi fines quosdam humanos & purè naturales sibi præfigunt homines, quin ad id se reflectant, quod apostolus 1. Cor. 10. ait: *omnia in gloriam Dei facite.* 4to. perditur tempus etiam tunc, quandoquidem bona aguntur, sed non illa, quæ à nobis requirit Deus; e. g. si pastor animarum vivere vellet instar Cartusiani, & manere in solitudine; judex, qui pro eo, ut justitiam administret, totum su-

suum tempus insumeret in visitandis infirmis, & hospitalibus; servus, qui pro eo, ut serviat Domino suo, solummodò in ecclesia hæreret; juvenis seminarista, qui pro eò, ut se fundaret in pietate & virtute, in addiscenda obligatione sua, statim vellet missiones obire, cathedram conscendere, & alios docere, antequam ipsemet satís didicerit, & instructus sit; denique perditur tempus, etsi bona agantur, & quidem talia, quæ à nobis Deus requirit, si non fiant, prout oportet; e. g, orare, mortificare seipsum, dare elemosynam, se exercere in aliis operibus bonis, ex tali fine, qui nil ad salutem & meritum supernaturale conducit; *quandoque agit homo, quod propter hoc non agit, scilicet, ut Deo serviatur; in eo, quod agit, otiatur*, Tract. ad fratr. de monte Dei c. 8. inter oper. Bern. tom. 1. O quàm multi sunt in mundo, qui tempus suum perdunt! vide, an non & tu ex numero illorum sis? & ut corrigas;

PUNCTUM II. Considera, quàm peccaminosa sit hæc jactura; 1mo. tempus suum perdere, est per se tale peccatum, quod se solo sufficiat ad promerendam & inducendam sibi indignationem Dei; quod nobis in evangelio Matth. 25. 30. indicatur per verba ista: *inutilem servum ejicite in tenebras exteriores;* & hoc dicit S. Bernardus

Epist. 104. expressè scribens ad juvenem quemdam Clarimontanum; *quid retribuas Domino pro omnibus, quæ retribuit tibi! quid, inquam, lucri pro tot tibi creditis talentis referes creditori? ô si vacuam manum invenerit ille, ille donorum promptus quidem author, sed importunus exactor! veniet enim, veniet, & non tardabit ad requirendum utique, quod suum est, cum usura; attende, quid mereatur iniquitas, si sola sufficit inutilitas ad damnationem*! 2do. non solùm jactura temporis per se peccatum aliquod est, sed insuper origo est infinitorum peccatorum; *multam enim malitiam docuit otiositas*, ait Spiritus S. Eccles. 33. 29. nunquam sola vadit otiositas, superbia, gula, impudicitia, murmuratio, impatientia, dicteria, durities cordis, impietas; jungunt se ordinariè huic vitio, prout id notat propheta regius, dum de iis loquitur, qui labores fugiunt; ad quos tamen omnes homines condemnati sunt; *in labore hominum non sunt, ait, & cum hominibus non flagellabuntur*; quid accidit? *ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, & impietate sua; prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum; transierunt in affectum cordis &c. cogitaverunt, & locuti sunt nequitiam* Ps. 72. ecce! horrendam sequelam vitiorum, & scelerum! quò demum quis pervenit, qui tempus suum malè pessumdat, & in otiositate vi-

vivit! examina temetipsum, & memor esto pro præparatione ad Missam, Deum tuum, quem proximè sumpturus es, semper in labore fuisse; *in laboribus à juventute mea.* Fierine possit, eum tantùm laborâsse, & te inutilem manere? fac Domine JEsu, ut intelligam hodie, si hucusque non intellexi, quàm peccaminosa sit jactura temporis! tempus hoc breve est, duratio illius incerta; jactura irreparabilis; quantum deplorare & ingemiscere debeo, tantam me illius hucusque fecisse jacturam! veniam humillimè peto; & propono, me illud imposterū melius impendere velle; agnosco id, quod quidam sanctorum tuorum dixit, tempus vitæ nostræ inutiliter transigi, si non in singula momenta, in & ex omnibus, studeamus acquirere novum meritum pro æternitate; *non utiliter in tempere vivitur, nisi ad comparandum meritum, quo in æternitate vivatur.*

FERIA SEXTA.

Quod, cùm videret Petrus, procidt ad genua JEsu dicens: exi à me, quia homo peccator sum, Domine. Luc. 5. 8.

HUMILITAS IN ORATIONE.

1. Exterior. 2. Interior.

PUNCTUM I. MIrare hìc orationē S. Petri, & de ea

meditationem institue; apostolus totus extra se raptus in consideratione tam miraculosæ capturæ quæ ad mandatum Christi JEsu secuta est, ad pedes illius se abjecit, & fatendo, se indignum esse, qui simul cum illo in navi esset, dicebat: *exi à me quia homo peccator sum.* O quàm confundit hæc illius humilitas superbiam nostram! vide illum ad pedes JEsu prostratum, *procidit ad genua JEsu*; hæc sola situatio corporis instruit nos, & docet humilitatem illam exteriorem, quacum nos orare oportet. Verũ est, non dari legem, in qua situatione esse debeat corpus nostrum durante oratione, eoquòd ùt S. Augustinus l. 2. ad Simplic. q. 4. ait, Deus specialiter dispositionem cordis nostri attendat; *non est præscriptum, quomodo corpus constituatur ad orandum dummodo animus Deo præsens peragat intentionem suam*; nihilominus convenientior situatio supplicantium, seu orantium, ut preces nostræ devotius peragantur, & tantò facilius Deus flectatur, ac debita illi reverentia exhibeatur, est, ut fiant flexis genibus; *mihi curvabitur omne genu*, ait Dominus per prophetam suum If. 45. 24. estque hæc ipsa ecclesiæ praxis, & usus, prout notat S. Hieronymns: *moris est ecclesiastici, Christo genu flectere*, Hier, ibid. excipe Dominicas & tempus paschale, ubi erecti stamus

mus in oratione in memoriam resurrectionis Dominicæ. Accomodastíne te huic usui? an non absque necessitate tecũ quoad hoc dispensasti? si infirmitas tua corporalis non patiebatur, ut genibus flexis orares, anne propterea erubuisti, & te propterea magìs in conspectu Dei humiliasti, dicendo cum propheta regio: *humiliata est in pulvere anima mea*, Ps. 43. 25. observastíne aliás omnem illam modestiam & recollectionem, quàm à te requirit infinita Dei majestas, quam adoras? quàm dissipatus & distractus fuisti pro eo, ut oculos tuos in eum figeres? pete veniam ob tot irreverentias, quas in ipsius præsentia & conspectu admisisti; & quia humilitas exterior non sufficit;

PUNCTUM II, Stude vel maximè humilitati interiori, quæ in eo consistit, ut benè cognoscas, quid nos simus, id est, miserias & peccata nostra, quorum sola recordatio sufficiens est, ut cogamur cum S. Petro dicere, nos haud mereri apparere in præsentia JEsu Christi; *exi à me, quia homo peccator sum Domine.* O Domine! possitne quis esse magìs pauper, debilior, miserabilior, quàm ego sim! non est necesse, ut in conspectu tuo ego exaggerem mala mea, cœcitatem spiritûs mei, duritiam cordis mei, debilitatem voluntatis meæ, levitatẽ

cogitationum mearum, impotentiam desideriorum meorum, violentiam inclinationum seu affectionum mearum, tentationum, quæ me circumdant, corruptionis meæ, quam sentio; tu ipse hæc omnia in me vides; sufficit mihi dicere coram te, in amaritudine animæ meæ, totum me esse illum, ac talem, qualem me nosti esse, id est, cumulum omnium miseriarum; *ego cinis & vilissima pars luti, etiam favilla, dum uror; ego cunctis peccatorum sordibus inquinatus*, ità loquebatur S. Hieronymus Epist. 5. ad Florent. Quid verò ego dicam? fateor, Domine Deus meus, me indignum esse, qui coram te compaream; gratia, quã à te peto, est, ut gemere, me humiliare, & exinanire valeam sub tali pondere, quod sola misericordia tua sublevare potest, aut supportare; hæc enim est conditio alicujus miserabilis, qualis ego sum; *gemitus non est, nisi miserorum* S. August. in Ps. 26. Si autem peccatis nostris propriis jungamus etiam peccata populi, pro quo intercessores nos esse debemus apud Deum, quantam materiam humiliationis nostræ invenim9? quid aliud hodie dicere possumus, ubi scelera adeò utique regnant, quàm quod olim dicebat Esdras sacerdos; *Deus meus, confundor, & erubesco levare faciem meam ad te; quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt*

sunt super caput nostrum, & delicta nostra creverunt usque ad cœlum, 1. Esdræ. 9. 6. Pro præparatione ad S. communionem, vel Missam rogemus Christum Dominum, ut aspiciat miseriam nostram, in qua sumus; pauperes quotidie boc rogare solent, dum petunt elemosynam, non possumus melius dicere quid, vel proponere, seu adducere, quia nil verius dicere possumus; puto sufficere posse, & satis esse pro gratiarum actione post S. communionem pro eo, ut varios actus internos eliciamus, si dicamus Christo JEsu in & cum profundissima humilitate: O bone Deus, quem modò intra me habeo, & qui optimè vides, & nosti miseriam meam, quàm magna sit, ah, miserere mei! *respice in me, & miserere mei, quia unicus & pauper sum ego*, Ps. 24. 16.

* *

DIE SABBATHI.

Et subductis ad terram navibus; relictis omnibus secuti sunt eum. Luc. 5. 11.

De defectibus vocationis.

1: Vocatio lucrativa. 2. Vocatio indiscreta. 3. Vocatio coacta.

PUNCTUM I. PRompta hæc renuntiatio, & dimissio omnium rerum S. Petri & sociorum ejus, ut pauperem Cristum sequerentur, satìs clarè damnant vocationes illas lucrativas,

feu propriis commodis innixas, quæ hodiedum communes & ordinariæ, non tamen ideò minus peccaminosæ, & criminosæ sunt; exprobrat olim Judaicis sacerdotibus Deus per prophetam Malachìam, quòd nonnisi propriis lucris ducerentur; quòd à populo talia exigerent, quæ ipsis non deberentur; & nullum esse inter eos, qui quidquam gratis in templò faciat; *quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò?* Malach. 1. 10. S. Paulus conquestus erat in prima nascente ecclesia, majorem partem ministrorum sacrorū nonnisi proprium suum interesse quærere, *omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ JEsu Christi*, Philip. 2. 21. O quàm justè possumus nos renovare has querelas & planctus tam prophetæ, quàm apostoli Pauli his nostris temporibus; ubi tot se ingerunt in sacerdotium ex motivis planè sordidis, & ex avaritia; nec aliud quærunt in & ab ecclesia, nisi ut commodius quàm in sæculo, vivere possint? *nonnulli enim sunt ditiores monachi, quàm fuerunt sæculares*, ait S. Hieronymus Epist. 2. ad nepot. *& clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace diabolò non habuerant, ut suspiret eos ecclesia divites, quos mundus tenuit antè mendicos.* Cave, ne in laqueum hunc sathanæ cadas; *ne lucra sæculi in Christi quæ-*

ras

ras militia, ibid. Ut ex hoc monito S. Hieronymi proficias; frequenter te reflecte super ista verba ecclesiæ, quæ pronuntiari debent ab iis, qui ad primam tonsuram admittuntur: *Dominus pars hæreditatis meæ*, Ps. 15. Quid? an ista tibi non sufficiat hæreditas? an ità avarus eris, ut istâ non contentus vivas? scio quidem justum esse, ut qui servit altari, etiam vivat de altari, & dignum esse operarium mercede sua; sed hanc exspectando iis contenti simus, quæ ecclesia nobis suppeditat, ut eidem absque distractione & impedimento servire valeamus; *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*, 1. Tim. 5.

PUNCTUM II. Vocationes lucrativæ non sunt solæ, quæ ecclesiam affligunt; vocationes indiscretæ, ubi quis solummodo impulsum zeli cujusdam præcipitati, qui non est secundùm scientiam, sequitur; & ubi ordinariè aliud consilium non sumitur, nisi à semetipso, non minus eam cruciant; si quis prius vitam duxerit prorsus perversam, & sentiat postea in se desideriũ aliquod illam mutandi, & ideo statim de amplectendo statu clericaii cogitat, putat quidem se bonam, & veram agere poenitentiam, & valdè honorare Deum, si sacerdos ordinetur; sed, quid? exclamat hìc S. Bernardus in Cantica; tu prius profanasti

toties in temetipſo templum Spiritûs ſancti; teipſum diabolo proſtituiſti; tot impuritatibus fœdatus; recenter à ſordibus ſurgis, & volutabrum, in quo teipſum immerſiſti, deſeris, & ſtatim teipſum ſiſtis, ac præſentas, ut inter principes populi menſæ Domini aſſideas? tu te ipſum reficere in pane angelorum; agnum innocentem immolare, & ipſemet ſacrificare? quid? *heri de luto tractus, hodie vultui gloriæ præſentaris!* quid? ſperas ulcera tua, fortè decem annorum, & plagas tuas, quæ per totam vitam tuam adhuc ſangvine fluunt, ſpatio trium fortè menſium, in quodam ſeminario obducendas, & ſanandas? *aliud eſt*, ait alibi S. Bernardus, *adipiſci celerem veniam peccatorum, & aliud, de ipſis ſceleribus ad infulas mox provehi dignitatum*, Epiſt. 8. ad Brun. alii ſunt, qui fortè reipſa moderatius & regularius vixerunt, qui, poſtquam audierũt; ſacerdotium eſſe ſtatum ſanctitatis & perfectionis, ſtatim feſtinant, eum amplecti, quin prius examinaverint ſufficienter, utrum debitâ ſcientiâ & virtutibûs ſtatui huic convenientibûs præditi ſint; qui ſacerdotium deſiderat, magnum quid deſiderat; *bonum opus deſiderat*, 1. Timoth. 3. ſed oportet, ut magnas quoque afferat diſpoſitiones, ut ſit aptus, ſeu in ſtatu, ſerviendi eccleſiæ, perſeverandi in vita ſan-

cta-

cta, & laboriosa JEsu Christi, apostolorũ, & virorum apostolicorum; qui super istis se non reflectit, temerarius est; præcipitãter ait, & jure comparatur homini illi, de quo evangelium; *qui cœpit ædificare, & non potuit consummare*, Luc. 14, 30.

PUNCTUM III. Tertius defectus & error est in vocatione, quando coacta & violenta est, nec aliud motivum intervenit, nisi quia ità volunt parentes, & consaguinei. O quàm perversè agunt patres & matres, qui in istis occasionibus authoritatem suam paternam & maternam mutant in tyrannicam quamdam dominationem! pro eo, ut Deo liberos suos sacrificẽt, immolant illos dæmoniis, eos ad talem statum cogendo, qui eis neutiquam convenit; *immolaverunt filios suos, & filias suas dæmoniis*, Ps. 105. 37. Dei nimirum est, vocare hominem ad certum statum; hominis autem respondere Deo vocanti; *vocabis me, & ego respondebo tibi*, Job. 14. Non placet Domino sacrificium, quod voluntarium non est; neque vota, quæ quis implere, & servare non vult; quicunque desiderat se Deo consecrare in certo quodam statu, facere hoc debet ex corde, & prorsus liberè, ac bona voluntate; *volntariè sacrificabo tibi*, Ps. 53. 8. Examina teipsum, an non amplectendo statum ecclesiasticum

in

in aliquem iſtorum defectuum incideris, quos modò audîſti? ſi te reum quoad hoc inveneris, noli ad altare accedere, quin vitium hujus ingreſsûs tui emendaveris, & ſanctificaveris, ſeu ordinaveris id, quod in vocatione tua defectuoſum erat; ſi autē nondum ſtatum hunc es amplexus, seriò prius de hoc cogita, quia melius foret te manere in ſtatu & conditione inferiori, & ut laborares ſalvus fieri in & cum ſimplici populo, quàm in ſtatu religioſo, vel clericali, ſi debitas diſpoſitiones & conditiones non habeas; exponeres enim ſic te, prout S. Bernardus loquitur, judicio terribiliori; *eſſet autem ſine dubio melius nubere, quàm uri; ſalvari in humili gradus fidelis populi, quàm in cleri ſublimitate; & deterius vivere, & diſtrictius judicari*, S. Bernard. de conv. ad cler. c. 20.

DOMINICA QUINTA POST PENTECOSTEN.

Omnes unanimes in oratione eſtote. 1. Petr. 3.

DE FREQUENTANDA PROPRIA ECCLESIA PAROCHIALI.

1. Obligatio eas frequentandi.
2. Commoda, quæ exinde nobis proveniunt.

PUNCTUM I. PRrima verba hujus epiſtolæ, prout nobis ab eccleſia ad meditandum proponuntur, eò

eò nos perducunt, ut in communi oremus, in spiritu concordiæ, & charitatis, prout fieri videmus in conventu & congregatione fidelium, dum rei divinæ in ecclesia parochiali simul intersunt; hi sancti conventus adeò in primis ecclesiæ sæculis florebant, & laudabantur, ut S. Justinus & Tertullianus suas pro christianis apologias scribendo, putârint, S. Justinus apol. 2. sub fin. Tertull. in apol. c. 39. nil adeò conferre posse ad formandam grandem & præclaram ideam de nostra sancta religione, quàm si paganis ob oculos ponerent, quàm soliciti sint christiani, conveniendi singulis Dominicis ad audiendum Dei verbum ex ore pastoris sui, uniendi cum illo preces, & orationem suam, & participandi de sacrificio, quod ipse pro tota communitate ità congregata & simul unita offert; nil tunc temporis magis vituperabile visum erat, quàm se subtrahere sanctis ejusmodi conventibus; quia scimus ex S. Ignatio Epist. ad Smirn. unam ex principalioribus reprehensionibus, quas hæreticis sui temporis faciebat, hanc esse, quòd abstinerent à publicis in ecclesia precibus persolvendis; successu temporis SS. concilia tepiditate fidelium, qui sensim negligere ceperunt frequentare pr oprias suas parochias, commoti, ad tale m frequentationem

eos

eos ſub pœna excommunicationis adegerunt; & tandem his temporibus vide, quid ſtatuerit de hac re concilium Tridentinum, Seſſ. 22. decreto de obſ. & evit. in celeb. Miſſ. & ſeſſ. 24. de reform. c. 4. epiſcopi, qui ſunt ordinarii locorum, ſæpe admoneant populum, ut ſuam parochiam frequētent, ad minus ſaltem diebus Dominicis, & feſtis per annum; & alibi: non intermittant epiſcopi ſæpe monere fideles, quòd quilibet illorum obligatus ſit audire verbū Dei in propria ſua parochia, ſi non adſit rationabilis aliqua incommoditas, quæ eum ab hoc impediat; S. Carolus hoc eodem ſpiritu animatus, idèmque cum hoc concilio ſentiens, excellentem prorſus hac ſuper re edidit paſtoralem adhortationem, in qua affert rationes, cur fideles obligentur frequentare proprias parochiales eccleſias; adeò graves & convincentes ſunt hæ rationes, ac ex tam puro amore & zelo pro ſalute animarum proveniunt, ut vel illos etiam commovere poſſint, qui eouſque procedunt, ut ſe tam ſanctæ inſtitutioni & ordinationi opponere non vereantur; legantur iſta, & populo etiam communicentur in concione; verùm ante omnia ipſemet ſis exactus, ut rem divinam in tua parochia ſedulò peragas, & devotione tua, tuô bonô exemplô, ac ſalutaribus inſtru-

ctio-

ctionibus, id efficere stude, ut cultus hic divinus ritè ac sanctè instituatur, ac peragatur; erit hoc medium optimum, populum tuum in ecclesiam attrahendi; & si plura adhuc motiva desideres, ad hoc illis persuadendum;

PUNCTUM II. Disce benè comprehendere commoda, & utilitates illas, quæ ex ista frequentatione propriæ parochiæ trahuntur; & cura, ut talia populo tuo clarè explices. 1mo. oratio nostra ibi longè redditur efficacior; uniuntur ibi fideles pastori suo, & reliquis fratribus suis in Christo JEsu; jam verò certissimum est, preces, quæ in communi fiunt, longè aliam & majorem vim, & efficaciam habere, quàm quæ privatim peragitur oratio; est quasi sancta quædam conspiratio, & Deo gratissima vis, & violentia, ait Tertullianus Apolog. c. 39. *coimus in cœtum, ut ad Deum quasi manu factâ precibus ambiamus orantes; hæc vis Deo grata est.* Per communem orationem factum fuit, ait S. Joan. Chrysostomo, quòd Petrus liberatus fuerit é custodia carceris; libentius & promptius audit Deus orationem communem; concursus tot hominum; vinculum charitatis; oratio sacerdotum magnam vim & efficaciam habet coram Deo; hoc autem omne invenitur sub re divina in propria parochia; *hìc enim*

ma-

majus aliquid est, puta, unanimitas, & consonantia, charitatìsque vinculum, & sacerdotum orationes, S. Chysost. hom. 70. ad popul. Antioch. 2do. instructio & doctrina ibi est utilior; Deus ibi confert benedictionem quamdam singularem; pastor nimirum ibi pascit gregem suum, qui benè novit, quo pasculo indigeat; pater est distribuens liberis suis panem verbi divini, & quidem unicuique secundùm capacitatem suam, & indigentiam, utpote missionem particularem ad hoc consecutus; dubitari non debet, eum hoc majori cum fructu facturum, quàm quivis alius; id, quod S. Chrysostomum impulit, ut præ divitibus, & magnis dominis sui temporis, qui ruri prædia, & domos quasdam habebant, quosque exhortabatur, ut & parochias ibi fundarent, diceret, credere se, instructiones, quas ibi ex ore talis parochi percepturi essent, illis utiliores futuras, quàm suæ propriæ, quas in civitate ipsemet proponeret. 3tio. frequentiores ibi fiunt admonitiones; explicantur ibi mysteria religionis, veritates, & orationes illæ, quas quilibet christianus scire debet; hìc etiam denuntiantur jejunia, vigiliæ, & festa de præcepto; hìc publicantur matrimonia, monitoria, indulgẽtiæ, & ordinationes variæ episcoporum, pro bono dioecesis; tandem administrantur

tur hìc Sacramenta; éstque locus ille, in quo per aquas baptismi regenerati sumus; potéstne quis hæc omnia commoda ante oculos suos habere, & non capi amore suæ parochiæ? non adhærere pastori suo? illùmque ità æstimare, quasi mediatorem nostrum apud Deum? qui docere nos debet, quomodo illi serviendum? quomodo christianè vivendum? uno verbo, qui consolari nos debet in omni necessitate nostra? Pro præparatione ad S. communionem vel Missam, roga Dominum, qui ecclesias parochiales suâ præsentiâ honorare vult, eásque specialiter ad hoc elegit, ut gratias suas in iis distribueret, ut tibi hanc gratiam exhibeat concipiendi magnam existimationem & æstimationem de illis, quam etiam parochianis tuis inspirare valeas; *in ecclesiis benedicam te Domine*, Ps. 23. 12.

FERIA SECUNDA.

Non reddentes malum pro malo; nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes; quia in hoc vocati estis, ut benedictionē hæreditate possideatis. 1. Petri. 3. 9.

De condonatione injuriarum.

1. Oportet illas pati. 2. Oportet eas oblivisci.

PUNCTUM I. Considera in hoc textu S. Petri, quàm perfecti esse debeamus in condonandis in-

juriis, in quo grandis illa & magna christianorum perfectio consistit; *vobis donatum est*, ait alius quidam apostolus, *pro Christo non solùm, ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini*, Philip. 1. 29. Oportet pati & perferre injurias 1mo. *humiliter*; dicamus intra nosmetipsos, quando injuriâ aliquâ afficimur, aliud nos non esse promeritos, quàm ut Deus talia permitteret, ad docendum nos, ei imposterum melius, ac fidelius serviendi, quàm hucusque factum fuerit, *bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas*, 118. 71. ità loquebatur David, & sic etiam fecit, dum à Semei calumniis & imprecationibus impetebatur; non considerabat hanc injuriam, quàm ab hoc miserabili homine patiebatur, sed unicè voluntatem Dei, qui id permitteret, cujus causa essent propria ipsius peccata; hinc dixit etiam ministris suis; qui hanc atrocem injuriam ulcisci volebant, verba hæc, quæ omninò notanda sunt, & tanto rege pœnitente digna; *dimittite eum, ut maledicat, Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David; & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit*, 2. Reg. 16. 10. an idem tibi sensus tam humilis fuit, dum aliquâ injuriâ affectus fuisti? 2do. *patienter*; & supprimere omnem motum vindictæ, quam nobis natura nostra inspirare posset;

mi-

mites esse debemus in medio eorum, qui irâ abripiuntur; humiles intra elatos; moderati inter violentos; benefacere iis, qui malis nos onerant, & maledictis nos impetunt; iste erat modus agendi primorum discipulorum JEsu Christi, & in particulari pastorum sanctorum; notatu planè dignissimum est, quod Sulpitius Severus de S. Martino refert; *tantam adversùs omnes injurias patientiam assumpserat, ut, cùm esset summus sacerdos, impunè etiam ab infimis clericis læderetur; nec propter id, locô, eos unquam amoverit*, in vita S. Martini c. 26. Verùm, quod author iste de Brixio in suis dialogis narrat, adhuc magìs studendum est; Britius iste homo erat violentus, & spiritûs valdè elati ac superbi; erat monachus proprietarius, & vix non apostata; sacerdos prorsus perversus, inimicus magni hujus sancti, & quasi flagellum illius, quem omni injuriarum genere afficiebat, ac pro superstitioso, visionum amante, & deliro habebat, & tot convitiis eum onerabat, quot unquam alicui furioso, instinctu dæmonis, in buccam venire possent; quia autem S. Martinus, qui illius Abbas, & Episcopus fuerat, nullatenus tot injuriis fatigabatur, sed omnia hæc, & plura alia patientiâ, prout videbatur, omninò excessivâ tolerabat, remonstrabat illi clerus suus, ac di-

scipuli, huic malo medium afferendum, & impudentem hunc hominem compescendum, vel projiciendum omninò; magnus hic episcopus hoc unico dicto os eorum obstruxit, & obmutescere fecit; *si Christus Judam passus est, cur ego non patiar Brixionem?* quid tu ad exemplum hoc?

PUNCTUM II. Non satis est, pati injurias, oportet eas etiam oblivisci; siquid boni nobis confertur, gratitudo exigit, ut illius memoriam retineamus; si verò quid mali nobis infertur, charitas petit, ut id obliviscamur; *memor officii, immemor injuriæ*, Ambros. l. 2. in Luc. c. 1. Oportet oblivisci injurias 1mo. *statim*, quamprimũ fieri potest; si eas sentis, ùt homo; condona illas, ùt christianus; noli eas tecum ipso in memoria tua revolvere, aliás suscitabis in teipso passionem iræ, & desiderium vindictæ, quæ tamen ex mandato Dei reprimere & supprimere debes; assuesce etiam, ut de illata tibi injuria coram aliis non loquaris, sub prætextu, petendi consilium, aut quærendi, vel optinendi aliquod solatium; similes enim discursus ad aliud non serviunt, quàm ut profundius in te radices agat sensus acceptæ injuriæ, & ut magis ad amaritudinem spiritûs irriteris, & exacerberis; si de illa non cogitas; si non loquaris de illa; passio tua diminuetur, &

iracun-

iracundia tua evanescet; utere hoc consilio, quod ex Sapiente desumptum est; *omnis injuriæ proximi ne memineris, & nihil agas in operibus injuriæ*, Eccles. 10. 6. 2do. oportet eas oblivisci, *pro semper*, & Deo relinquere vindictam, adeò, ut quis in se etiam minimos motus amaritudinis & aversionis, qui exsurgere possent, supprimat; *omnis amaritudo, & ira, & indignatio tollatur à vobis*, Ephes. 4. 31. non dimittis fratri tuo ex corde, prout Christus JEsus id nobis præcipit, si exspectas occasionem, & tempus favorabile, teipsum vindicandi; & dandi signa iracundiæ, & aversionis tuæ erga illum! O quot in hoc puncto defectus & peccata commituntur! examina teipsũ, an non ipse etiam in hac materia excesseris; & pro præparatione ad Missam teipsũ excita, & anima ad condonationem injuriarum, considerans extremam JEsu Christi bonitatem, qui se tibi dare vult, non obstantibus injuriis, quas ei irrogâsti, & fortè etiam in ipsa sanctissima eucharistia, ubi eum pro merito sanctitatis suæ non tractasti. Propono Domine JEsu, quòd nullã unquam memoriam injuriarum, vel desiderium vindictæ amplius in corde meo servare velim, ut ità valeam hocipsum à te fiducialiter petere, ut pariter omnium injuriarum, quas à me passus es, oblivisci digneris;

dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris; væ mihi, si ad altare tuum aliter dispositus accedam! *interrumpatur cultus meus, ut tua charitas integretur; sacrificium mihi est, fratrum reconciliatio*, S. Chrysost. hom. 16. in c. 5. Matth.

FERIA TERTIA.

Et quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis, sed &, si quid patimini propter justitiam, beati. 1. Petri. 3. 13.

De persecutionibus.

1. Beati, qui persecutionem patiuntur.
2. Maledicti, qui inferunt.

PUNCTUM I. EAdem cum divino suo magistro loquelâ utitur S. Petrus: *Beati*, ait Chtistus JEsus Matth. 5. *qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; beati estis, si maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos, mentientes propter me; gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo*; quia verò mundus beatitudinem hanc omninò intelligere nō vult, reflectamus nos parumper super illā; & videamus, quid operetur persecutio in eo, qui illam pro justitia, & ex amore JEsu tolerat? 1mo. producit gaudium Spiritûs S. qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ùt ait S. Paulus; quantô gau-

diò afficiebantur apostoli, postquam se pro nomine JEsu adeò malè tractari viderunt? *ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine JEsu contumeliam pati,* Act. 5. 41. Quale gaudium erat illud S. Pauli in medio laborum, & afflictionum, quibus plenum erat ministerium illius? vita illius aliud non erat, quàm continua series persecutionum, carcerationū, & mortis, prout ipse de seipso testatur: *semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter JEsum,* 2. Cor. 4. 11. non aliter habebatur, aut tractabatur, nisi instar rerum vilissimarum; *tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus; omnium peripsema usque adhuc,* 1. Cor, 4. 13. & nihilominus fatetur, gaudium, quod experiebatur, longè superasse omnem tribulationem; *repletus sum consolatione, superabundò gaudiò in omni tribulatione nostra,* 2. Cor. 7. 4. Quis dicere valeat, quale fuerit gaudium martyrum, & confessorum JEsu Christi, & quale adhuc hodie sit tot animarum sanctarū, quæ aliquid pro nomine JEsu pati possunt? manna hoc est absconditum; & gaudium adeò secretum, ut exprimi non possit. 2do perficit virtutem; quemadmodum aurum & argentum purificantur in camino ignis, sic etiam virtus christiani, & clerici in persecutionibus probatur, & perficitur; hinc

ità nos monet & hortatur S. Jacobus, cap. 1. 2. *omne gaudium existimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis, scientes, quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur;* patientia autem nos ad perfectionem virtutis perducit; quò magis nos illam, & in illa nos exercemus, eò magis progredimur in via salutis, quousque demum virtus nostra perfecta evadat; *patientia autem opus perfectum habet; ut sitis perfecti & integri, in nullo deficientes,* ibid. v. 4. 3tio. auget coronam nostram, id, quod nobis in evangelio promittit JEsus Christus; *gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis,* Matth. 5. locum habere distinctum, & honoratum in coelo, socium esse prophetarũ, apostolorum, martyrum, & tot illustrium defensorum veritatis; libertate privatum, & obligatum esse ad ducendam viam vagã, & undique errantem, prout de antiquis justis scribit S. Paulus, Hebr. 11. quorum dignus non erat mundus. O quanta felicitas! quæ gloria, & honor pro christianis! noli itaque affligere teipsum, si quid pro nomine JEsu pati, diffamationes, aut injurias tolerare debeas! *si exprobramini in nomine Christi, beati eritis,* ait princeps apostolorum, 1. Petr. 4. 14. Sed, ô magne apostole, cur adeò æstimas eos, qui aliquid mali patiuntur, & malè à mundo tractãtur?

tur? respondet; *quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei; & qui est ejus spiritus, requiescit super vos*; quis posset dici majus? verum igitur est, beatos esse illos, qui injustè persecutionem patiuntur; credis hoc? si ità est?

PUNCTUM II. Crede insuper, & certò scias, illorum persecutores esse infelices, & maledictos; quia 1mo. eorum intentum & consilia non valent; *non est sapientia, non est consilium supra Dominum,* ait Spiritus S. Prov. 21. 30. sapientia, prudentia, consilium prosunt, si pro gloria Dei adhibeantur; verùm si contra Deum, quis iis utatur, & contra servos illius, prorsus nihil valent; id, quod initio ecclesiæ nascentis apparuit, prout à propheta Davide Ps. 2, prædictum fuit; *astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus*; sed quid effecerunt? ad quid profuêre omnia eorum consilia? extinguere nitebantur nomen christianorum, effundendo sanguinem martyrum; hic ipse tamen sanguis semen factum est christianorum, prout indicant hæc notabilia verba Tertulliani, Apolog. c. 50. *cruciate, torquete, damnate, & atterite nos; probatio est innocentiæ nostræ iniquitas vestra &c.* nec quidquam proficit vestra crudelitas, *illecebra est magìs sectæ; plures efficimur, quoties metimur à vobis; semen est sanguis*

christianorum; adhuc indies videmus, quomodo ludat Dei providentia his consiliis impiorum contra bonos; *qui habitat in cœlis, irridebit eos*, ait propheta, Ps. 2. 4. *& Dominus subsannabit eos*. 2do. malitia illorum confundetur; *scriptum est enim*, ait S. Paulus 1. Cor. 1. 19. *perdam sapientiam, & prudentiam prudentium reprobabo*. Complacet sibi Deus, si confundere possit hos falsos sapientes, & prudentes hujus sæculi; laudet illos mundus, quantum volet, gloria hæc nonnisi momento durat; *laus impiorum brevis*, ait scriptura Job. 20. 5. gaudium hypocrytæ brevì evanescet, etsi superbia ipsius usque ad cœlum se extollat, & nubes attingat, peribit tandem, *& quasi sterquilinium in fine perdetur*, ibid. 3tio. injustitia illorum punietur; si persecutores commodis vitæ hujus gaudeant, & fruātur, hoc totum est, quod ipsis concedi potest; sed quid hoc est ad æternitatem? fumus, somnus, vapor, illusio; quando venerit dies Domini, dies vindictæ, omnia in momento disparebunt; *velut somnium surgentium imaginem ipsorum ad nihilum rediges*, Ps. 72. 20. tunc omnia in ordinem redigētur; fundum cordis, & intima patebunt; mendacium locum amplius non habebit; non erit nisi veritas; unis consolationi, aliis funesta; tunc cognoscent ii, qui bonos per-

persecuti sunt, quod in hac vita, passionib9 suis obcoecati, non agnoverunt, sed nimis tardè, & serò; *vae genti insurgenti super genus meum; Dominus enim omnipotens vindicabit in eis; in die judicii visitabit illos*, Judith. 16. 20. O quàm terribilis est veritas ista! sed quàm parùm cognita! meditare illam, antequam ad altare accedas; & offer te in sacrificium divino tuo magistro pro conversione horum miserabilium coecorũ, qui alios persequendo nequaquam vident mala, quae sibi ipsis procurant & inferunt: *Pater, dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt*, Luc. 23. 34.

FERIA QUARTA.

Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini; Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris. 1. Petri. 3. 14.

DE RESPECTU HUMANO.

1. Malum, quod operatur.
2. Media, illum vincendi.

PUNCTUM I. UT ex integro Christi JEsu simus, & gloriam sanctitati ejus demus, prout S. Petrus hìc nos hortatur, debemus nos extollere juxta hunc apostolum supra omnes minas, aequè ac blanditias hujus mundi; *timorem eorum ne timueritis;* timor mundanus, quem communiter *respectum humanum*

vocamus, potens eſt ſeparare nos à Deo, & facere, ut in infinitos errores cadamus; *qui timet hominem, citò corruet*, ait Spiritus S. Prov. 29. 25. reflecte te ſuper hoc in præſenti meditatione; qui mancipium eſt reſpectus humani, 1mo. non audet ſe declarare pro JEſu Chriſto; ſimilis eſſe videtur diſcipulo illi, de quo evangelium ait, eum auſum non fuiſſe, aſcendere in montem calvariæ, quia timebat Judæos: *occultus autem propter metũ Judæorum*, Joan. 19. 38. vellet libenter ſequi Chriſtum; ſed cum ipſo in monte calvariæ non inveniri; ibique deſtruere peccatum, illud eſt, ad quod ſeipſum reſolvere non poteſt; quid? vitam mutare? deſerere hanc ſocietatem? amplecti pietatem? quid dicent de me? O fatale, *quid dicent*! maledictus reſpectus humanus! quot homines etiam ex clericis retardas, & impedis in via ſalutis! *illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor*, Pſ. 13. 5. 2do, non facit bonum, ad quod faciendum obligatur; judex vellet libenter fungi officio ſuo; neque corrumpi ſe ſinit donariis; verùm apprehenſio & timor diſplicendi alicui grandi ſeu magno domino, qui reſolutionem dandam ægrô animô ferret, inutiles reddit optimas alias capiendas reſolutiones; ſi idem ei dicatur, quod Judæi Pilato objecerunt; *ſi hunc dimittis, non es a-*

mi-

micus cæsaris, Joan. 19. 12. turpiter huic panico timori cedit; pastor libenter vellet exequi, quæ obligationis suæ pastoralis sunt; verùm si indignationem quamdam mundi incurrere oporteat, turpiter ministerium suum prodit, quin ullo modo attendat ad hæc verba apostoli, quæ in æternum condemnabunt omnes clericos, pigros, timidos, & ad aliorum placitum promptos & paratos, *si hominibus placerem, Christi servus non essem*, Galat. 1. 10. ità est, ab uno momento, quo hominibus placere vis, & Deum spernis, ac propriam salutem minimè curas, non es ampliùs servus JEsu Christi; servus es hujus impudicæ mulieris, illius ebriosi, & helluonis, quorum excessus, & scelera suffers; servus es avari illius, illius usurarii, quorum non audes improbare intentiones; servus es illius juratoris assidui, illius libertini, quos ex respectu humano, ne eos offendas, vel iis displiceas, reprehendere non audes; neque agnoscet te ampliùs Christus JEsus corã Patre divino pro servo suo ac ministro; *unum evangelium*, ait Tertullianus, de coronà c. 11. *& idem JEsus, negaturu omnem negarorem, & confessurus omnem confessorem Dei*. 3tio. ille, qui mancipium est *respectus humani*, malum operatur, ut aliis placeat; timor iste mundanus ad id eum impellit,
bea-

ut graviſſimas religionis noſtræ obligationes negligat, & tranſgrediatur; quia nullum aggredi, vel offendere vult; quid fit? maledicit cum maledicentibus, turpiter ait, & loquitur cum pariter agentibus, & loquentibus; & malum perpetratur, quod quis non amet, quia plures idipſum faciunt, quos amat; *cùm dicitur, eamus, faciamus*, ait S. Auguſtinus, l. 2. conf. c. 9. *pudet non eſſe impudentem*. Examina teipſum circa defectus, quos fortè ipſemet etiam ex reſpectu humano commiſiſti; & veniam illorum à Deo pete, ac in futurum

PUNCTUM II. Vide, quale medium arripere debeas, ut illum vincere poſſis; grande fundamentum, quod te ſecurum & ſuperiorem omni humano reſpectu reddat, eſt timor Domini; *firmamentum eſt Dominus timentibus eum*, Pſ. 24. Timor iſte faciet te contemnere 1mo. vanos mundi diſcurſus; ſi te irrideat, & tibi illudat, ſcito, hoc idē etiam Chriſto JEſu, & maximæ parti ſanctorum eveniſſe: *nos ſtulti propter Chriſtum*, 1. Cor. 4. 10. ſi ergo audias maledictum hoc, *quid dicetur de te?* tibi occini ab iis, qui habent caracterem beſtiæ; reſponde, quid autem dicet Chriſtus JEſus? quid dicent angeli? quid tot boni de me cogitabunt? felix ille, qui taliter diſpoſitus eſt; nihil ſanè animum illius dejicere poterit;

bea-

beatus vir, qui timet Dominum, in mandtis ejus volet nimis, Ps. 111. ait propheta regius; dicatur de illo, quidquid velint homines, nil eum movebunt perversæ ejusmodi linguæ: *ab auditione mala non timebit:* timor Domini, quo ille animatus est, superiorem eum facit omni discursu mundano. 2do, Promissa hujus mundi; promittatur quidquid sit clerico, timeat Deum; pingues redditus, beneficia, favor dominorū, aut principis; totum hoc haud impedire eum poterit, quin obligationi suæ satisfaciat, & Dei causam, ac negotium defendat, & sustineat; mavult renuntiare omnibus ejusmodi commodis, ac lucris, quàm gaudere hac brevi voluptate, quæ peccato inest; sentiètque cum Moyse, de quo scriptura, Hebr. 11. 24. 25. 26. *fide Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magìs eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati, habere jucunditatem; majores divitias æstimans, thesauro Ægytiorum, improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem*; minister ecclesiæ, qui ejusdem cum Moyse persuasionis est, non solùm contemnit promissa quæcunque, sed insuper 3tio. minas omnes, ùtùt terribiles & atroces sint; si ipsi auferantur bona, ac redditus sui, vivit contentus in summa etiam indigentia & ege-
sta-

ſtate; *non eſt inopia timentibus eum*, Pſ. 111. ſi vel ipſa vita periclitaretur illius, nequaquam conſcientiæ ſuæ contraveniret; quemadmodū tres illi pueri hebræi nullatenus ſe ſubmiſêre mandato impio Nabuchodonoſoris; Rex magne, dicebant Dan. 3. tu præcipis nobis adorare ſtatuam tuam; hoc facere nequimus, quin noſtram conſcientiam lædamus; minaris, te nos miſſurum vivos in fornacem ardentem, verùm ſcito, Deum, quem colimus, & adoramus, poſſe nos ex illa liberare, ſi ei placet; ſi autem non placet, *& ſi noluerit, notum tibi ſit, ô rex, quia deos tuos non colimus, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adoramus*; ità loquitur chriſtianus & clericus, quicunque Dei timorem habet in animo ſuo; pete hunc inſtanter á Doo in præparatione tua ad Miſſam; configе Domine, non ſolùm imaginationem, ſpiritum, & cor meum, ſed inſuper etiam carnem & omnes ſenſus meos tuo ſalutari timore; utere illius motibus, tanquam totidem clavis, quibus me tibi inviolabiliter, & inſeparabiliter affigas; confige oculos meos, ut nullum reſpectum humanum conſiderent; confige aures meas, ut nequaquam amplius audiant, nec promiſſa, nec minas quaſcunque; confige manus meas, ut bono conſtanter inhæream, quod tu à me re-

requiris, & postulas; configе pedes meos, ut nullum ponant gressum, qui indignationem tuam super me trahere posset; fac ô bone Deus, ut te semper, & ubique timeam; & aliud, vel alium neminem timeam, nisi te, quia tu solus, & Deus meus, & judex meus es; *confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui*, Ps. 118.

FERIA QUINTA.

Nisi abundaverit justitia vestra plusquam scribarum, & pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Math. 5. 20.

De virtute.

1. Qualis fuerit virtus pharisæorum.
2. Qualis esse debeat nostra?

PUNCTUM I. Quis non contremiscat, si audiat id, quod nobis hìc dicit Christus JEsus, quòd si non simus perfectiores pharisæis, non simus in regnum cœlorum intraturi; pharisæi jejunabant duabus vicibus in hebdomade; peragebant frequentes & longas orationes; solvebant exactè decimas, & quasi continuò prædicabant; si quis clericorum tantum faceret hoc tempore, pro sancto haberetur secundùm judicium hominum; verùm juxta illius sensum, qui falli potest, plus requitur ad hoc, ut quis san-

ctus evadat; videamus itaque, quid defuerit virtuti pharisæorum, ut nostram reddere ac efficere possimus abundantiorem. 1mo. pharisæi nonnisi de exterioribus soliciti erant; tam exacti erant, ut vel minimas etiam cæremonias legis, & traditiones patrum suorum observarent, dum interim eandemmet legem intus in corde absque scrupulo violarent; affectabant in omnibus, & per omnia exterius regularem & ordinatam quamdam vitam; interiora autem illorum prorsus erant inordinata, & irregularia, prout JEsus id ipsis exprobravit: *similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa; intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitiâ.* O quot hodiedum adhuc videmus talia sepulchra dealbata, quæ oculis hominum pulchra videntur, & apparent, intus verò nil aliud habent, nec includunt, nisi corruptionem fœtoris? magnos observatores certorum modicorum exercitiorum, quæ ipsis præscripta sunt, dum interim charitatem destruunt, & pessumdant, quæ est anima legis; *excolantes culicem, camelum autem glutientes*, ibid. v. 24. 2do. pharisæi aliud non quærebant, nisi æstimationem hominum; orabant in mediis compitis; in viis publicis, ut ab omnibus videri possent; tubâ ante se canere faciebant, si elemosynam

nam dare volebant; verbô, in omnibus, quæ ab ipsis fiebant, aliud non intendebant, quàm aucupari reputationem quamdam, & æstimationem hominum; *omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus*, ibid. v. 5. An non idipsum etiam tuum est motivum? quot sunt clerici? qui nimiùm zelosi, propriæ authoritatis, æquè ac pharisæi, prætendunt præcedentiam, æstimationem, honorem, & ut ipsis ubique & semper deferatur; *amant primos recubitus in cœnis; primas cathedras in synagogis; salutationes in foro, & vocari ab hominibus rabbi.* 3tio. pharisæi pleni erant æstimatione suiipsorum; nonnisi contemptum, & despicientiam aliorum ostendentes; testis est ille pharisæus, qui in templo unà cum publicano orabat: *non sum*, ajebat, *sicut cæteri hominum*; hinc reprehendebant, contemnebant JEsum, quòd cum peccatoribus, conversaretur, & manducaret; qualis, quantàque superbia, se solùm sapientem reputare, reliquosque omnes contemnere. O quot adhuc hodie adeò falsi devoti dantur! conveniúntque hæc verba Hieronymi in Matth. 23. potiùs nostro sæculo, quàm ipsius: *væ nobis miseris, ad quos pharisæorum vitia transierunt*; examina te super istis defectibus, & ut eos evites;

PUNCTUM II. Scire debes, virtutem christiani, maximè clericorum, tres oppositas qualitates virtuti pharisæorum habere debere. 1mo. debet esse interior; non sufficit, justum apparere oculis hominum, qui nonnisi extrinseca nostra vident; oportet talem etiam coram oculis Dei, qui fundum cordis penetrat, esse; *homo videt ea, quæ parent; Dominus autem intuetur cor*, 1. Reg. 16. 7. Sacerdos, qui quotidie Missam suam legit, qui concionatur, qui Sacramēta administrat, ædificat sanè ecclesiam; verùm si hæc non agat ex intentione quadam pura & sancta; si similia exercet ex respectu quodam humano, ex motivo secreto, & occulto, avaritiæ, aut vanitatis, devotio ipsius nonnisi exterior est, & in labris consistit; illiusque simulatio ad aliud non serviet, quàm ut ipsum coram Deo condemnet: *accipient prolixius judicium*, Marc. 12. 40. 2do. debet esse humilis, quin ad seipsum reflectat; non debemus nosipsos respicere, nec prætendere, ut alii nos respiciant, & considerent; Dei est nos judicare, & remunerari; ipsi soli honor & gloria debetur; *soli Deo honor & gloria*, 1. Timoth. 1. quàm modicum etiam illud sit, quod ex intentione placendi Deo facimus, tamen remuneratione sua non carebit; verùm utut speciosa & grandis videatur esse

actio,

actio, quam peragere possumus, si nonnisi applausum hominum, & ut ab iis laudemur, quaerimus, totum absque fructu erit; *attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*, ait Christus Matth. 6. 1. *alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Verum est, nos ædificare debere per bonum exemplum fratres nostros; sed debent opera nostra taliter apparere coram hominibus, ut intentio nostra maneat in occulto, prout S. Gregorius Hom. 11. in evang. ait: *sic autem sit opus vestrum in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut & de bono opere proximo præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, quâ Deo soli placere quærimus, semper optemus secretum*; suntne tibi tales sensus animæ verè humilis, quæ sibi nil prorsus attribuit, sed omnia in Deum refert? 3tio. nostra virtus debet esse affabilis, absque ullius personæ contemptu; vera virtus neminem à se repellit, nec difficilis accessu est, imò è contrario seipsam illis etiam amabilem præbet, qui eam recusant amplecti; *favus distillans labia ejus.* Prov. 5. ille, qui solidè virtuosus est, omnibus se submittit, hinc est, quòd neminem respuat; *neque adversus plebejum quemquam & infimi ordinis hominem, supercilium attollimus*, dicebat S. Gregorius Nazianzenus

Orat. 20. id quod & nos ad exemplum illius facere debemus; vide, utrum virtus tua omnes hasce qualitates habeat, quas primùm memoravimus? quàm timendum est, ne eas nondum adhuc acquisiveris? pete eas à Deo, quas tibi deesse nosti, in nomine JEsu Christi, Filii ejus, qui te pro ministro suo elegit; hic enim petit à te majorem & abundatiorem justitiam præ cæteris, hi servire debent Deo juxta conditionem statûs sui, tam perfectè, ac ipsis possibile est; verùm nos, qui quotidie ad altare accedimus, debemus Deo esse uniti invariabiliter, sine interruptione, sine lassitudine; *aliorum est servire Deo; nostrûm est adhærere*, ait S. Bernardus serm. 1. in cap. jejun. *quod si anima tua plumbô, ac testâ deterior est, aurea autem vasa offeras, quid proderit?* ait S. Chrysost. Hom. in Matth. 11.

FERIA SEXTA.

Audistis, quia dictum est antiquis, non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio; ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Matth. 5, 21.

De lege nova.

1. Quàm perfectior sit lege veteri.
2. Pauci eam perfectè observant.

PUNCTUM I. VErba, quæ ex hodierno evangelio meditanda suscepimus, indicant nobis, quòd

quòd lex nova longè perfectior sit lege veteri. 1mo. ratione authoris sui; non est ampliùs Moyses, aut prophetæ, qui nobis loquuntur, sed ipse Christus JEsus; *ego autem dico vobis*; Deus ac Dominus Moysis & rex omnium prophetarum est, qui nos instruit in & cum plenitudine luminis, certitudinis, & unctionis, & qui gratiam nobis donat, idipsum implendi, quod docet; *lex per Moysen data est*, ait S. Joannes, *gratia & veritas per JEsum Christum facta est*, Joan. 1. 17. Quanta felicitas pro nobis, quòd talem magistrum habeamus! tam considerabilis est, ut ipsemet Salvator omnibus christianis id notum facere, & exprimere voluerit, quando in persona discipulorum suorum omnibus dixit; *beati oculi, qui vident, quæ vos videtis; & aures, quæ audiunt, quæ vos auditis; quia dico vobis, multi prophetæ, & justi desiderarunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ vos auditis, & non audierunt*, Matth. 13. 16. Gratias Deo age, quòd te hujus felicitatis participem fecerit, dum te nasci, & vivere voluit sub legæ gratiæ, quæ est lege veteri longè perfectior, non solùm ratione sui authoris, sed etiam quoad ea, quæ præcipit. 2do. Christus JEsus haud contentus fuit, reformasse exteriora, & manus nostras refrænasse; progreditur insuper usque ad

interiora, & ipsum cor regulat, & in ordinem redigit; non dicitur ampliùs nobis, quemadmodum antiquis; *non occides*; sed nolite nequidem irasci; non dicitur solùm, *non adulterabis*; sed neque oculos impudicè conjicies in fœminas; en principia religionis cujusdam omninò internæ, & spiritualis, quā Judæi omninò non capiebāt, soli literæ illi inhærebāt quæ occidit, & totaliter neglexerūt spiritū, qui vivificat; modò ab exterioribꝰ actionibꝰ peccaminosis abstinerēt, satis illis erat; de cætero, quoad cogitationes & desideria, facilè secumipsis dispēsabāt; *apud nos verò non ità*, ait S. Chrysostomus in epist. ad Rom. 8. *sed cogitatio & conscientia expurgatur*, oportet omninò renuntiare iræ, vindictæ, malis cogitationibus, desideriis perversis. & similibus, si Christo JEsu obedire, & sanctā ejus legem custodire velimus, credis hoc? facísne ità? 3tio. perfectior est item lege veterî quoad modum, quo observari eam oportet; in legè scripta observabantur præcepta Dei ex timore; in lege autem gratiæ observanda sunt ex amore; Judæi instar mancipiorum operati sunt, nos verò agimus modò instar filiorum Dei; *illi pœnæ formidine adducti omnia agebant, hi autem spiritûs desiderio & amore*, ibid. antiqui exspectabant remunerationem aliquam tem-

poralem; nos autem nonnisi æternam beatitudinem exspectare, & ad illam aspirare debemus; non promittit nobis ampliùs Deus terram solam, quæ lacte & melle fluat, sed sperare nos facit, quòd aliquando futuri simus cohæredes JEsu Christi Filii sui; quo ardore deberemus flagrare ad obediendum ei? interim

PUNCTUM II. Utut perfecta sit lex nova, pauci tamen christianorum, imò & clericorum eam perfectè observant, ut de hoc persuasi simus, videamus, qualiter erga Christum JEsum nos geramus, & quid ipse à nobis requirat, & præcipiat? 1mo. scimus Christum JEsum nostrum esse legislatorem, & magistrum: *magister legis non est, nisi dator legis*, ait S. Augustinus Tract. 7. in Joan. clamat ad nos de cœlo æternus Pater, quòd Filius suus dilectus sit ille, quem audire debeamus: *ipsum audite*; non loquitur ampliùs ad nos per prophetas, sed per JEsum, Filium suum, Magistrum, & Doctorem omnium prophetarũ, omnium veritatum, omnium temporum, & ipsius æternitatis; *multifariam, multìsque modis, olim Deus loquens patribus in prophetis; novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio: quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula*, Hebr. 11. quis interim est, qui eum audiat? si quis homo

extraordinariæ alicujus eloquentiæ, & aliis naturæ dotibus conſpicuus, & excellens compareat, totus mundus ad eum currit, ex curioſitate, & affectu erga illũ; auditur cum admiratione & tu, benigniſſime Salvator, tu ipse ad nos loqui dignaris; venis non ſolùm, ut nos inſtruas, & doceas, verùm etiam, ut lethalia vulnera, & plagas noſtras ſanes, quas nobis ignorantia & peccatum inflixêre; ùtque viam nobis demonſtres, in medio umbræ mortis; & quis eſt, qui te audiat? & inter illos ipſoſmet, qui te audiunt, quis facit hoc, cum tali fide, reſpectu, & tali cum ſubmiſſione, prout oportet? 2do. ſcimus, ſanctum evangelium eſſe legem illam, quam nobis Chriſtus JEſus Joan, 8. 31. præſcribit: *ſi vos manſeritis in ſermone meo*, ait ipſemet, *veri diſcipuli mei eritis*; en regulam morum, & actionum noſtrarum; verùm quis eam ſequitur? ut illis conformemur, prout oportet, non debemus tantùm regulare exteriora noſtra, ſed vel maximè etiam ea, quæ intra nos ſunt; non ſufficit, externa eſſe benè compoſita, oportet etiam interiora talia eſſe, hoc eſt, debemus impugnare, & domare paſſiones noſtras, & deſideria inordinata cordis noſtri, in quo naſcuntur, & ex quo originem trahunt omnia peccata noſtra; facimùſne

hoc?

hoc? ah, quàm justè dicere possumus cum S, Augustino de prædest. SS. c. 8. *valdè remota est à sensibꝰ hominū hæc schola!* 3tio. scimus, JEsum Christū velle observari legē suam, & mandata ex spiritu amoris, & non timoris: *qui non diligit me, sermones meos non servat,* Joan. 14. & tamen ferè omnes in spiritu adhuc Judæi sumus, eorùmque instar vivimus; præcipit nobis aliquid Deus; sed quàm difficile nobis accidit, ut illi obediamus; pro eo, ut agamus ex amore, ex justitia, & ex desiderio illi placendi, ferè semper agimns, & movemur ex aliqua formidine, & timore suppliciorum, quæ nobis minantur; qualis confusio pro christianis, imò & pro clericis, quòd ità vivant, postquam adoptionem consecuti sunt, vi cujus jure appellare possunt Deum Patrē suum? *non accepistis spiritum servitutis iterum in timore,* ait S. Paulus Rom. 8. 15. *sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, abba Pater*; ingemisce hìc, dum vides legem Christi JEsu adeò perfectam, tam parùm, imò malè observari! *vidi prævaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt,* Ps. 118. Vide & considera temetipsum, quo spiritu ipsemet agas, & siquidem spiritus novæ legis est spiritus charitatis, pete eum instanter à Deo charitatis, quem postea à S. altari sumpturus

es.

es. O JEſu, magiſter, & legifer noſter fac, ut ſimus de numero illorum, qui ſemper parati ſunt, audire te, & ſervare mandata tua, locutus es nobis ad aures noſtras corporales per carnem, quam aſſumpſiſti, loquere etiam ad cor noſtrum per Spiritum tuum, quia nunquam id faciemus, ad quod obligati ſumus, ſi lumine tuo non illuſtremur; ſi amor tuus non faciat nos amare, quod debemus; ſi gratia tua nos non adjuvet ad obſervantiam legis tuæ. Domine JEſu, miſerere ignorantiæ, & infirmitatis meæ! hoc ô Domine ſæpius repetere, & tibi dicere me reſolvi, ut ità miſericordiã tuam mihi conciliem; *qui magnam miſericordiam deprecatur, magnam miſeriam confitetur.* S. Aug. in Pſ. 50. n. 6.

§§§§§§§§§§§§§§§§§§:§§§§§§§§§§§§§§§§§§

DIE SABBATHI.

Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te; relinque munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum. Matth. 5. 23.

De examine conscientiæ.

1. Neceſſitas illius. 2. Media, illud benè faciendi.

PUNCTUM I. QUia alibì jam locuti ſumus de dilectione inimicorum, occaſionem hìc ſumo ex verbis iſtis; *ſi recordatus fueris, quia frater*

tuus

tuus habet aliquid adversùm te, faciendi reflexionem aliquam supra examen consciẽtiæ, quod de nobis ipsis instituere debem9, antequam ad Sacramenta sumenda, & ad sacrificium offerendum accedamus. Examen hoc, quod nobis SS. PP. tanquam unum ex principalibus mediis, securam reddendi nostram salutem, consulunt, est nobis necessarium 1mo, ad cognoscenda peccata, & defectus, qui sunt in nobis, & ut efficaciter ad emendationem, & correctionem illorum laboremus; *cogitabo pro peccato meo*, ajebat rex poenitens Ps. 37. 19. & nos cum illo pariter dicere debemus; nam peccator nequit verum dolorem de suis defectibus concipere, nec talia fideliter in confessione exponere, si non curet seipsum scrutari, & ea studiosè indagare, quorum eum conscientia sua redarguit; hic est primus gradus, quem ad conversionem suam aggredi debet; *cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua*, Ps. 118. 2dò. ut invenire valeamus, & agnoscere virtutes, quibus indigemus, ut sic eas acquirere studeamus; qui curam non adhibet seipsum examinandi; vel qui hoc negligenter facit, nullum facit progressum, vel valdè modicum in virtute; anima illius instar vineæ est incultæ, derelictæ, quam spinæ & vepres occcupant,

nec

nec ullum fructum affert, ſic docent etiam SS. PP. caracterem alicujus reprobi eſſe, multos errores & defectus committere, & eos deinde oblivіſci pro eo, quòd electi illos ſemper præ oculis habent, & inceſſanter pro emendatione ſua laborant: *reproborum eſſe proprium ſolet ſemper prava agere, & nunquam, quæ egerint, retractare; omne enim, quod faciunt, cæca mente pertranſeunt; at contrà electorum eſt actus ſuos quotidie ab ipſo cogitationis fonte diſcutere; & omne, quod turbidum profluit, ab intimis exſiccare*, S. Greg, M. l. 25. moral. c. 6. vides ex hoc, quàm neceſſarium ſit examen cōſcientiæ; verùm, quomodo inſtitui debeat? explicabit

PUNCTUM II. Oportet 1mò. petere à Deo lumen nobis neceſſarium ad cognoſcendam enormitatem, numerum, & durationem, ac omnes circumſtantias peccatorum noſtrorū; *quantas habeo iniquitates, & peccata; ſcelera mea atque delicta oſtende mihi*, Job. 13. 23. en! quid ſtatim initio facere, & dicere debeamus cum viro ſancto Job! 2dò exactè examinare nos ipſos debemus tanquam ſuo tempore comparituros coram tribunali Chriſti JEſu, judicis noſtri; *quem tantò quis ſecurior exſpectat, quantò quotidie vitam ſuam ſuſpectus examinat*, ait Gregorius M. ibid. non debemus eſſe contenti,

ti, examinare nos præcisè circa peccata; quæ aliis christianis communia sunt; oportet indagare ea, quæ statui nostro particularia sunt. Clericus es Beneficiatus &c. vide, quomodo ad hunc statum perveneris? qualiter beneficium tuum obtinueris? qualiter redditibus & fructibus beneficii tui utaris? si decimator es, qualem solicitudinē adhibueris, reparandi ruinam ecclesiæ? quomodo Missam legeris? breviarium recitaveris? Sacramenta administraveris? & alias functiones ministerii tui peregeris? O quàm pauci sunt, qui taliter se examinant! *nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens, quid feci?* Jerem. 8. 6. 3tio. oportet hoc examen facere non raptim, aut ex consuetudine, prout sæpè cōtingit, sed in spiritu humilitatis, & contritionis, dicendo: *recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, Is. 38. 15. 4to. debet fieri quotidie, horâ determinatâ, præsertim, antequam cubitum eas; *cùm exis dormitum, à judicio conscientiæ tuæ rationem exige; hoc fac singulis diebus*, Chrys. in Ps. 4. est præparatio quotidiana ad Sacramentum pœnitentiæ, potestque quandoque illud supplere; eoque magìs est necessaria clericis, quò magìs obligati sunt, conservandi se in statu gratiæ. Pro præparatione ad Missam; pete à Deo gratiam fi-

de-

deliter te quoad hoc exercendi; Domine Deus meus, si saeculares adeò exacti sunt in faciendis computis suis, qualem solicitudinem nos adhibere oportet in nostro statu, qui suo tempore rationem reddere debebimus de omnibus gratiis tuis? actionibus nostris? & momentis singulis totius vitae nostrae? ah! fiat, ut haec cogitatio exactiores nos teddat in faciendo nostro examine conscientiae, ut examinando, & judicando nosipsos, majori cum solicitudine comparere possimus absque formidine coram te in hora mortis, & evitare rigorem judicii tui; *quod si nosipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*, 1. Cor. 11. 31.

DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN.

Quicunque baptizati sumus in Christo JEsu; in morte ipsius baptizati sumus; consepulti enim sumus cum illò per baptismum in mortem; ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ità & nos in novitate vitae ambulemus. Rom. 6. 4.

De obligationibus nostris in baptismo contractis.

1. Ut renuntiemus peccato.
2. Et vitam novam instituamus.

PUN-

PUNCTUM I. POnit nobis hodie ob oculos S. Paulus duas grandes obligationes cujuslibet christiani, nimirum, ut peccato mortuus sit, & vitam novam vivat; contraximus has duas obligationes in Sacramento baptismi, & renovamus illas in Sacramento pœnitentiæ; hæc duo Sacramenta, prout notat S. Chrysostomus, sunt respectu nostri idipsum, quod crux & sepulchrum fuerant respectu Christi; JEsus mortuus est in cruce, & in sepulchro conditus, ut exinde resurgeret ad vitam novam; nos debemus pariter in his duobus Sacramentis efficere, ut moriatur peccatum, & ità sepeliatur, ut novam vitam deinceps aggrediamur. O quàm pulchra est doctrina hoec! quàm meretur, ut meditationem desuper instituamus! christianus, qui eam comprehendit, & intelligit, ait S. Gregorius Nyssenus Orat. in diem lum. debet dæmoni, quoties ab eo falsis hujus mundi illecebris tentatur, ità respondere; vade post me sathanas! apage infelix! an nescis, quòd baptizatus sim in morte Christi JEsu, & quòd cum eo sepultus sim in baptismo? an ergo mortuum movere possint corporales pulchritudines? possitne affici erga divitias? honores, & voluptates hujus sæculi? *mortuus corpora non amat, mortuus non cupitur*

deliciis &c. ità loquitur, ait hic S. Pater, ille, qui verè regeneratus est: *hæc sunt animæ verè regeneratæ verba*; nondum autem sufficit baptizatum seipsũ non aliter, quám *mortuum* considerare, debet insuper juxta S. Paulum se habere pro *sepulto: consepulti enim sumus cum illo, per baptismum, in mortem;* mortuus revera nullum amplius cum mundo habet commercium; benè tamen mundus cum ipso; videtur mortuus; tangitur, & certa quædam honoris, aut necessitatis obsequia illi exhibentur; sed, qui in sepulchro jacet, nil amplius commune habet cum hominibus, nec homines cum illo; en, quid nos quoque post suscepta Sacramenta esse debeamus; fugere & elongare nos deberemus ab omnibus periculosis occasionibus, & omnes malas consuetudines cum peccato contractas æterna oblivione sepelire; *qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus cum illo?* Rom. 6. 2. anne ità dispositi, & comparati sumus? facilè hoc nobis persuademus, obligatos nos esse, moriendi pro fide, & martyriũ sustinendi pro JEsu Christo, quia raró accidit, ut ad talem probationem res nostræ deveniant; verùm quòd oporteat mori pro Christo JEsu per mortificationem sensuum nostrorum, & occidere peccata nostra per martyrium pœnitentiæ, hoc intel-

telligere nolumus, & comprehendere; verum est, hocipsum etiam à clericis prædicari; pauci tamen dantur christiani, qui hoc exequuntur, quia pauci sunt è clericis, qui exemplo suo quoad hoc eis præluceant; eu; & de temetipso judicium de hoc forma! &

PUNCTUM II. Considera, quænam sit secunda obligatio christiani cujuslibet? oportet, ut, quemadmodum Christus per resurrectionem intravit in novam vitam, ità etiam nos per Sacramenta baptismi & pœnitentiæ vitam omnino novam incipiamus, & vivamus; ut, *quomodo Christus surrexit à mortuis,* ait apostolus, *per gloriam Patris, ità & nos in novitate vitæ ambulemus;* pastor, e. g. qui se obligavit ad alium longè diversum modum vivendi, quàm antea ducebat, si ex avaritia tantùm studuit accumulare redditus, & exigere sua cum omni severitate, non debet non solùm ista amplius non facere, sed effundere debet bona sua in sinus pauperum, & eos juvare, qui sua ope, & auxilio quoad hæc indigēt; si negligens fuit in instruendo populo suo, in administrando sanctissima Sacramenta; debet ingemiscere ob hanc suam negligentiam præteritam, & curam, ac solicitudinem deinceps adhibere, ut omnes sui Parochiani melius instruantur, & frequenti-

or usus Sacramentorum introducatur; uno verbo, si malum exemplum dedit, debet exhibere speciem quamdam alicujus publicæ reparationis, ostendendo, in omni data occasione, dolorem, quem de præteritis habet, & novam vitam verè pœnitētem ducere; ecce, quid sit novam vitam ducere? oportet id facere, quod concilium Tridentinnm seff. 14. c. 1, annotavit; *ad quamtamen novitatem, & integritatem per Sacramentum pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus, & laboribus, divinâ id exigente justitiâ, pervenire nequaquam possumus;* neque etiam imaginari nobis debemus, quòd hæc renovatio tantùm semel fieri debeat; debet, ut ità dicam, quasi quotidiana esse; *quotidie, si dici potest, ipsa novitas inneoanda est,* ait Origines supra hunc locum, quem hìc meditantur, & pergit; *in novitate vitæ ergo ambulemus, ostendentes nosmetipsos ei, qui nos cum Christo suscitavit quotidie novos, & ut ità dixerim, pulchriores; decorem vultûs nostri in Christo, tanquam in speculo colligentes, gloriámque in ipso Domino speculantes, eâdē imagine transformemur, quâ Christus surgens à mortuis, ab humilitate terrena, ad gloriam paternæ majestatis ascendit.* Pro præparatione ad Missam nil melius facere potes, quàm si petas à Deo hanc renovationem, quæ consistit in imitatione Christi JEsu; *qui*

Chri-

Christum per baptismum induerunt, ait quoddam concilium Constantinopolitanum, habitum in palatio imperiali, *ejus in carne, vitæ agendæ rationem, imitari professi sunt*, Concil. Quinisextum seu in Trullo Ann. 688. Verùm, eheu! facimus sic? à tanto jam tempore promissimus, quòd Christum imitari velimus, ah! ubi est effectus hujus promissionis nostræ? laboremus igitur imposterum majori cum solicitudine in hoc gravissimo opere, & negotio; & rogemus Salvatorem nostrum, ut ad nos veniat, & in nobis manendo, hoc opus perficiat. *O JEsu! perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea*, Ps. 16. 5.

FERIA SECUNDA.

Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus, Rom. 6. 5.

De renovatione professionis christianæ, & clericalis.

1. Debemus peccato mori ùt christiani.
2. Et imitari Jesum Christum sacerdotem ùt clerici.

PUNCTUM I. ADoremus JEsũChristum, ùt authorem mortis peccati, & principium vitæ spiritualis animarum nostrarum; plantati, & quasi insiti in ipso sumus per baptismum, ut nonnisi ipsius Spiritu, & vitâ vivamus, *quē*

admodum surculus quidam arbori insitus, & incorporatus vitâ hujus arboris vivit, & se illius succo nutrit; *complantati facti sumus similitudini mortis ejus.* O quàm admirabilis est hæc gratia! verùm quàm parùm fideles sumus nos in correspondendo huic gratiæ per regularitatem vitæ nostræ, & sanctitatem morum nostrorum! renovemꝰ hodie professionem nostram, quam fecimꝰ, moriendi peccato; & discamus ab apostolo, quomodo illi mori debeamus? dat nobis pro norma & exemplari mortem & resurrectionem JEsu Christi; mortuus est Christus; sed mortuus est nonnisi semel, quod docet nos, quòd verè mori debeamꝰ peccato, & quidem pro semper; hinc est, quòd baptismus, in quo moritur homo peccato, non amplius reiteretur; nullus sibi igitur blandiatur, ait quidam ex SS. PP. quòd peccatum etiam per pœnitentiam occidi, seu deleri possit, quia, etsi hoc certum sit, & ut ità loquar, excessus quidam divinæ misericordiæ, quòd hoc Sacramentum nobis dederit instar secundæ post naufragium tabulæ, nihilominus magna ingratitudo erga Deum foret, magnòque se periculo pereundi exponeret quis, qui se in statum illum dejiceret, quo hoc sacramento indigeat, quia non datur ampliùs alius baptismus, ait S. Chrysostomus ibi. ideo time-

timeamus denuò cadere in peccatum; *quòd si lavacrum non est, iterum cave, ne te ad peccatum inclines.* Christus JEsus inter mortuos vivus jam nòn moritur; christianus, qui verè ad gratiam resurrexit, sive deinde per baptismum, sive per pœnitentiam, non debet amplius mori per peccatum; gratia, quam recipit peccator per hæc Sacramenta, non ponit illum in quemdam statum inconstantiæ, prout multi sibi imaginantur; inauditum enim est hoc apud SS. PP. qui nobis de statu christianismi locuti sunt, nil ipsi de hac vicissitudine peccati, & gratiæ, vitæ, & mortis, in qua sibi multi persuadent, vivere se posse, sciverunt, Basil. moral. reg. 80. Hier, in Ps. 77. Aug. tr. 26. in Joan. Hodie videmus aliquos coram sacro tribunali pœnitentiæ pectus suum tundere, petere à Deo veniam peccatorū suorum, obtinere etiam absolutionem ab illis; & breví póst in eosdem iterum excessus, & scelera reincidunt; non est ista idea, quam nobis apostolus de vita christiana dat, quando ait, quòd complantati & insiti simus in Christo JEsu per similitudinē mortis suæ; indicat nobis per hoc fructum illum, quem reportare debemus, & ferre, hoc est: quemadmodum corpus Christi in terra sepultum pro fructu attulit salutem totius generis humani, ità debere etiam

corpus noſtrum in baptiſmo ſepultum afferre pro fructu juſtitiam & ſanctificationem; exſpectando interim ultimum fructum, nimirum ultimam, ſeu futuram reſurrectionem: *ſi enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus*; ſtude benè comprehendere hanc veritatē, & illam etiam populum tuum doce.

PUNCTUM II. Secunda reflexio, quā ſuper verbis iſtis apoſtoli facere poſſumus, eſt, conſiderare, quòd tanquam clerici bis implantati, ſeu inſiti in Chriſto JEſu ſimus; prima vice in baptiſmo tanquam chriſtiani; ſecunda vice in noſtra ordinatione tanquā miniſtri Chriſti JEſu; in baptiſmo inſiti in illo ſumus per ſimilitudinem mortis illius, per quod, ùt reliqui chriſtiani, obligati ſumus, ut peccato moriamur; & in ordinatione noſtra complantati in illo ſumus per ſimilitudinem vitæ ſuæ, quod nos obligat ad ducendam vitam, vitæ ipſius conformem, quantum fragilitas humana permittit, qualem ipſe ùt ſacerdos duxit; incepit propriè manifeſtare hanc vitam ſuam ſacerdotalem, quando prædicationem ſuam incepit; ſeparavit ſe tunc à ſuis conſanguineis; & declaravit, nullum prophetam unquam alicujus conſiderationis in patria ſua fuiſſe, Joan. 4. 44. Marc. 6. 4. ut indicet clericis, quòd & ipſi ſe à ſuis ſeparare,

re,

re, vel in magna abnegatione illorum vivere debeant, si aliquid boni in ministerio suo præstare velint; adscitscit, & associat sibi apostolos, ut iis in missione sua uti valeat; idem fecere debent clerici, & socios sibi assumere, ut conjunctâ operâ laborare valeant ad animarum salutem; sejungebat se quandoque ab aliis, ut orationi vacaret; quantumcunque occupatus sit sacerdos, nunquam tamen seipsum privare debet hoc auxilio, sine quo neque se ipsum sanctificare, neque ad aliorum sanctificationem aliquid, nisi valdè modicum, conferre poterit; Christus JEsus ipse indagabat, & quærebat peccatores, ut eos converteret, quos etiam per mansuetudinem vitæ suæ lucratus erat; idem etiam sacerdotem facere oportet; Christus JEsus vitam ducebat prorsus mortificatam, pauperem, laboriosam, & pœnitentem; talis etiam esse debet vita boni sacerdotis; Christus JEsus seipsum immolavit pro salute hominum; si sacerdos sanguinem suum non exponat pro salute proximi, saltem consumere se debet in laboribus pro sua, fratrùmque suorum salute; *& nos debemus pro fratribus animas ponere*, 1. Joan. 3. 16. Felix sacerdos, qui taliter vivit, verè implantatus est JEsu Christo per similitudinem vitæ suæ, siquidem eosdem fructus producit, & ideò spem ha-

bere poteſt, implantandum ſe etiam Chriſto JEſu in ſimilitudinem reſurrectionis ejus, hoc eſt, poſtquam partem habuit in vita laborioſa Chriſti, ſe etiam participaturũ de gloria illius in cœlo; *ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus*, 2. Timoth. 2. 12. Pro Miſſa, conſigna te totum de novo Chriſto JEſu, ut illum in vita tua ſacerdotali imiteris; ſingulis annis ſtudent religioſi renovare vota ſua, ut meliùs proficiant in perfectione; hocipſum etiam tu fac quoad tuam profeſſionem clericalem; *habebitis autem hunc diem in monumentum; & celebrabitis eum ſolemnem Domino; in generationibus veſtris cultu ſempiterno*, Exod. 12. 14. Ità Domine JEſu, ego te hodie de novo eligo pro hæreditate mea; non deſidero, niſi te; neque in tota vita mea unquam deſinam illud obſervare, quod ſolenniter enuntiavi, dum primam tonſuram accepi; *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei; tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi*, Pſ. 15. 5.

FERIA TERTIA.

Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, & ultra non ſerviamus peccato. Rom. 6. 6.

DE PECCATO MORTALI.

1. Enormitas illius.
2. Quanto horrori nobis eſſe debeat?

PUN-

PUNCTUM I. SCimus, veterem hominem nostrum cruci affixum esse, & quòd liberati simus à servitute peccati per mortem JEsu Christi; hoc dicimus, & etiam professionem facimus; quòd idipsum credamus; nihilominus non cessamus sequi inclinationes corruptas veteris hominis, & saepius reincidere in statum peccati, quia non sufficientem reflexionem facimus super ista verba apostoli; neque satìs comprehendimus enormitatem peccati mortalis discamus id in praesenti meditatione, ut hocipsum etiam alios docere valeamus. 1mo. consideremus peccatum mortale, ùt capitalem inimicum Dei; odit Deus peccatum, nec potest illud sufferre; *odio sunt Deo impius, & impietas ejus*, Sap. 14. 9. odit peccatum Deus; nihilum est rebelle, quod libenter infinitum esse destrueret, & annihilaret; aggreditur, & insurgit in omnes illius perfectiones, & attributa, scientiam, justitiam, potentiam &c. vellet peccator, Deum nec cognitionem habere, quâ videat; nec justitiam, quâ condemnet, nec potentiam, quâ punire possit peccatum. O temeritatem! ô praesumptionem horrendam! auderésne tu committere aliquod peccatum mortale, si cogitares peccatum hoc tuum velle Deum à throno suo deturbare? quid? Deus prae-

cipit

cipit; Deus prohibet; & peccator dicit, nil curo; volo satisfacere passioni meæ; neque ulla lex aut prohibitio me impedire, vel cohibere potest; en, qualiter reipsa locutus fueris cum Deo, & contra Deum, quoties illum offendisti! *confregisti jugum meum, rupisti vincula mea; & dixisti, non serviam*, Jerem. 2. 20. consideremus illud, tanquam sanguinolentum carnificem Christi JEsu; ità est, peccatum mortale Christum cruci affixit; sangvinem illius profudit, vitam ei abstulit; quia absque peccato nunquam mortuus fuisset; *vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra*, ait propheta Is. 53. 5. horrorem concipis, & meritò contra crucifixores Filii Dei, & si se oculis tuis præsentarent, haud sufferre posses; quare ergo in teipso toleras mala, & perversa desideria; verba nimis libera; secretam incontinentiam, avaritiam, ambitionem, hanc, vel illam injustitiam, vindictam, & tot alia peccata, quæ causa extiterunt passionis, & mortis ipsius? quæ ei de novo insultant, & toties crucifigunt, quoties ea committis, dicente apostolo: *rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes*, Hebr. 6. 6. neque tamen hoc totum est. 3tiò. debet peccatum mortale considerari, ùt latro, & carnifex animarum; aufert illis vitam gra-

tiæ,

tiæ, virtutes, dona Spiritûs S. meritum bonorum operum, preces, jejunia, elemosynas, mortificationes &c. omnibus hisce spiritualibus divitiis eas privat. O anima peccatrix, vide nunc, quæ tua sit miseria? non est miseria, seu desolatio, quæ tuæ comparari possit; *egressus est à filia Sion omnis decor ejus*, Thren. 1. 6. privat te peccatum mortale omnibus ornamentis, quibus te Deus per gratiam suam dotavit; dejicit te à gradu filiationis divinæ, & mancipium te diaboli efficit, atque ad eadem cum eo supplicia æterna te condemnat; *scito, & vide, quia malum, & amarum est, dereliquisse te Dominum Deum tuum*, Jerem. 2. 19. & in hunc finem

PUNCTUM II. Considera, quanto horrori tibi esse debeat peccatum? 1mo. odisse, & detestari illud debemus, tanquā rem præ omnibus in toto mundo summè detestabilem, quæ omnia mala, morbos, & ipsam mortem in mundum invexit, totàmque seriem miseriarum, quibus mundus abundat, ab eo tempore, quo primus homo Deo inobediens extitit, & omne genus malorum supra illum attrahere potest, qui peccatum committit; *væ eis, quoniam recesserunt à me*, ait Dominus peccatoribus Oseè 7. 13. *vastabuntur, quia prævaricati sunt in me*. 2do. timere, & fugere

de-

debemus illud, tanquam summum malũ, quod nos pro tota æternitate perdere, & infelices reddere potest; *quasi à facie colubri fuge peccata; & si accesseris ad illa, suscipient te dentes leonis, dentes ejus interficientes animas hominum*, Eccles. 21. 2. 3. si quis obvium habet serpentem, non deliberat; timet sibi; fugit, quantum valet, quia certi sumus, quòd si illi appropinquemus, & ille nos invadat, non solùm morituri simus, sed tali morte, quæ ex omnibus nobis crudelissima apparet, & quam præ omnibus aliis horremus; idem tibi sensus & horror sit quoad peccatum mortale, prout sancti fecerunt; *quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* dicebat castissimus Joseph, dum se ab impudica muliere Putipharis tentatum vidit ad peccatum, Gen. 39. 9. Legimus in vita S. Chrysostomi, quòd, cùm imperatrix Eudoxia liberare se vellet ab hoc S. patriarcha, qui zelo magno invehebatur in scelera illius aulæ, quosdam aulicos ad eum miserit, ut se informaret per illos, quid ergo præ omnibus timeret vir iste; minati sunt ei tot & tanta, à quibus meritò eum commovẽdum putabant, videntes autem omnia inutilia esse, ac in vanum adhibita, ad imperatricem rediêre, eique dixerunt, sanctum hunc virum respondisse, nil aliud se in toto

mun-

mundo timere, præter solum peccatum; *frustra illum hominem terres, nihil ille, nisi peccatum timet*, Paullud. vit. S. Joan. Chrysost. Ministri Domini! utinam etiam vobiscum ità se res haberet; nil in toto mundo timete nisi solum peccatum; quámcunque grandia, & horribilia sint mala hujus mundi, nihil tamen sunt in comparatione peccati; estísne benè persuasi de hac veritate? prædicatísne etiam illam populo vestro sæpiùs? quia capitale punctum hoc est totius christianæ moralis doctrinæ, prout quidam è Patribus notavit; *summa totius religionis est odium peccati.* 3tio. non sufficit odisse, & timere peccatum; debemus illi perpetuum, & mortale bellum indicere, quemadmodum homines mundani extremè persequuntur, & in omni loco inimicos suos; *persequar inimicos meos, & comprehendam illos; & non convertar, donec deficiant*, Ps. 17. 38. hocipsum facere etiam nos debemus respectu peccati; aggredi, & persequi illud debemus per omnia, & usque ad originem illius penetrare, mediante mortificatione sensuum nostrorum; fugâ occasionum, crucifixione carnis nostræ cum desideriis suis, utpote quæ funestum illud principium sint juxta S. Jacobum cap. 1. omnis peccati; *concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum*, neque hoc in clericis so-

lùm

lùm sufficit, si illud in particulari tantùm impugnant, sed debent ostendere zelum suum contra licentiam vitiorum, & excessus illos, qui passim in hoc mundo regnant, prout S. Gregorius Moral. l. 31. c. 14. ait; *debemus pro defensione justitiæ nosmetipsos objicere, & perversis ad injusta prorumpentibus, etiam cùm ab ipsis non quærimur, obviare.* Pro præparatione ad Missam eosdem sensus indue; & roga Deum, ut tibi inspirare dignetur horrorem, quem te contra peccatum habere oportet, O Domine, qui nobis concedis, toties ad infinitam majestatem tuam accedere, ne permittas, obsecro, ut unquam ad altare tuum accedamus cum conscientia impura & maculata; hoc enim esset panem coeli polluere, quo nos nutrire deberemus, ùt quidam ait: *polluimus panem, id est, corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare,* Hier. in c. 1. Malach. Reple nos in hunc finem, ô Domine, amore sanctæ legis tuæ, & odio peccati, ut cum veritate dicere possimus, quod quotidie cum psalmista dicimus; *iniquitatem odiò habui, & abominatus sum; legem autem tuam dilexi,* Ps. 118.

DIE QUARTA,

Existimate vos mortuos quidem esse peccato; viventes autem Deo, in Christo JEsu Domino nostro, Rom. 6. 11.

De

De peccato veniali.

1. Quomodo quis in illud cadat?
2. Quomodo sit timendum?

PUNCTUM I. SI benè consideremus verba ista S. Pauli, quòd post baptismum mortui simus peccato, & nonnisi Deo vivere debeamus in Christo JEsu D. N. haud contenti erimus, præcisè evitare peccatum mortale, de quo heri locuti sumus, quia hic nonnisi primus gradus est libertatis christianæ, ùt S. Augustinus tr. 4. in Joan. ait; *prima libertas est, carere criminibus;* sed omnem conatum adhibebimus, vitare etiam peccatum veniale, quod, etsi animæ nostræ mortem non afferat, non tamen propterea cessat displicere Deo, & oppositum esse, seu militare contra perfectionem, quam à nobis exigit, dum nos per apostolum hìc monet, quòd nonnisi in ipso, & pro ipso vivere deinceps debeamus; *viventes autem Deo, in Christo JEsu D. N.* Quia autem facile est in illud cadere, ideo examinemus hìc, quomodo hoc fiat? 1mo. cadimus in peccatum veniale per ignorantiam & subreptionem, quod est valdè commune, & ordinarium; nullúsque est, exceptâ solâ Beatissimâ Virgine, qui à levibus defectibus exemptus sit, ùt sunt, verba inutilia, cogitationes vanæ, distractiones leves, discursus inconsi-

derati, modicæ curiositates, leves impatientiæ &c. en defectus, in quos etiam justi sæpè cadunt, sed facilè etiam iterum ab iis resurgunt; hinc dictum est: *septies enim in die cadet justus, & resurget*, Prov. 24. 16. 2do. peccatur venialiter per negligentiam, v. g. risus immoderatus, vexationes proximi, levia dicteria, nimia facilitas in non benè judicando, defectus corrigendi alios, irreverentia in locis sacris, adulationes, visitationes inutiles, & alii similes defectus, in quibus se corrigere quis posset, si quis timorem Domini haberet, & non negligens esset juxta hæc verba Sapientis: *qui timet Deum, nihil negligit*, Ecclesiastis. 7. 19. 3tio. committuntur peccata venialia ex malitia, & ex proposito, seu deliberatè; ùt sunt, occulta æstimatio suiipsius; studium ostentationis; affectatio quædam, levis excessus in cibo & potu, verba amara; obstinatio, mendacium, despicientia proximi, invidia occulta &c. ista peccata venialia sunt magìs observanda, & consideranda, quàm cætera; vide, utrum non tu quoque illis subjectus sis? ad hanc ipsam cautelam eò magìs obligatus es, quòd id, quod hominibus nonnisi leve quid videri posset, sæpè in oculis Dei mortale sit, specialiter quoad clericos, ratione statûs, & sanctitatis illorum, ad quam obligati sunt;

item

item scandali, quod exinde populus, seu saeculares sumere possunt; hinc ortum habet haec S. Bernardi sententia: *inter saeculares nugae nugae sunt; in ore sacerdotis blasphemiae*, de consid. l. 2. c. 13. benè te supra hoc reflecte; &

PUNCTUM II. Considera, quomodo timendum sit peccatum veniale? 1mo. adeò displicet Deo, ut illud in hoc mundo puniat poenis temporalibus, imò quandoque etiã subtractione gratiarum suarum, prout ex scriptura patet, Num. 20. 12. 1. Reg. 6. 1. 1. Reg. 14. &c. & etiam poenis purgatorii, quas tolerare oportebit, antequam quis coelum intrare possit; *ipse autem salvus erit, sic tamen, quasi per ignem*, 1. Cor, 3. 16. 2do. diminuit charitatem, & devotionem; *per peccatum veniale*, ait S. Thomas 3. p. q. 87. a. 1. *retardatur affectus hominis, ne promptè ad Deum feratur*; si quis habitum, seu consuetudinem in iis contrahat, devenitur ad statum teporis, & ariditatis, qui nos impedit, faciendi progressum in virtute; manet talis semper subjectus iisdem imperfectionibus; semper iracundus, vindicativus, invidus, vanus, proprio judicio inhaerens, iisdem passionibus obnoxius, etsi pluries confiteatur, & communicet; status iste valdè periculosus est; & de tali christiano, multò magis de clerico intelligendum est

illud, quod Deus in Apocalypsi dicit: *utinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus; incipiam te evomere ex ore meo*, Apoc. 3. 16. 3tio. peccatum veniale disponit ad mortale; *qui spernit modica, paulatim decidet*, Eccles. 19. 1. qui ejusmodi levia negligit, ait Spiritus S. haud longo tempore durabit, quin in graviora cadat; S. Bernardus adhuc severius loquitur Serm. 1. in conv. S. Pauli; adeò ut quis meritò contremiscat ad hanc illius sententiam: *nemo dicat in corde suo, levia sunt ista; non curo corrigere; non est magnum, si in iis maneam venialibus, minimisque peccatis; hæc est enim, dilectissimi, impœnitentia; hæc est blasphemia in Spiritum S.* Timeamus igitur peccatum veniale: & pro præparatione ad Missam memores simus, ad sæpiùs communicandum, prout major pars clericorum facit, haud sufficere, à peccato mortali exemptum esse; oportet insuper evacuare cor nostrum ab affectu ad venialia; hinc ad præsens propositum apprimè serviet, monere clericos ità negligenter viventes, & tamen quotidie ad sacra mysteria accedentes, quin se corrigere studeant illis verbis Gregorii M. l. 2, in Reg. c. 1, ad hæc verba: famelici saturati sunt. *quod contra negligentes sacri altaris ministros, atque audaces dominici corporis susceptores dici non*

in-

inconvenienter potest; qui quotidie non exhaurit, quod delinquit, etsi minima sint peccata, quæ congerit, paulatim anima repletur, atque ei meritò auferunt fructum internæ saturitatis; & deinde sic concludit hic S. pontifex: *qui ergo quotidie delinquimus, quotidie ad pœnitentiæ lamenta curramus; quia ipsa sola virtus est, quæ evacuat, quod in ventre animæ culpa coadunat &c. quò studiosiùs mundamur lavacro pœnitentiæ, eò uberiorem divinæ gratiæ fructum recipimus in spirituali refectione,* S. Greg. ibid.

FERIA QUINTA.

Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent. Marc. 8. 2.

De PROVIDENTIA DIVINA.

1. Solicitudo, quam de nobis capit.
2. Fiducia, quam de illa habere debemus.

PUNCTUM I. ADoremus hìc modū agendi Salvatoris charitativum, quem tenuit erga quatuor millia hominum illorum, qui eum secuti fuerant per tres dies, in quorum favorem miraculum perpetravit, multiplicando septem panes, & aliquot pisces, pro illorum nutrimento, & refocillatione. Agnoscamus in hoc exemplo sollicitudinem, quam de nobis divina providentia habet; *tua autem,*

Pater, providentia gubernat, Sap. 14. 3. 1mo. cognoſcit, ſeu ſcit neceſſitatem, ſeu indigentiam noſtram: *vidi afflictionem populi mei in Ægypto;* vidi, ait Dominus ad Moyſen Exod. 3. 7. quæ populus meus in Ægypto tolerat, audivi clamorem illorum, quem ad me mittit propter duritiam, & inhumanitatem illorum, qui eos labore opprimunt; *& ſciens dolorem ejus, deſcendi, ut liberem eum de manibus Ægyptiorum.* O quãtâ ſpiritûs quiete frueremur? quæ foret noſtra tranquillitas, ſi hanc veritatem benè intelligeremus, & crederemus, providentiam Dei totum illud videre, quod in mundo fit, & agitur! Deum omni tempore, & in omni loco de nobis cogitare; eum omnes neceſſitates noſtras ſcire; & hoc ipſũ etiam ſcire, quid nobis neceſſe ſit; *ſcit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis*, Matth. 6. 32 2do. tangitur neceſſitatibus noſtris; *miſereor ſuper turbam*, ait Dominus in hodierno evangelio; non exſpectat, quouſque homines iſti, qui tanto ardore & affectu eum ſecuti fuerant, aſſiſtentiam, & auxilium ipſius implorarent; prævenit deſiderium illorum, & providentia illius, cum omni ſolicitudine: *occurrit illis* Sap. 6. 17. Si in afflictione es, aut in infirmitate quadam, ſi perſecutionem pateris, aut injuriâ afficeris, murmuras, & imaginaris tibi,

De-

Deum non tangi malis tuis, nec curare, ut tibi succurrat; *oblitus est Deus; avertit faciem suam, ne videat in finem*, Ps. 10. 11. falleris, & injuriam facis providentiæ illius; nam scire debes, quid tibi per os prophetæ cujusdam dicat; *nunquid oblivisci potest mulier suum infantem ut non misereatur filio uteri sui? etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui*, Is. 49. 15. Admirare hìc Dei bonitatem erga te; non solùm tangitur malis tuis, sed insuper 3tio. abundè illis providet, & prospicit; vide, quomodo Christus JEsus pauperem hunc populum reficiat, & pascat; etsi miraculo opus sit, nunquam deserit bonos & justos: *non est inopia timentibus eum*, ait propheta regius Ps. 33. 10. Innitantur divites, & potentes hujus sæculi bonis, ac divitiis suis, quamdiu & quãtum volunt; nunquam tamen contenti erunt; solis enim illis, qui requirunt Deum, nil deest; *divites eguerunt, & esurierunt; inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono*, Ps. 33. 11. O Domine! ego adoro te, utpote plenitudinem omnis boni, tu solus cor meum satiare potes; totum, quod extra te est, universale vacuum, & nihil est; recogita nunc intra temetipsum obligationes tuas erga divinam providentiam; quoties expertus es effectus protectionis suæ in tuis negotiis, sivè spiritualibus, si-

vè corporalibus? O quantam rationem habes Deo gratias agendi? ne igitur ingratus ſis ob beneficia; quæ accepiſti, nec incredulus promiſſionibus, quas tibi facit; *nec in eo, quod adhuc non donavit, incredulus*, ait S. Auguſtinus Epiſt. 52. ad Maced. *nec in eo, quod jam donavit, ingratus.*

PUNCTUM II. Crede igitur omnia tua divinæ providentiæ, & humili cum fiducia exſpecta, quæcunque tibi neceſſaria ſunt in corpore, & in anima; in tempore, & pro æternitate. 1mo. debes à Deo exſpectare bona temporalia: *jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet*, Pſ. 54. 23. Quid tibi uſque modò defuit? an non habuiſti, quod tibi pro ſuſtentatione tua neceſſarium erat? vide, quomodo Deus fecerit hoc totum univerſum pro te, & univerſas creaturas ad tuum ſervitium ordinaverit? has, ut veſtimenta tibi ſubminiſtrent; illas, ut nutriant te; unde ergo eſt, quòd ſemper inquietus vivas, & de alio non cogites, quàm de corradendis hujus mundi bonis? annon hoc defectum fidei arguit, & inſtar pagani vivere eſt? prout ipſe Dominus in evangelio Matth. 6. 31. ait: *nolite ergo ſoliciti eſſe, dicentes; quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur; hæc enim omnia gentes inquirunt*, 2dò. exſpectare ab illo debes bona ſpiritualia,

id

id est, gratias in statu vitæ hujus tibi necessarias, ad quem te Deus vocavit; *confide in Deo, & mane in loco tuo,* Eccles. 11. 22. fiduciam tuam in Deo pone, ait Sapiens; sit ille solus, & finis, & principium omnium actionum tuarum, & mane in eo statu, & loco, quo te posuit; quia, modò ei fidelis sis, & firmus in viis ejus persistas, & nihil præter ejus voluntatem aggrediaris; quantumvis pauper sis, facile illi erit, divitem te reddere; *facile est enim in oculis Dei, subitò honestare pauperem*; noli igitur abripi à quadam diffidentia, vel seduci ab iis falsis apprehensionibus, quibus dæmon quandoque utitur ad perturbandas animas, & ad desperationem eas tentando, intuitu scelerum, vel peccatorum præteritorum; si Deus tibi condonavit gravia scelera, ait S. Augustinus in Ps. 96. 10. an te propter quotidianos defectus perdet? *qui justificavit impium, perdet pium?* considera, misericordiam Dei limites non habere; projice, & conjice te in sinum illius, & exspecta ab illo non solùm bona gratiæ, sed etiam 3tio gloriæ, seu bona æterna; Deus illa nobis promisit, neque nos fallere potest, ait S. Paulus 2. Timoth. 2. 13. *ille fidelis permanet, negare seipsum non potest;* JEsus Christus Filius suus ea nobis promeruit; *& ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater me-*

us regnum, ait ad discipulos suos, Luc. 22. 29. Omnes sancti in hoc se fundârunt; & quamvis maximi etiam peccatores essemus, pariter in infinitis Salvatoris nostri meritis nos fundare, omniàque nostra manibus illius concredere possumus, & debemus, dicendo cum apostolo 2. Timoth. 1. 12. *scio, cui credidi, & certus sum; quia potens est depositum meum servare in illum diem*; ecce! quosque progredi possit confidentia nostra! domus Dei sumus, templum, & filii ipsius, ait alibi apostolus, sed sub conditione, si firmiter permaneamus in spe & fiducia, bona nobis promissa consequendi; *quæ domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei usque ad finem firmam retineamus*, Hebr. 3. 6. Pro Missa; nos habemus grande motivum fiduciæ in bonitate Salvatoris nostri, qui postquam nos in cruce genuit, quotidie nos in S, altari pascit, & nutrit. O Domine, *si oculi omnium in te sperant*, Ps. 144. & à te vitæ necessaria exspectant, *& tu das illis escam in tempore opportuno*, quid nos facere oportet? quid illi non sperent, quos quotidie ipso pane angelorum nutrit? *nonne vos magis pluris estis illis?* ah, noli unquam permittere, ut tuæ divinæ providẽtiæ diffidam! ad quid mihi prodesse possunt excessivæ quædam curæ, & inquietudines circa tales res, ac pro tali tempore, quod

for-

fortè nunquam erit, aut continget? O Domine, ego omnia omninò in manus tuas consigno, & conabor id implere, quod ipsemet nobis in evangelio consuluisti; *nolite soliciti esse in crastinum; crastinus enim dies solicitus erit sibiipsi, sufficit diei malitia sua*, Matth. 6. 34. hoc est, quod imposterum faciam, non per indifferentiam aliquam, aut negligentiam, sed ex fide, seu fiducia; *incuria solicitudinis relaxatæ non negligentiæ, sed fidei est.* Hilarius in Matth. ibi.

FERIA SEXTA.

Accipiens septem panes, gratias agens, fregit; & dabat discipulis suis, ut apponerent; & apposuerunt turbæ. Marc. 8. 6.

DE ELEMOSYNA, AD QUAM CLERICI TENEANTUR.

1. Debet esse corporalis. 2. Et spiritualis.

PUNCTUM I. APostoli populo, qui JEsum secutus est in desertum, distribuentes septem panes miraculosè multiplicatos, imago sunt, & figura ministrorum evangelicorum, quorum principalis obligatio est, solari populum in miseriis ejus præter hoc, quòd eis panem sacrum verbi divini distribuant: debent ergo clerici hìc considerare, quòd ad duplex genus elemosynæ obligati sint, corporalis,

&

& spiritualis; corporalis elemosyna in eo consistit, ut pauperibus in necessitatibus eorum corporalibus subveniant, quantum ipsi possunt, & hi indigent; *quomodo poteris, esto misericors*, ajebat ad filium suum Tobias; *si multùm tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude*, Tob. 4. 8. & 9. en regulam, quam quilibet sequi debet; verùm clerici plus cæteris ad hoc obligati sunt. 1mo. quia spiritus sacerdotii JEsu Christi est spiritus charitatis; clericus, qui hoc spiritu animatur, debet tangi omnibus miseriis proximi, & considerare seipsum, ùt oculũ cœci, pedem claudi, patrem pauperum, tutorem viduarum, & orphanorum; *gloria episcopi est, pauperum inopiæ providere*, ait S. Hieronymus Epist. ad Nepot 2. *ignominia omnium sacerdotum est, propriis studere divitiis*. 2do. quia bonum exemplum dare debent populo, præsidere omnibus operibus bonis, quæ fideles operantur, & esse quasi canales, per quos elemosynæ illorũ in sinum pauperum fluant: *discant autem nostri, bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi*, admonitio est S. Pauli ad Titum cap. 3. 14. scribentis; amplectamur illam ex toto corde nostro, & imitemur ardentem zelum illum primorũ horum christianorum, de quibus alibi apo-

stolus

stolus loquitur, qui astiterunt, & succurrerunt fratribus suis, in quantum potuêre, imò etiam ultra; *secundùm virtutem, & supra virtutem, voluntarii fuerunt*, 2. Cor, 8. 3. 3tio. quia bona, quibus clerici gaudent, specialiter destinata sunt in sustentationem pauperum; *possessio ecclesiæ sumptus est egenorum*, ait S. Ambrosius 19. l. 2. off. 28. *aurum ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus*, ait alibi hic S. Doctor; hinc omnes boni clerici de hac veritate persuasi seipsos considerarunt, prout ex antiquis authoribus aliquis notavit, non ùt proprietarios bonorum ecclesiasticorum, sed ùt depositarios præcisè tales, quibus incumbat, ea in pauperes distribuere; *scientes nihil aliud esse res ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, non eas vindicaverunt in usus suos, ùt proprias, sed ùt commendatas, pauperibus diviserunt*, lib. 2. de vit. cont. e. g. inter opera S. Prosperi. In istos grandes viros oculos tuos conjice, qui seipsos per charitatem suam commendabiles reddidêre; *hi viri misericordiarum sunt*; appropinqua huic magno igni charitatis, quo illi versùs pauperes flagrabant; & disce ab eis, quomodo eos solari debeas; verùm, ais, beneficium meum modicum est, vix habeo, unde ego sustenter; re scinde, rescinde

super-

superflua; & invenies, quod dare possis pauperibus; quomodo putas, tot elemosynas à sanctis fieri potuisse? ideo, quia sibi ipsis modicum dabant; dictum olim fuerat S. Carolo, quòd hortum quemdam penés suum palatium archiepiscopale habere debeat, ut liberiorî aurâ quandoque in eo frui posset, magnus hic pauperum amator has expensas facere recusavit, respondítque; *hortum episcopi esse divinam scripturam*, Giussano l. 8. c. 7. Sacerdotes, beneficiati, ministri ecclesiæ! ad hoc vos exemplũ invito, & voco; parcite hoc modó sumptibus, & habebitis, quod in pauperes erogare possitis; verùm quia haud sufficit, illorum necessitatibꝰ corporalibꝰ providere;

PUNCTUM II. Considera clericos insuper obligatos esse ad elemosynam spiritualem, id est, ad dandam pauperibus eã instructionem, & spiritualia auxilia, quibꝰ indigent; nonnisi hanc duplicem charitatem exercendo evadent perfecti imitatores JEsu Christi, de quo scriptum est Act. 10. 38. *pertransiit benefaciendo, & sanando omnes*; prædicabat hominibus doctrinam salutis; cœcis visum, surdis auditum, sanitatem ægris restituit; & non obstante suâ propriâ extremâ paupertate etiam ipse elemosynam dedit de illis, quæ dignatꝰ fuit, à suis creaturis accipere. Nos ergo, qui

qui ministri ipsius sùmus, & quasi idemmet ille, extendere debemus charitatem nostram ad necessitates tam corporales, quàm spirituales proximi, tradendo catechismum quandoque pauperibus, & assuefaciendo nos, dare etiam ipsis verba salutis, quando eis elemosynam largimur, quærendo ex iis, utrum principalia mysteria fidei nostræ sciant? utrum de mane, & vesperi aliquid orent? utrum Sacramenta frequentent? utrum christianè vivant? quia nunquam adeò capaces sunt, & prompti ad acceptandas ejusmodi instructiones, ac quando nos dispositos vident ad iis succurendum; elemosynæ nostræ mirabilem effectum habebunt in intellectu, ac consequenter etiam in corde eorum ad capienda mysteria, & veritates religionis nostræ; hinc Sapiens Prov. 3. 3. ait: *misericordia & veritas te non deserant*, Itáne hucusque elemosynam dedisti? ah! quàm multi sunt ex clericis, qui oculos claudunt super vera miseria, & patenti indigentia pauperum! scimus, majorem partem pauperum putrescere quasi in ignorantia, & oblivione salutis suæ, & nullus, aut vix ullus est, qui ei verbum de hoc faciat; *parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis*, Thren. 4. 4. tantum abest, ut eis frangatur panis verbi divini, ut aliqui etiam sint, qui nec

digna-

dignantur eos audire, seu admittere, quãdo ipsi auxilium vel consilium aliquod circa hæc petunt, aut ad Sacramentum pœnitentiæ accedere vellent; sitne hoc charitatem erga illos habere? pete à Deo veniam duritiei tuæ erga pauperes; &, ut te corrigas, ordina imposterum charitatẽ tuam juxta amorem illum, quem JEsus Christus nobis quotidie in sanctissima eucharistia exhibet; vide, quomodo omnes ad mensam suam admittat, divites & pauperes, magnos, & parvos, sapientes & ignorãtes; quilibet accedere potest; & quod adhuc mirabilius est, quilibet accedere potest toties, quoties optat, & vult. O si hanc infinitam Salvatoris nostri charitatem benè comprehenderemus, quæ eo processit, ut pauper esse voluerit, quò nos bonis suis ditare posset, quid non faceremus pauperibus? reflecte te parumper super hoc, antequam ad altare accedas; *scitis enim gratiam Domini nostri J.C. quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset dives, ut illius inopiâ divites essetis*, 2. Cor. 8. 9. & pro gratiarum actione post Missam expende parùm magnitudinem beneficii, quod accepisti, & dic intra temetipsum, quomodo meipsum negare possum pauperibus, eorùmque oblivisci, cùm videam ipsummet Dominum curam mei in se suscipere velle,

meæ-

meæque paupertatis, ac miseriæ misereri; *ego autem mendicus sum & pauper; & Dominus solicitus est mei*, Ps. 39. 18.

DIE SABBATHI.

Et manducaverunt, & saturati sunt; & sustulerunt, quod superaverat de fragmentis septem sportas. Marc. 8. 8.

De mensa clericorum.

1. De defectibus ibi committi solitis.
2. Quas virtutes ibi exercere debeamus?

PUNCTUM I. ADmirari hic possumus sobrietatem, quæ in hac refectione miraculosa fuit observata, ubi Christus JEsus septem panibꝰ quatuor millia hominum refecit; scio, quòd frangendo panes hosce, abundãtiam super illos effuderit, prout ait S. Hieronymus in Matth. c. 14. *frangente Domino, seminarium fit ciborum; potestas erat in manibus Christi*, ait Augustinus tract. 24. in Joan. multiplicavit panes istos, quemadmodum multiplicat messem per pauca grana, quæ in terram jaciuntur, sed hæ ipsæ sportæ, quas de reliquiis reportarunt, occasionem nobis dant, laudandi hos homines ob suam tẽperantiam, & examinandi simul hìc defectus, quos nos sæpè committimus in mensa, seu refectionibus nostris; peccatur in hac occasione ordinariè quinque modis,

qui verbis istis comprehenduntur: *præproperè, lautè nimis, ardenter, studiose. Præproperè*; prævenimus horam prandii; assuescimus, & consuetudinem contrahimus bibendi & comedendi indifferenter omnî horâ; nolumus nos subjicere ulli regulæ; vel si hoc fit, nonnisi murmurando, & conquerendo hoc fit, illísque similes sumus, de quibus propheta Ps. 58.16. *ipsi dispergentur ad manducandum; si verò non fuerint saturati & murmurabunt. Lautè;* haud contenti sumo cibis communibus; volumus refectionem bonam, imò magnificè tractári; quæruntur vina delíciosa, & cibi exquisiti; verbô, quotidie splendidè & opiparè vivere volumus, quod reprobatur in illo evangelico divite, & magìs adhuc reprehendi meretur in clericis; *epulabatur quotidie splendidè*, Luc. 16. 19. *Nimìs*; bibitur & comeditur cum excessu; & pro eo, ut observemus, quæ nobis Sapiens præscribit; *utere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur*, Eccles. 31. 19. & 22. & infrà; *quàm sufficiens est homini erudito vinum exiguum*; sequimur communiter appetitus nostros inordinatos, qui origo sunt infinitorū defectuum, qui exinde sequuntur. *Ardenter*; ardori appetitûs omninò ceditur; præcipitanter, & nimìs avidè in cibum & potum involamus, pro eo, quòd aliquot momentis exspectare deberemus

mus

mus, antequam cibum sumamus, juxta cõsilium sanctorum, ut ità refrœnemus intẽperantiam carnis, & impetuositatem desideriorum nostrorum reprimamus; *aliquâ morâ intemperantiam confitentes*, Clem. Alexandr. pedag. l. 2. c. 7. *Studiosè*, volumꝰ, cibos esse delicatè præparatos; & si ad gustum nostrum non sint, conquerimur, fastidimus, murmuramus, pro eo, quòd sensualitatem nostram mortificare, & tali cum gaudio & simplicitate cibum nostrum sumere deberemus, quemadmodum primi christiani; *sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis*, Act. 2. 46. Examina te nunc coram Deo, an non aliquem ex his defectibus admiseris, quos hìc enumeravi? & fortè ità, ut deinde teipsum applicare non ampliùs volueris ad studia, ad orationem, & ad alias statûs & vocationis tuæ functiones? pete à Deo veniam horum delictorum, quorum te reum agnoscis, & ut eos corrigas, & te emendes;

PUNCTUM II. Memor esto, te debere facere hanc ipsam actionem, prout omnes alias, pro gloria Dei; *sive manducatis, sive bibitis, sive aliud aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, ait apostolus 1. Cor. 10. oportet in hunc finem 1mo. formare intẽtionem bonam; alimentáque nostra non aliter considerare, aut sumere, nisi út reme-

dia à Deo nobis concessa ad reparandam indigentiam, & necessitatem naturæ nostræ; non verò ut media, satisfaciendi nostræ; *hoc me docuisti*, ajebat ad Deum S. Augustinus conf. l. 10. c. 31. *ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam*, 2do. incipere prandium, seu refectionem, & finire per orationem, procurando sic, ut, dum tale quid faciendum aggredimur, ubi ordinariè plures committere solemus defectus, Dei benedictionem super nos, & cibos nostros, quos sumere volumus, promereamur; & hanc ipsam orationem cum fervore persolvēdo; *benedic Domine nos, & hæc tua dona, quæ de tua largitate sumus sumpturi*, 3tio. bibere & comedere moderatè & temperanter; *non tanquam ventris mancipia manducantes*, ait S. Basilius exercit. ad piet. serm. 2. *sed sicut decet Dei servos*. Oportet etiam condire refectionem spirituali aliquo discursu, aut lectione ad exemplum sanctorum, qui semper soliciti fuêre, pascere animas suas, dum corpora nutriebant; *frugalis mensa*, ait Possidius loquendo de S. Augustino; *quam semper sacra vel lectione, vel disputatione condiebat*. Sanctificastìne ità mensam, & refectiones tuas? an non pro eo, ut te utiliter occupares, vel conversareris, erupisti in verba nimis libera, detractiones, imo etiam cantilenas clerico

rico indignas, cujus vox amplius ad aliud servire non debet, nisi ad decantandas Dei laudes; vide, ut imposterum cautior sis! haec est gratia, quam à Deo in hodierna praeparatione tua ad Missam petere debes; *& justi epulentur in conspectu Dei,* Ps. 67. O Domine, qui nos praeordināsti, ut unâ tecũ mensâ in coelo fruamur, ne permitte, obsecro, ut unquam te perdamus ex conspectu, seu oculis nostris, in mensa nostra, sed fac nos ità cibum sumere, ut memores simus, nos in conspectu tuo esse, prout sancti nos docuêre; *in facie prandatur authoris &c. epulis vestris Christus intersit,* S. Chrys. Hom. 16. in Matth. & ità nos gerere in actione ista, prout clericos decet, nempe conjiciendo oculos mentis nostrae in JEsũ Christum Filium tuum, cum apostolis suis mensae accumbentem, & manducantem; vel, quasi sacrae mensae, S. communionem sumpturi, accumbentes: *fercula nostra Deum sapiant; Christus & influat in pateras; ludicra verba, jocos, trina superna regat pietas,* Prudent. hymn. ante cibum.

DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestrae; sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiae & iniquitati, ad iniquitatem;

tem; ità nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem, Rom. 6. 19.

DE CONVERSIONE PECCATORIS.

1. Quàm parùm exigat à peccatore Deus ad conversionem.
2. Quid clericum facere oporteat ad reparandum proprium lapsum.

PUNCTUM I. Mirare hìc condescẽdentiam S. Pauli quoad Romanos recenter ad fidem conversos, vel potiùs adora in ea bonitatem Dei, propter illud modicum, quod à peccatore petit, si se convertere velit; quid enim non posset exigere à nobis, postquam illum offendimus? peccatum enim tam horrendũ quid est, ut minus quid non mereatur, quã inferni supplicia; & si Deus, ut ab istis nos liberaret, à nobis exigeret tolerantiam omnium malorum, & dolorum, quibus hæc vita exposita esse potest, misericordia adhuc ista foret, quæ infinitam à nobis exposceret gratitudinem; & si vellet, tam austeram vitam nos ducere, qualem videre est in solitariis & eremicolis illis Palæstinæ, & Syriæ &c. quorum pænitentiæ rigorem mundus miratur, & stupet; excessus tamen adhuc foret bonitatis, & condescendentiæ illius, quem satis mirari non possumus; interim non exigit à nobis tantum; contentꝰ est minoribus, & ad hoc omnia reducuntur, quæ in præfato textu apostolus nobis

exponit, nempe; *sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ità nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*; ac si diceret; potestísne conqueri de me, quasi nimiùm à vobis exigam, post tot peccata dimissa, post tot concessas gratias? quia, cùm exigere à vobis possem, ut longè magis inhæreatis, & dediti sitis justitiæ, quàm prius secuti, & obsecuti sitis passionibus vestris criminosis; ac dicere idipsum, quod propheta quidam dixit: *sicut fuit sensus vester, ut erraretis à Deo; decies tantùm iterum convertentes requiretis eum*, Baruch. 4. 28. tamen non nimium exigerem; contentus igitur est Deus, si tantumdem pro ipso modò faciatis, quantùm prius pro mundo fecistis; taléſque sitis modò pro sanctitate, & justitia, quales prius eratis pro injustitia, & impudicitia; & si membra vestra prius servierunt tanquam instrumenta peccato, modò instrumenta sint pœnitentiæ; & si prius nonnisi de promerenda æstimatione, & gloriâ ab hominibus soliciti fuistis, modò vos applicetis ad laborandum pro lucrandis Christo JEsu animabus. Anne hoc nimium sit, si tali, tantòque ardore modò serviatis Christo, quo antea serviîstis inimicis ipsius? en, quid à christianis omnibus in genere exigi possit? verùm clerici, qui ad

perfectionem tendere obligantur, notare & advertere debent, hanc nonnisi quamdã adolescentiam esse, ùt ait S. Augustinus Epist. 145. edit. nov. *& hæc quidem, quantum mihi videtur, nondum est perfecta justitia, sed quodam modo adulta; neque enim frustra permitteret Paulus, humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ, nisi quia plus aliquid dicendum fuit, si jam illi ferre potuissent: plus quippe servitutis debetur justitiæ, quàm peccato solent homines exhibere*; si ergo ipse etiam infeliciter lapsus fuisses, super his te reflecte; &

PUNCTUM II. Considera, quid clericum facere oporteat, ut lapsum suum reparet? debet nimirum ità deinceps inhærere amori justitiæ, ut neque pœnis corporalibus, neque crudelitate inimicorum impediri valeat ab exercitio bonorum operum; *justitia verò sic amanda est*, pergit S. Augustinus ibid. *ut ab ejus operibus etiam pœnæ corporis nos cohibere non debeant; atque inter manus etiam crudelium inimicorum luceant opera nostra coram hominibus, ut, quibus placere possunt, glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est;* quid facere debet minister ecclesiæ, qui prius vitam duxit prorsus sæcularem, & mundanam, si postea à Deo illustretur ad cognoscendam sanctitatem status, & vocationis suæ? dimittere, & relin-

que-

quere debet doctrinam hujus mundi, & arripere doctrinam evangelicam; ducere vitam prorsus novam, & totis viribus se iis tantùm applicare, quae reficere, & nutrire valeant spiritum suum; *projicite à vobis praevaricationes vestras, & facite vobis cor novum, & spiritum novum*, Ezech. 18. 31. quid facere debet pastor, qui vixit ità, ut neglexerit satisfacere obligationibus officii, & ministerii sui, si postea tangat Deus misericorditer cor illius? debet non solùm totū illud tempus, quod hucusque voluptatibꝰ impendebat, dare solicitudini, & curae pro suis parochianis, sed insuper suae praeteritae negligentiae aliter reminisci non debet, nisi ut propterea coram Deo ingemiscat, & poenitentiam de illa agat; quid facere debet sacerdos, qui ex avaritia tantum corradere studuit, quantum potuit? non debet exspectare tempus mortis suae, ut de suis facultatibus in favorem pauperum, aut ecclesiae de hac mammona iniquitatis disponat, sed adhuc vivens, & sanus talia effundere in sinus pauperum, & reliquo vitae suae tempore impugnare, & expugnare per opera charitatis passionem illam suam, à qua se abripi passus fuit, ad ità sibi thesaurizandum; *quiescite perversè agere; & discite benè facere*, Is. 1. 16, quid facere debet sacerdos, qui voluptatibus saeculi, &

peccaminosis deliciis se hucusque dedit? non debet solummodò iis renuntiare pro semper, sed obligatur insuper mortificare corpus suum per jejunium, per solitudinē, & alia opera pœnitentiæ, & mortificationis; denique! quid facere debet clericus, & sacerdos, qui orationem neglexit? non debet solùm reparare hunc defectum per ordinatam & ferventem orationem quotidianam, sed pro tempore deperdito reputare debet omne illud, quod sine spiritu orationis transegit, id est, sine unione cordis sui cum Deo. Bone Deus! ah quàm pauci sunt clerici, sacerdotes, & pastores, qui se tali modo, ac seriò convertant! *pœnitentes, pœnitentes*, exclamabat olim S. Augustinus Homil. 4. 1. *si tamen estis pœnitentes, & non irridentes; mutate vitam!* ah ubi inveniemꝰ hanc mutationem vitæ, sine qua nulla est vera pœnitentia. Quod hodie accessuri ad altare facere debemus, si tamen in statu, seu digni sumus, ad illud accedere, hoc est, ut oremus pro conversione peccatorum, maximè clericorum, & nostrâ; & in recitatione completorii majori cum attentione & fervore dicamus illud: *converte nos Deus salutaris noster, & averte iram tuam à nobis* Ps, 84. incipiamus hoc grande opus adhuc hodie, nec amplius illud differamus; nam eheu! quàm difficile est finire benè, si malè

fit.

ſit inceptum; *difficile eſt, ut bono peragantur exitu, quæ malò ſunt inchoata principio,* S. Leo Epiſt. 88. c. 1.

§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§

FERIA SECUNDA.

Quem fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? nam finis illorum mors eſt. Rom. 6. 21.

DE CONTRITIONE.

1. Neceſſitas illius. 2. Ac duratio.

PUNCTUM I. CONſcientiam noſtrã inſpiciamus, & fateamur ultrò, omninò nos habere rationem nobis ipſis idipſum dicendi, quod Paulus Romanis dicebat: *quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis?* apoſtolus hoc dicebat ad homines tales, qui magna ex parte idololatriæ dediti, & conſequenter mille exceſſibus & peccatis implicati erant; petit igitur ab eis ſcire, quid illis jam ſuperſit ex tot pudendis & infamibus operibus, quibus ſeipſos proſtituerunt? ſi ſola memoria, ſeu recordatio talium rerum infamium, ruborem exprimere debet illis, qui ſine Deo, ſine ulla religione vixerunt, ſùntque ſecuti cœcos motus naturæ ſuæ corruptæ; qualis eſſe debet confuſio illorum, qui talia commiſerunt poſt baptiſmum? qui profanaverunt in ſeipſis ſanctitatem templi Dei, & membra Chriſti

fecerunt membra meretricis? si S. Augustinus de peccatis adolescentiae suae loquens conf. l. 2. c. 8. exclamat: *quem fructum habui miser aliquando in iis, quae nunc recolens erubesco?* quamvis nondum infans, seu filius ecclesiae fuerit, quanta debet esse humiliatio, contritio, & interna confusio illorum, qui non solùm baptizati sunt, sed etiam consecrati ministri, & sacerdotes Domini; si per suos perversos mores vilem reddiderunt, & profanaverunt sanctitatē christianismi, & eminentiam sacerdotii, ad quod eos Deus sublimavit? & tamen, ubi sunt illae poenitentiae lacrymae, quas ex oculis suis profundant? ubi est contritio illorum? sancti inconsolabiles erant ob minimos commissos defectus, & nos neque magnos curamus! *quanam fronte attollo oculos, ad vultum tam boni Patris; tam malus filius!* ajebat S. Bernardus Serm. 16. in cant. *exitus aquarum deducant oculi mei; operiat confusio faciem meam; deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.* Agnosce hìc necessitatem contritionis; & scito, sine illa nullam unquam fuisse datam, neque dandam remissionem peccatorum, prout concilium Tridentinum Sess. 14. de poen. c. 4. Ansel. orat. 10. loquitur; *fuit quovis tempore, ad impetrandam peccatorum veniam, hic contritionis motus necessarius;* pete illam in-

instanter à Deo, quoties ad Sacramentum pœnitentiæ accedis; *da Domine Deus meus cordi meo pœnitentiam, spiritui contritionem, oculis lacrymarum fontem.* S. Carolus toties ad hoc Sacramentum accessit, tam regulariter, & ordinatè vixit; & nunquam confessionem suam annuam deposuit, nisi prius per plures horas genuflexus à Deo hanc contritionem petiisset; & tu, cujus vita imperfectionibus plena est, & fortè rarò confiteris, quantum temporis insumis ad eam petendam? quia verò satis non est, illam pro tunc habere, & elicere;

PUNCTUM II. Considera, quamdiu durare debeat? contritio verè pœnitentis debet esse continua; nunquam cessare debet, sed continuò illud Davidicum repetere; *ego in flagella paratus sum; & dolor meus in conspectu meo semper,* Ps. 37. 18. hinc docet S. Thomas post S. Augustinum p. 3. q. 83. a. 8. & 9. quòd usque ad mortem perseverare debeamus in dolore & detestatione peccatorum nostrorum; ratio est, quia nunquam in hac vita omninò certi esse possumus, peccata nobis esse dimissa; & si etiam certi esse possemus, nihilominus ea detestari deberemus; unicum medium hoc est, securam reddendi conscientiam nostrã, prout S. Gregorius M. cuidam dominæ romanæ dixit; scripsit hæc huic sancto ponti-

fici

fici, se nunquam cessaturam, eidem molestam esse, si non ex parte Dei eam certam redderet, peccata sua sibi remissa esse; cui respondit; *rem difficilem etiam, & inutilem postulasti; difficilem quippe, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat, inutilem verò: quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cùm jam in die vitæ ultimo plangere eadem peccata minima valebis*, l, 6. epist. 186. En, quanta debeat esse duratio contritionis! credìsne hanc veritatem, debere nos usque ad mortem vivere in spiritu pœnitentiæ? eheu, vix confessus es pcccata tua, & statim iterum oblivisceris eorum; an potes ignorare, peccata clericorum longè magìs enormia esse, quàm vulgi? & consequenter quòd abundantioribus lacrymis deplorari debeant? si verè tangeris defectibus & peccatis tuis, quæ, ùt ipse ad S. altare fateris, sunt sine numero, nullus esse debet dies, quo non teipsum coram Deo acriter reprehendas; *vœ mihi, quia peccavi nimìs in vita mea; commissa mea pavesco, & ante te erubesco*; deplorare debes cum S. Augustino conf. l. 2. c. 10. delicta juventutis tuæ; *deflexi abs te, & erravi Deus meus, nimis devius à stabilitate tua, in adolescentia!* Pro Missa ora Deũ, ut tibi spiritum hunc compunctionis donare dignetur, quem sancti cum tanto fervore ab ipso petierunt; *singulis diebus á Domi-*

no

no compunctionis lacrymas efflagitemus, dicebat S. Ephrem. de virt. comp. c. 10. vide, ut cum illo idem sentias; & ut magìs ad dolorem hunc exciteris, memor esto doloris illius, quem JEsus Christus de peccatis nostris totâ vitâ suâ sensit, maximè autem tempore passionis suæ; hujus ad altare memoriam renovemus; noli ergo accedere sine dolore, neque recuses jungere lacrymas tuas cum illis, quas Dei Filius pro peccatis tuis profudit; *compatitur mihi Dei Filius, & plorat; compatiar & illi, ac simul cum lugente lugebo*, S. Bernard. serm. 3. in nat. Dom.

FERIA TERTIA.

Nunc verò liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem; finem verò vitam æternam. Rom. 6. 22.

DE JUSTIFICATIONE.

1. In quo consistat. 2. Quinam sint illius effectus.

PUNCTUM I. ADoremus Deum ut authorem, & principium totius sanctitatis, qui per suam misericordiam liberavit nos à peccatis nostris, & justificavit nos per gratiam propter merita Filii sui JEsu Christi; *justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo JEsu*, Rom. 3, 24. O quàm meretur hoc grande donum justificationis, ut omni-

omninò gratos nos Deo exhibeamus, omnémque ei honorem & laudem tribuamus! *benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi*, Ps. 30. Ut huic nostræ obligationi satisfaciamus, consideremus, in quo consistat hæc peccatoris justificatio, justificatio ista renovatio est interna animæ nostræ, per quam grati efficimur Deo, qui antea peccatores eramus; hæc renovatio consistit in remissione peccatorum, & infusione virtutum christianorum, præsertim charitatis, quæ difussa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui ad nos venit, ut inhabitet nos, Tit. 3. 5. itaque Spiritus sanctus principium est hujus renovationis; ipse est, qui justos & sanctos nos facit; qui nos à peccato liberat, ùt apostolus ait, ut nos amabili jugo JEsu Christi subjiciat; *nunc verò liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem; finem verò vitam æternam*, Conc. Trid. sess. 6. de justif. c. 7. O felix servitus, quæ tota gloria, & gloriatio nostra est; servitus humana nonnisi miserabiles reddit; servitus autē Dei nonnisi sanctos facit in tempore, & in æternitate reges. O quàm justè laudanda à nobis est misericordia Dei super nos ante hanc servitutem justitiæ filii Belial, qui ferre non poterant jugum Domini, qui vivebāt

in

in superba quadam independentia, de alio non cogitantes, *nisi* quomodo passionibus suis satisfaciant, & perseverare possint in periculosa libertate malè faciendi; ecce, quid fuerimus; & quid adhuc essemus sine gratia justificationis, quam Spiritus S. diffudit in cordibus nostris; omni studio & conatu gratos nos Deo exhibere debemus; *benedic anima mea Domino; & noli oblivisci omnes retributiones ejus*. Ps. 102. 2. Gratias illi agamus non solùm propter peccata, à quibus liberavit nos, sed etiam pro iis, quæ committere potuissemus; minimè enim dubitare debemus, si gratiâ suâ nos non prævenisset, etiam nos lapsuros fuisse in plura peccata, in quæ tot alii, suæ perversæ voluntati relicti, lapsi sunt; hæc erat humilis gratiarum actio, quam S. Augustinus post suam conversionem Deo exsolvit l. 2. conf. c. 7. his verbis: *gratiæ tuæ deputo, & misericordiæ tuæ, quòd peccata mea tanquam glaciem solvisti; gratiæ tuæ deputo; & quæcunque non feci mala, quid enim non facere potui, qui etiam gratuitum facinus amavi? & omnia mihi dimissa esse fateor, quæ meâ sponte feci mala, & quæ te duce non feci*; idem cum hoc illustri pœnitente senti! & ut gratiarum actionem augeas;

PUNCTUM II. Considera, quinam sunt effectus hujus grandis doni sanctifica-

tionis? 1mo. reddit hominem Deo amicū ex filio iræ, qualis antea erat; *ex injusto fit justus, ex inimico amicus, ut sit hæres secundùm spem vitæ æternæ*, ait Conc. Trid. id quod etiam S, Paulus indicare nobis voluit, quando ait: quòd si, dum adhuc peccatores essemus, Christus JEsus non dedignatus est pro nobis mori; *multò igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum*, Rom. 5. 9. 2do. non solùm amici Dei evadimus, sed etiam filii ipsius; non accepimus enim, ùt S. Paulus Rom. 8. 15. ait, *spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis Dei, in quo clamamus, abba Pater*; qualis honor pro nobis! *fastigium nobilitatis est*, ait quidam sanctorum Patrum, *inter filios Dei computari*, S. Cyrill. Hieros. catech. 7. ita est, quod verbum æternum per naturam suam est, nos sumus per gratiam adoptionis; quid majus à nobis concipi potest! haud miror S. Joannem re tam mirabili stupefactum, sanctè admirabundum exclamasse: *videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus*, 1. Joan. 3. 1. Ah, christiani! & vos etiam ô sacerdotes, & ministri Domini! *videte*, qualē charitatem nobis exhibuerit Deus? non solùm permittit nobis, ut filii illius nominemur; sed vult insuper, ut tales simùs etiam reipsa; *ut nominemur,*

&

& simus; nec tamen in sola admiratione sistere debemus; oportet etiam videre, qualiter tam sublimem dignitatem sustineamus? verum est, Deum esse Patrem nostrum; sed, éstne etiam verum, quòd in aliquo illi similes simus per sanctitatem vitæ nostræ? eheu, quanta dissimilitudo inter illum, & nos! *sancti estote*, ait ille, *quoniam ego sanctus sum*, Levit. 21. 8. quàm soliciti fuimus hucusque ad talem sanctitatem perveniendi? 3tio. justificationis donum facit nos esse fratres JEsu Christi, & cohæredes gloriæ ipsius; *si autem filii, & hæredes*, ait apostolus, *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*; quantum commodum, ac lucrum pro nobis, quòd ad Christum pertineamus! agnoscamus igitur excellentiam conditionis nostræ, exclamat hìc S. Leo; si princeps aliquis te adoptaret in filium, & declararet te pro hærede regni sui, quanti æstimares hunc favorem & gratiam? éstne autem princeps, *qui sit Dominus universæ terræ*? potéstne ullus venire in comparationē cum rege cœli? quid dare nobis potest princeps terrenus, nisi regnum solùm terrestre? verùm Deus eligendo nos in Christo JEsu pro filiis suis adoptivis offert nobis regnum quoddam æternum; quanta gratia! vide, ne te illâ indignum reddas! *agnosce ô christiane, dignitatem tuam, & divi-*

næ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire! Serm. 1. de nativ. D. Pro Missa memento, sacrã cõmunionem medium esse potentissimum conservandi, & perficiendi in nobis gratiã, adoptionis; cùm nil sit, quod nos intimius Christo JEsu conjungat, quàm S. Eucharistia; accede hodie cum novo fervore, & devotione, renuntiando semper magis ac magis omni rei, quæ impedire in te posset admirabilem unionem hanc, quam Dei Filius tecum habere vult; *qui justus est, justificetur adhuc; & qui sanctus est, sanctificetur adhuc,* Apoc. 22. 11.

FERIA QUARTA,

Stipendia enim peccati mors; gratia autem Dei vita æterna, in Christo JEsu Domino nostro. Rom. 6. 23.

De effectibus peccati & gratiæ.

1. Peccatum causat mortem. 2. Gratia vitam.

PUNCTUM I. Repræsentat nobis apostolus ad finem hujus epistolæ peccatum & justitiam, seu gratiam, tanquam duos dominos, qui servis suis mercedem dant, sed modô valdè diversô; peccatum dat mortem; justitia vitam; sit hæc materia hodiernæ meditationis; *stipendia peccati mors;* solutio planè mirabilis! merces funesta! remuneratio hor-

horribilis! vide igitur, qualis sit effectus, & fructus peccati? & quid homines lucrentur per peccatum? 1mo. causat mortem animae; *anima, quae peccaverit, ipsa morietur*, Ezech. 18. 20. non destruit quidem illam, cùm ex sua natura sit immortalis; sed aufert illi vitam gratiae, quae consistit in unione cum Deo, à quo peccatum separat; *sicut anima est vita corporis*, ait S. Augustino Serm. 30. de V. D. *sic animae vita est Deus; sicut exspirat corpus, cùm animam amittit, ità exspirat anima, cùm Deum amittit*; non solùm mortua est anima coram Deo, quae in statu peccati mortalis est, sed insuper etiã opera illius bona, jejunia, preces, elemosynae &c. mortua sunt; nihil prorsus, quod christianus vel clericus in tali statu facit, coelum promereri potest, *opera eorum, opera inutilia*, Is. 59. 6. O miseriam nimis magnam, quae S. Augustinum amarè flere fecit, dum statum juventutis suae in peccatis transactae secum ipso consideravit: *deflexi abs te ego, & erravi, Deus meus, nimis devius à stabilitate tua, in adolescentia; & factus sum mihi regio egestatis*, l. 2. conf. c. 10. O Domine, cur non ego quoque ingemisco ità, ùt iste poenitens? ô ubi estis fontes lacrymarum! 2do. peccatum attulit corpori nostro mortem, peccatum primi hominis in causa est, cur omnes nos moriamur; cre-

atus fuit Adam, ut esset immortalis; verùm, quia inobediens fuit Deo; & ipsius inobedientia in nos omnes transiit, omnes pariter morti subjecti sumus, infirmitatib9, aliisque malis expositi, quibus hæc vita exposita est, quæ quasi totidem præcursores, & hæreditas nostræ mortalitatis sunt; *per peccatum mors, & ità in omnes homines pertransiit*, ait apostolus Rom. 5. 12. *in quo omnes peccaverunt*; & etiamnum peccata ac scelera, quæ in mundo quotidie committuntur, sunt, quæ bellorum, pestis, famis, aliorùmque malorum, quibus affligimur, causa sunt, & pro eo, quòd contra talia cōqueramur, agnoscamus nonnisi nosipsos horum malorum causam esse; *super iniquos creata sunt omnia hæc*, ait Sapiens Eccles. 40. 10. 3tio. causat peccatum mortem æternam, & nos dignos reddit pœnis inferni; *qui non obediunt evangelio, pœnas dabunt in interitu æternas*, 2. Thessal. 1. Faciant peccatores, quidquid velint, nunquam hæc duo ab invicem separari poterunt; peccatum & pœna peccati; si in vita seipsos punire negligunt, æternùm punientur in inferno; pugnare & militare voluerunt sub signis diaboli, ergo pro meritis suis remunerationem accipiant; satiabuntur fructu viarum suarum; ea, quæ ipsis in hoc mundo pro deliciis servierunt, tunc supplicia il-

lorum

lorum erunt; evadent illis in vermem immortalem, qui cor eorum rodent; & in ignem, qui devorabit eos, quin ab eo consumantur. O si reflexionem aliquam ad hoc faceremus, planè non foret adeò cõmune & ordinarium peccatum! inde ergo est, quòd bibamus, sicut aquam, iniquitatem, quia non agnoscimus effectus illius; quia concionatores rarò talia prædicant, vel nonnisi frigidè, imô plures ex iis nonnisi ore hoc prædicant, valdè autem pauci exemplo suo, & ità effaciter, ut populum moveant. Propone igitur, quòd efficacius deinceps talia proponere velis, ut ità corda peccatorum ad pœnitentiam permoveas, dicendo cum S. Augustino; *converte te ad puniendа peccata tua, quia impunita esse peccata non possunt; puniendum ergo erit aut à te, aut ab ipso; tu agnosce, ut ille ignoscat,* in Ps. 44. n. 18. Postquam agnovisti, mortem esse effectum peccati;

PUNCTUM II. Examina etiam, quomodo effectus gratiæ vita sit; *gratia autem Dei, vita æterna, in Christo JEsu Domino nostro.* 1mo. gratia Dei est, quæ vitam dat animæ nostræ, & meritum operibus nostris; gratia Salvatoris nostri annullat sententiam mortis contra filios Adam pronũtiatam; & unit nos JEsu Christo, dum nos facit in illo subsistere; hinc S. Paulus de-

clarat Rom. 8. 1. *nihil nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo JEsu*; illa est, utpote spiritus vitæ, prout apostolus adjungit, quæ nos à via peccatorum abducit, & facit ambulare per viam justitiæ, & si non omninò extinguit in nobis concupiscentiam, illam certè mortificat, & ab illius dominatione nos liberat; *lex enim, spiritus vitæ in Christo JEsu liberavit me à lege peccati & mortis*; vel prout S. Augustinus contra Faustum Manich. D. 2, legit; *gratia Dei liberavit me à lege peccati & mortis*; igitur cõservemus sollicitè hanc gratiam; quàm infelices essemus, si usque adeò ingrati essemus, ut per peccatum expelleremus à nobis hunc vivificantem spiritum, & regnare permitteremus in nobis concupiscentiam & mortem! 2do. gratia JEsu Christi est, quæ vitam corporibus nostris affert, dando nobis jus ad resurrectionem; *quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum; & sicut in Adam omnes moriuntur, ità & in Christo omnes vivificabuntur*, ait apostolus 1. Cor. 15. 21. Verum quidem est, gratiam JEsu Christi non omninò eximere nos à necessitate moriendi; sed reddit nobis mortem utilem, & meritoriam, ità quidem, ut dum mors de nobis triumphare videtur, ille nobis aditum aperiat ad bona ineffabilia, iisque plena

secu-

securitate gaudendi; itaque non amplius conqueramur de necessitate moriendi, quae nobis à peccato adhuc superest, siquidem gratia JEsu Christi tantam exinde utilitatē nos trahere facit; ubi forent corona martyrum, & gloria apostoloru m, si mori non potuissent? an non mors fuit, quae memoriam justi Abelis consecravit? quae probavit vitam Abrahami in sacrificio filii sui? quae vitam sanctam beatissimi praecursoris Christi JEsu coronavit? quae perennavit gloriam S. Stephani? & generaliter gloriā omnium sanctorum, quorum mors aliud non erat, nisi transitus ad felicem & beatam immortalitatem? 3tio. denique gratia nos perducit ad vitam aeternam; *gratia Dei vita aeterna;* non dico, quòd hanc mereri nō possimus, & quòd non sit remuneratio bonorum operum nostrorum, siquidem apostolus alibi dicit, se recepturum de manu justi judicis coronam justitiae, quae sibi & omnibus, qui diligunt adventum ejus, praeparata sit; sed quando vitam aeternam vocat gratiam, quam Deus nobis praestat, vult per hoc nos intelligere, per gratiam Dei fieri, nos tales esse, quales sumꝯ; quòdque bona opera nostra effectus sint divinae misericordiae; *intelligendum est igitur*, ait S. Augustinus Enchird, 107. & l. de corr. & grat. c. 13. & epist. 194. nov. edit. *etiam*

ipsa hominis merita esse Dei munera; quibus, cùm vita æterna redditur, quid, nisi gratia pro gratia redditur? Bone Deus! quàm sumus obligati gratiæ tuæ! eheu, quid essemus sine tuo auxilio, nisi tenebræ & infirmitas? *præter ipsum nos tenebræ & infirmitas*, idem in Ps. 26. Quas gratias tibi referre possum, nisi offerendo tibi JEsum Christum Filium, qui eam nobis promeruit? igitur hoc fine ad S. altare tuum accedam, ut huic meæ obligationi satisfaciam, & te rogem, ut velis intuitu meritorum infinitorum Filii tui ulterius mihi exhibere miserationes tuas, in quibus meam fiduciam pono, ab illo omnia exspecto, & ille mihi instar omnium est; *omnia habemus in Christo; omnis anima accedat ad eum &c. omnia Christus est nobis, si vulnus curare desideres, medicus est; si febribus æstuas, fons est; si gravaris iniquitate, justitia est; si auxilio indiges, virtus est; si mortē times, vita est; si cœlum desideras, via est; si tenebras fugis, lux est; si cibum quæris, alimentum est; gustate igitur, & videte, quoniam suavis est Dominus; beatus vir, qui sperat in eo*, S. Ambr. de virgin. l. 3.

FERIA QUINTA.

Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium; intrinsecùs autem sunt lupi rapaces; à fructibus eorum cognoscetis eos. Math. 7. 15.

De falsis prophetis.

1. Quàm timendi sint. 2. Media evitandi illos.

PUNCTUM I. STudeamus proficere ex monito Salvatoris nostri, quod nobis in hoc evangelio dat; diffidamus falsis prophetis, id est, prout explicat S. Hieronymus, hæreticis, & omnibus generatim falsis doctoribus, qui corrumpunt doctrinam moralem evangelii, sivè deinde per nimiam & peccaminosam lenitatem, sivè per nimium rigorem; *magistri & architecti erroris, quia veritatis discipuli non fuêre*, ait S. Leo Epist. 10. c. 1. en, qualiter illos nobis depingat S. Paulus in sua secunda epistola ad Corinthios cap. 11. 13, *ejusmodi pseudo-apostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi; & non mirum, ipse enim sathanas transfigurat se in angelum lucis; non est ergo magnum, si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiæ;* infelices sanè operarii, pergit S. Paulus ibid. *quorum finis erit secundùm opera ipsorum*, id est, tam funesta erit mors, ac vita ipsorum mala & perversa fuit. Omni tēpore & in omni sæculo fuêre similes ministri si etiā ipso tēpore Christi JEsu, & apostolorum ejus, tales fuerunt, ne dubita, quin etiam hodie adhuc dentur; tales sunt non solùm hæretici declarati, sed etiam tot sacerdotes, & pastores hypocrytæ, mercenarii,

rii, ambitiosi, calumniatores &c. qui, ut faciliùs venenum errorum, ac falsorũ principiorum suorum in populum diffundere, aut pios liberius denigrare, & calumniari queant, se sub specie pietatis occultant, & simulant. O quot dantur ejusmodi falsi prophetæ! quantorum malorum causa existũt! quàm jure nobis ab illis timemus, siquidem apti sunt per discursus suos omnia devastare, & homines per suum vivendi modũ in interitum trahere; *sermo eorum ùt cancer serpit*, ait S. Paulus 2. Timoth. 2. 17. lege etiam sequens illius caput: *hoc autem scito, quòd in novissimis diebus instabunt tempora periculosa &c*, invenies ibi, quàm periculosi sint hujusmodi doctores, qui non habentes, nisi speciem pietatis, destruunt illius vim & virtutem, qui corruptum cor habentes audent accomodare evangeliũ passionibus inordinatis hominum, qui permittunt peccatores in consuetudine peccatorum, ac scelerum suorum senescere; qui veneno laxorum & falsorum principiorum suorum fideles inficiunt, quæ tantò faciliùs admittuntur, & recipiuntur, quò magìs cupiditatibus blandiuntur, & qui, uno verbo, animas simplices, ac *corda innocentium per dulces sermones & benedictiones seducunt*, ùt apostolus Rom. 16. 18. dicit, en quid nos movere debeat æquè ac discipulum

lum S. Pauli ad timendum ejusmodi homines, eòsque vitandi omni modo; & *hos devita* in hunc finem

PUNCTUM II. Vide nunc media, quæ arripere debeas, ut securus sis ab iis? primum est illud, quod ipse Dei Filius nobis dat & assignat in evangelio; *à fructibus eorum cognoscetis eos*; hoc est, ex actionibus illorum; omninò difficile est, & fieri vix potest, ut pellis ovina, quâ se tegunt, eos ita occultet, ut non lupus quandoque emicet, & hypocrisis eorum ex aliqua parte non se prodat; verùm quia ipsi dextrè quãdoque sciunt, publicum privare cognitione excessuum suorum, & tegere secretas intentiones suas, & perversos sensus, hinc oportet regulæ huic JEsu Christi adjungere aliam adhuc, quàm S. Paulus nobis subministrat, qui docet, quomodo deprehendi possint, quales sint, independenter, seu nõobstantibus factis, ac particularibus actionibus illorum; ita Galat. 1. ait: *licet angelus de cœlo evangelizet vobis, præter quàm, quod evangelizavimus vobis, anathema sit; & nunc iterum dico, si quis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit*; si falsi hi apostoli etiam miracula facerent; si adeò mortificati & pœnitentes forent, ac ipse S. Joannes Baptista; si aliud prædicant, aut persuadere conantur, quàm doctrinam il-

lam,

lam, quam à JEſu Chriſto & SS, apoſtolis accepit eccleſia, anathema ſint; & quia SS. PP. depoſitarii ſunt hujus traditionis, & omnium fideliſſimi interpretes evangelii; hinc ſecundum ſignum diſcernendi falſos apoſtolos eſt, videre, utrum doctrina illorum conformis ſit doctrinæ horum ſanctorum doctorum; iſti non docuerunt nos doctrinas novas, neque inventiones, ſeu imaginationes proprias, ait S. Auguſtinus l. 2. contra Jul. *ſed quod invenerunt in eccleſia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a Patribus acceperunt, hæc filiis tradiderunt &c. talibus enim poſt apoſtolos ſancta eccleſia plantatoribus, rigatoribus, paſtoribus crevit*; adhære regulis hiſce; & nunquam te fallere poterunt hujuſmodi falſi doctores, rejice tanquam ſpuriam & falſam monetam, quidquid antiquæ traditioni non congruit; *ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui*, Prov. 22. 28. nunquam S. ſcripturam in alio ſenſu explica, niſi in illo, quem eccleſia tenuit, credidit, & docuit, & quem conſenſus SS.PP. ad nos uſque provexit, & nobis conſignavit, prout concilium Trident. Seſſ. 4. decret. de edit. ſanct. lit. loquitur. Roga Deũ acceſſurus ad S. altare pro hac gratia, vivendi nimirum in iſta humili ſubmiſſione uſque ad mortem, quin ab eo unquam rece-

cedas, conservando, ac custodiendo hoc pretiosum depositum fidei, ea solicitudine & curâ, quam S. Paulus à discipulo expetiit, dum ad illum 1. Timoth. 6. 20. ait: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ.*

FERIA SEXTA.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur, Math. 7. 19.

De bonis operibus.

1. Necessitas. 2. Fructus eorum.

PUNCTUM I. DOcet nos JEsus Christus in verbis istis evangelii, quòd haud sufficiat ad effugiendam justitiam Dei Patris sui, si quis præcisè nulla committat scelera, sed oportere insuper, ut opera bona faciamus, sine quibus in ignem quis mittendus foret tanquam inutilis arbor; *omnis arbor, quæ non facit &c.* en utilissimam occasionem & materiam pro meditatione! vide, ut benè tibi hanc veritatem persuadeas, bona opera nimirum nobis omninò necessaria esse, in quocunque demum statu simus; imo. ùt pœnitentibus; *quid est enim pœnitens sibi,* ait S. Augustinus Serm. 213. de V, E. qui sibi ipsi nil condonat, ut sic à Deo veniam

con-

consequi promereatur; homo est, qui adeò benè conversus est, ut de alio non cogitet, nisi quomodo peccata commissa expiet; *suus ipse punitor*, idem serm. 278. n. 12, cõversio non consistit simpliciter in contritione cordis, & confessione labiorum; etiam fructus, & fructus quidem digni pœnitentiæ accedere debent; *facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*, Luc. 3. 8. sine quibus impossibile est eradicare ex anima nostra malas consuetudines, & perversos habitus, ac locò illorum plantare virtutem; quia, quemadmodum medici non curant morbos corporales, nisi per media, quæ illis contraria sunt; *ita etiam Dominus noster*, ait S. Gregorius M. Hom. 32. in evang. *contraria opposuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præciperet humilitatem*. 2do. ùt justis; bona opera necessaria nobis sunt ad conservandum nos in statu gratiæ; Zacharias & Elizabeth, parentes S. Joannis Baptistæ, ambo justi erant non solùm coram oculis hominum, qui nõ nisi ea, quæ foris sunt, vident, sed etiam coram oculis Dei; qui intima cordis penetrat; *erant justi ambo apud Deum*, Luc. 1. 6. sed quid fecerunt hi ad conservandum semetipsos in justitia & sanctitate hac? *incedebant*, ait evangelium *in omnibus mandatis*.

tis, & justificationibus Domini sine querela; en, quid nos facere debeamus, si ex numero justorum sumus, ut per praxin & exercitium bonorum operum mereamur continuum Dei super nos auxilium & protectionem; id quod ecclesia petit, dum sic orat: *da quæsumus Domine populo tuo, ut bonis operibus inhærendô, tuâ semper mereatur protectione defendi,* Fer. 2. infra hebed. pass. 3tio. ùt prædestinatis; non sufficit ad hoc, ut quis salvus fiat, benè agere tantùm ad tempus, & aliquot tantum annis permanere in gratia Dei; oportet perseverare; jam verò perseverantia est specialis Dei favor & gratia, quam Deus ordinariè non concedit, nisi iis, qui sanctè vivunt, & bona opera usque ad finem exercent. Deus reddet unicuique secundum opera sua, iis, qui secundùm patientiam seu perseverantiam boni operis gloriam & incorruptionem quærunt, vitam *æternam*, ait S. Paul, Rom. 2. 6. igitur secundùm apostolum, nulla gloria, nullus honor nulla immortalitas, aut vita æterna speranda est ab iis, qui non perseverant in operibus pietatis, statui ac conditioni suæ convenientibus; en veritatem, quæ benè expensa omnes christianos, imò etiam omnes clericos, qui in otio vivunt, aut suis obligationibus fideliter satisfacere negligunt, meritò timorem incute-

re deberet; sciant igitur tales, ait quidam ex SS. PP. quòd apostolus hìc *per patientiam boni operis labores significet; oportet enim sustinere, rectè, ac fortiter virtutem exercere, & ità ejus coronas exspectare*, Theodoret. in h. l. esto igitur ferventior imposterum in exercitio bonorum operum; & in hunc effectum

PUNCTUM II. Considera fructum, lucrum, ac commodum, quod ex bonis operibus in te resultat; 1mo. certam ac securam reddunt opera bona vocationem nostram; Deus nos vocavit ad certum vitae statum, oportet ergo respondere huic nostrae vocationi; verùm quomodo fideliter respondebimus? hoc fiet per orationem, jejunium, elemosynam, & alia pia ac bona opera; en magnum illud medium, quod S. Petrus nobis suppeditat, per quod certam vocationem uostram reddere valeamus! *satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis; sic enim facientes non peccabitis aliquando*, 2. Petr, 1. 10. 2do. bona opera congregant thesaurū inexhauribilem meritorum; ne imagineris tibi, opera pro Deo facta esse perdita, ùt sunt illa; quae pro mundo fiunt; minima actio enim amore Dei facta, si vel calix aquae pauperi datus foret, reportabit remunerationem longè majorem, quàm sint omnia

omnia bona totius mundi; quæ ergo stultitia hæc est tantùm laborare pro mundo, & tàm parùm pro coelo! *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur; & ubi fures effodiunt, & furantur; thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, nec tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur,* Math. 6. 19. 3tio. bona opera perducunt nos ad vitam æternam; hinc est, quòd Salvator, dum prædestinatos suos in gloriam regni ipsis ab æterno præparati vocat, iis in memoriam revocet opera charitatis, quam super terram exercuerunt, quæque modò pro remuneratione receptura sit bonum infinitum & æternum; videmus item S. Paulum, qui adeò laboravit pro gloria Dei, jus suum ad gloriam æternam in alio non fundare, quàm in bonis operibus per gratiam Dei à se factis; ego per misericordiam Dei *bonum certamen certavi;* modò ad finem cursus mei perveni; *cursum consummavi;* inviolabiliter etiam depositum fidei custodivi; *fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* 2, Timoth. 4. quam cum omni fiducia mihi à Deo justo judice dandam exspecto, & omnes illi, qui diligunt adventum ejus. Sequimini ministri Domini, sequimini exēplum apostoli, & tunc eâdem loquelâ cum eo uti poteritis ad finem vitæ vestræ: *bo-*

num autem facientes, non deficiamus, Galat. 6. 9. nolite cessare bonum facere, *tempore enim suo metemus non deficientes;* nolite disputare cum infirmitate vestra, sed festinate uti tempore, antequam nox veniet, in qua succidetur arbor infructuosa; *ergo dum tempus habemus, operemur bonum,* sed tale bonum, quod æternitate dignum sit; accede taliter dispositus ad S. altare, id, quod à te petit, & exquirit hoc grande sacrificium, quod quotidie offerendi tibi potestas & felicitas data & concessa est; *ut sacerdotes, qui sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo, & victimas præparemus,* Cypr epist. 54.

DIE SABBATHI.

Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed, qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Math. 7. 21.

De obligationibus status, seu vocationis nostræ.

1. Quomodo iis satisfacere debeamus.
2. Quàm pauci sint, qui hoc faciunt.

PUNCTUM I. PErgit Salvator docere, & instruere nos, quòd minimè contentus sit externis, nec solâ apparentiâ virtutis; sed quòd fructum, &

& non folia desideret; audiamus monitum illius reverenter, & ex illo proficere studeamus; possumus ex verbis istis, quae citavimus, tres magnas veritates eruere, quae praesentis meditationis materia erunt; 1mo. quòd, ut salvi simus, oporteat satisfacere obligationibus statûs nostri; sine hoc aditus nobis ad coelum non patet, quamvis alia praestemus; id quod nobis insinuat Salvator, quando ait, non alios intraturos in regnum coelorum, nisi qui faciunt volūtatem Patris sui; nam quemadmodum haec voluntas illius in communi, seu generaliter nobis manifestatur per praecepta Dei, & ecclesiae, sic in particulari indicatur nobis per obligationes statûs nostri, ad quem ab eo vocati sumus, adeò ut voluntas Dei sit, ut quilibet id exequatur, ad quod ratio statûs sui eum obligat; religiosus debet facere id, quod religiosum, sacerdos, quod sacerdotem, pastor, quod pastorem decet, & sic de caeteris; *& unicuique, sicut Dominus dedit*, ait S. Paulus 1. Cor. 3. 5. nulla arbor alterius arboris fructus fert, sed fructꝰ suae speciei, sic & nos non alias obligationes, seu functiones in nos suscipere debemus, sed illas tantúm, quae sunt statûs nostri; *nunquid colligunt de spinis uvas? aut de tribulis ficus?* ait Salvator noster in evangelio. 2do. debemus huic obligationi nostrae in-

tegrè ſatisfacere; *miniſterium tuum imple*, ait apoſtolus 2. Timoth. 4. ad diſcipulum ſuum, ille, qui deficit in aliquo eſſentiali ſtatûs ſui, deficit in aliquo neceſſario ad ſuam ſalutem; & qui modica in eo negligit, periclitatur; ſi ergo ſacerdotes & paſtores eouſque ſeipſos negligant, ut laudari ſe à mundo permittant, quaſi obligationi ſuæ ſatisfacerent, hoc autem nonniſi dimidiatè faciant, nec ſtatui ſuo & obligationibus ex integro ſatisfaciant, ſi mille laudibus ab hominibus extollantur pro modico illo bono, quod fàciunt, Deus propter alterum dimidium, quod non faciunt, illos condemnabit; terribilis planè eſt veritas iſta, nam quis ex nobis ſibi adulari abſque temeritate poſſit, quòd quotidie ſingulis obligationibus miniſterii ſui ſatisfaciat? ah! iſtæ obligationes quaſi infinitæ ſunt, & neceſſitates eorum, quorum cura nobis incumbit, ſunt ſine numero, & conſequenter obligatio noſtra non minor; poſſumùſne cogitare de hoc ſine horrore! an non hæc res magnam meretur attentionem? *tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac evangeliſtæ, miniſterium tuum imple*, ibid. v. 5. 3tio. oportet hoc facere perfectè, hoc eſt, ex bono fine, & intentione placendi Deo; *non quaſi hominibus placentes, ſed Deo*, 1. Theſſal. 2. 4. facere bonum imperfectè, idem eſt, ac

nihil

nihil facere; imò quandoque idem, ac malè id facere, e. g. recitare breviarium cum diſtractionibus voluntariis; legere Miſſam abſque debita præparatione, concionari, adminiſtrare Sacramenta ex motivo vanitatis, proprii commodi, & lucri &c. *cùm autem cor directum non eſt*, ait S. Aguſtinus in Pſ. 77. n. 10. *opera recta non ſunt, etiamſi recta videantur*; bonum, ut verè bonum ſit, debet fieri, prout oportet, & veſtitum eſſe omnibus iis circumſtantiis, per quas meritorium & gratum Deo fieri poſſit; ad quod ſanè nos non reflectimus ſatìs; hinc etiam eſt, quòd adeò malè nos applicemus functionibus ſtatûs noſtri, ut hoc adhuc melius capias;

PUNCTUM II. Nota cum S. Bernardo, tria genera eſſe clericorum, qui in hóc deficiunt; *ſunt, fructũ qui non faciunt; ſunt, qui faciunt, ſed non ſuum; ſunt, qui faciunt ſuum, ſed non in tempore ſuo*; primi ſunt illi, qui in peccaminoſo vivunt otio, & nil minus faciunt, quàm quod ab eis ſtatus ipſorum exigit; ſi tales videas, putares te videre potius milites, mercatores, aulicos, quorum veſtibus induuntur, & opera tractant, potiùs quàm clericos ſacro altaris miniſterio conſecratos; implicant ſe negotiis aulicis; negotiantur ùt mercatores; aliud non ſomniant, quàm ut fundos ſuos uberiores

fructus ferre faciant; cincti canibus incedunt; equos numerosos habent, & armis utuntur militaribus; quantùm verò ad functiones ecclesiasticas, idipsum est, quod omnium minimè nôrunt, nisi præcisè, quòd nomen habeant, & ecclesiasticis redditib9 fruantur; *quid sibi vult*, exclamat S. Bernar. l. 3. de consid. c. 5. *quod clerici aliud esse, aliud videri volunt? nempe habitu milites, quæstu clericos, ac neutrum exhibent; nam neque pugnant ùt milites; neque ùt clerici evangelizant; ô miserandam sponsam talibus creditam paranymphis! qui assignata cultui ejus, proprio retinere quæstui non verentur!* secundi sunt illi, qui bonum voluntariè faciunt, modò nõ cogantur; qui devotiones privatas obligationibus suis publicis præferunt; qui sub prætextu studiorum, meditationis, peregrinationis ad loca sancta &c. desunt obligationi suæ, in peragendi sua parochia, visitandi ægrotos, audiendi confessiones, & similia ministerii, ac obligationis suæ; largientur elemosynas extraneis; suorum parochianorum obliviscuntur; magnam curã exhibebunt illis ecclesiis, quas frequentant, verùm illarum, quarum sunt decimatores, ex quibus pingues redditus trahunt, necessitatibus necquiquam providere satagunt. O quot sunt ecclesiastici, & beneficiati, qui quoad hoc punctum falluntur!

qui se multùm in virtute profecisse putant, & tamen valdè adhuc à Deo distant; qui eos suo tempore condemnabit; non quòd opera supererogatoria non fecerint, sed quòd propriam obligationem neglexerint; *oportuit enim hoc facere, & illa non omittere,* dicet illis JEsus quemadmodum pharisæis Luc. 11. 42. Tertii denique sunt, qui reipsa quidem laborant, & obligationi suæ satisfacere videntur, sed fit hoc ab eis modo valdè imperfecto; non faciunt talia suo tēpore; propriam suam perfectionem negligunt, dum alios sanctificare volunt; & benè adverti potest, eos nullo spiritu interno animari; similes sunt illi episcopo Sardis, quem Christus JEsus reprehendit; *scio opera tua; nomen habes, quòd vivas, & mortuus es,* Apoc. 3. 1. hujus rationem statim adjūgit; *non invenio opera tua plena coram Deo.* Ah, quàm timendum est, ne inter clericos, etiam illos, qui laborant, plures inveniantur, quos vivere putamus propter opera quædam externa pietatis, quæ in oculis hominum faciunt, & tamen coram Deo mortui sunt per peccatum, quod in cordibꝰ eorum dominatur, vel ob negligentiam alicujus obligationis suæ! teipsum inspice, an non unus ex ejusmodi falsis viventibus, & verè mortuis sis? quotidie breviarium recitas; Missam legis; concionaris; & fortè

etiam confiteris; *nomen habes, quòd vivas;* & nihilominus opera tua non ſunt plena, quia charitate deſtituuntur, à qua meritũ accipiant, ſed vacua ſunt, imperfecta, & defectuoſa coram Deo, *& mortuus es;* ſi quod abſit, in tali ſtatu eſſes, noli ad altare accedere, niſi exinde exeas; & fac hodie de novo forte ac firmum propoſitum, quòd obligationibus ſtatûs tui omninò integrè & fideliter ſatisfacere velis. O JEſu, qui es author vitæ! redde me vivum in oculis tuis; *vivifica me ſecundùm verbum tuum,* Pſ. 118. vis, ut vita clerici prorſus plena ſit, Deo & eccleſiæ ex toto conſecrata; fac, ut vita mea talis ſit, qualem eſſe vis, & ut me inceſſanter applicem obligationibus & functionibus miniſterii mei, ad quod me vocaſti, ità ut continuò mihi dictum putem, quod apoſtolus cuidam ſuo diſcipulo dictũ voluit; *dicite Archippo; vide miniſterium, quod accepiſti in Domino; ut impleas illud,* Coloſſ. 4. 17.

DOMINICA OCTAVA POST PENTECOSTEN.

Fratres, debitores ſumus, non carni, ut ſecundùm carnem vivamus. Rom. 8. 12.

De fine hominis.

1. Deus ſolus finis noſter eſt.
2. Propter ipſum ſolum vivere, & agere debemus.

PUN-

PUNCTUM I. Agnoscamus in verbis istis apostoli debitum aliquod; *debitores sumus*; non carni, ut secundùm desideria illius vivamus; sed JEsu Christo, qui à servitute illius nos liberavit, ut deinceps nonnisi Deo vivamus, qui, cùm sit nostrum primum principium, pariter etiam unicus finis noster esse debet; nosipsos perdimus, & multùm aberramus, si extra illum alium finem quæramus; nõ est, nisi Deus, qui nos beatos, & felices tum in altera vita reddere potest; extra illum nonnisi inquietudinem & miseriam invenire possumus; meditemur hodie tam grandem veritatem, & dicamus cum S. Augustino l. 1. conf. c. 1. *fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Ut hocipsum nobis persuadeamus, considerandum est hominem haudquaquam factum, seu creatum esse pro ullo temporali lucro, seu commodo, quod hìc in terra invenitur; 1mo. non est factus pro divitiis; hæ enim infra illum sunt, ait S. Ber. Serm. 4. in adv. Dom. *aurum & argentum nonne terra est rubra & alba, quam solus error hominum facit, aut magìs reputat pretiosum?* tantùm abest, à divitiis hominem reddi cõtentum & felicem, ut ad aliud potius aptæ non sint, nisi ut illum inquietum reddant; nam út idem S.P. Serm. 42. de divers. n.

3.

3. *cum labore acquiruntur; cum timore possidentur, cum dolore amittuntur.* 2do, non est factus pro honoribus hujus mundi; officia & dignitates, quæ tam anxiè & solicitè quæruntur, nil reale, & solidum in se continent; *vapor est ad modicum parens*, Jacobi 4. qui brevi dissipatur; fumus, qui transit; & totum, utut grande, & magnificum videatur, imaginarium tantùm est, & saltem in hora mortis disparet, ubi tam magni quàm parvi, divites æquè ac pauperes in sepulchris rediguntur in cineres; *dives, cùm interierit, non sumet omnia; neque descendet cum eo gloria ejus*, Ps. 48. 18. 3tio. neque etiam factus est pro voluptatibus sensuum; quia hæ nonnisi corpus respiciunt; communes nobis sunt cum animalibus, & consequenter indignæ sunt homine; de cætero non durant, nisi momento; dehinc causant mortalem amarorem & tristitiam; hinc vocat illas S. Augustinus in Ps. 85. *falsam felicitatem, & veram miseriam.* 4to. pariter etiam pro scientiis, & aliis ejusmodi intellectûs perfectionibus non est factus homo; quot dantur sapientes, qui miserè perierũt? nil aliud igitur esse potest finis hominis, nisi solus Deus; *væ animæ audaci*, ait S. Augustinus l. 6. conf. 16. *quæ speravit, si à te recessisset, aliquid melius se habituram; versa, & reversa in tergum, & latera, & in ventrem,*

&

& dura sunt omnia; & tu solus requies; deplora cœcitatem tot christianorum, qui tã parùm se reflectunt supra hanc grandem veritatem! vide, ut sæpius mentionem de ea facias in tuis instructionibus, & concionibus; &

PUNCTUM II. Nota, quòd, cùm Deus sit finis hominis, exinde sequatur, quòd omni studio & conatu debeamus 1mo. vivere & operari propter Deum solum; abstrahere cor nostrum à rebus hisce terrenis, ut ità ipsi soli integrè ac fideliter serviamus; *discite ergo terrena contemnere*, ait S. Augustinus Serm. 19. in Ps. 72. n. 5. *si vultis Deo fideli corde servire;* talis erat dispositio regii prophetæ, pergit S. Augustinus, quando ad Deum dicebat; *quid enim mihi est iu cœlo? & à te quid volui super terram*, Ps. 72. talis etiam debet esse nostra; aliud optare, & desiderare non debemus, nisi Deum; neque ulli inhærere, nisi Deo, illìque soli servire, certo de hoc persuasi, quòd ipse futurus sit remuneratio, & merces eorum, qui ei fideliter serviunt; *pretium fidei tuæ Deus est; ipsum habebitis, seipsum præparat præmium cultoribus suis.* 2do. referre ad illum omnes actiones nostras debemus; *ex præcepto tenemur*, ait S. Thomas 2. 2. q. 69. ar. 1. *omnia in gloriam Dei facere*; operarius laborare debet in commodum magistri sui,

vel

vel si ob aliud laboret, fállit, & decipit eũ, cujus servitio se mancipavit; grandis igitur infidelitas est, si, dum plus Dei, quàm nostri ipsius simus, pro ipso laborare negligamus; interim si computum facias omnium actionum tuarum totius diei, de mane usque ad vesperum, parum, seu modicum invenies, quod pro Deo sit factum, vel tali cum perfectione, quam à te requirit; an nõ furtum hoc est, quod rubore & confusione omnimoda nos replere deberet? quòd si non possis quoad præteritum facere restitutionem, vide saltem, ut imposterum tua in meliorem ordinem redigas; *omnia in gloriam Dei facite*, 1. Cor. 10. 31. 3tio. non aliter creaturis uti debemus, nisi, ut per illas perveniamus ad creatorem, id est, non debemꝰ illis adhærere, siquidem Deus propter illas nos non fecit; non es hìc in terra, ut divitias congreges; ut voluptatibus sensuum fruaris; ut gloriam acquiras, & te ab aliis hominibus distinguas; sed ideo tantũ, ut Dei gloriam procures pro tua propria perfectione, & aliorum etiam labores? éstne hoc, ad quod te applicas? eheu! si consideremus vitam majoris partis christianorum, imò & clericorum, an non dicendum videtur, eos ad alium finem hìc non vivere, nisi ut illis benè sit, & Deum offendant? O stultitiam! ô cœcitatem hominum! qui ulti-

timũ finem suum obliviscuntur, ut curre re valeant post vanitatem & mendacium *filii hominum usquequo gravi corde! ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium*, Ps. 4. 3. Si tam infelix fuisses, & hucusque ejusmodi illusioni succubuisses, desiste ab ea, antequam ad S. mensam accedas; & ut te ad hoc grande opus dignè præpares, roga Dominum pro hac magna gratia, ut nunquam immemor sis hujus grandis veritatis, quàm modò meditatus es; quam etiam olim tam benè docuit Augustinus, nimirùm felices nos esse minimè posse, nisi illi soli inhæreamus; *hoc tantùm scito, quia malè mihi est præter te, non solùm extra me, sed & in meipso; & omnis copia, quæ Deus meus non est, egestas est*, l. 13. conf. c. 8.

§§§§§§§§§§§§§§§§§§§;§§§§§§§§§§§§§§§§§§§

FERIA SECUNDA.

Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Rom. 8. 13.

De mortificatione corporali.

1. Qui se mortificant, amant corpus suum, prout amari debet.
2. Voluptuosi autem verè illius sunt inimici.

PUNCTUM I. ADoremus Spiritum S. essentialem originem omnis veritatis, dum nos per os S. Pauli docet, & indicat nobis obligationem

no-

nostram, mortificandi corpus nostrum, sicut boni christiani vivere velimus; *audiat ergo,* ait S. Augustinus l. de contin. c. 4. *qui tali suggestione tentatur, & si ei ullus christianus sensus est, contremiscat; audiat, inquam, si secundùm carnem vixeritis, moriemini;* vivere secundùm carnem, est sibi ipsi causare mortem sine fine; est trahere supra se ignem inferni; est mori, ut quis æternum ardeat; nullus fuit, qui non ad hæc verba contremisceret, & qui non supprimeret inordinatos carnis suæ motus, si prout oportet, ea audiret, & secum expenderet; verùm tumultus hujus mundi, qui undique auditur; & ingruit, & per ora hominum mundanorum clamat, hoc non esse vivere, si seipsum quis impugnare, seipsum abrenuntiare debeat; melius fore, opportunum esse, quàm vivere in continua mortificatione sensuum suorum; ista vox tumultuosa, inquam, quæ incessanter auribus nostris talia immurmurat, & naturali nostræ, quam erga carnem nostram habemus, inclinationi blanditur, impedit, ne hoc Dei per apostolum nobis datum monitum, prout oportet, audiatur, & accipiatur; docet nos Deus, vitam nostrā consistere in mortificatione desideriorum nostrorum inordinatorum; mortem autem in satisfactione passionum nostrarum; mundus contrarium dicit; væ nobis, si hunc audia-

diamus, ac voci Dei vocem illius præferamus; homines austeri & mortificati, qui voluptatibus corporis, & deliciis hujus vitæ abrenuntiant, pro inimicis corporum suorum habentur, & tamen reipsa sunt tales, qui vel maximè ea amant; an non enim amat verè corpus suum ille, prout amari debet, qui illud amat eo modo, quem nobis evangelium indicat, & præscribit, si ad Christum pertinere velimus? *qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*, Galat. 5. 24. an non amatur corpus, prout amari debet, si cura habeatur, ut ab iis infirmitatibus liberum sit quibus aliàs subjaceret, & ei subtrahatur, semen, seu causa mortis? *quando vitiis ejus resistitur, ipsa caro amatur*, ait S, Augustinus ibid. c. 8. *quia ipsa curatur;* hoc autem faciunt illi, qui in mortificatione vivunt; quidquid faciunt, & erga corpus suum exercent, remedium est, ab ipso Christo JEsu, peritissimo medico, præscriptum; quòdque ab omnibus verè sapientibus, & prudentibus semper fuit observatum; regimen hoc, quantumvis durum apparenter, longè tamen minùs difficile & austerum est, quàm illud, quod quotidie experiuntur ii, qui deperditam & destructam sanitatem suam per nescio quæ media reparare conantur; qui ergo ità vivunt, nequaquam hostes

sunt suiipsius, sed veri amatores corporum suorum, utpote quibus verissimum bonum procurant, & ab horrendis illis malis, & ægritudinibꝰ præservant, quibus vita mollis & sensualis subjecta est; credis hoc? ésne persuasus de hoc, mortificationem inseparabiliter annexam, & conjunctam esse professioni christianæ? & quòd nil magìs nobis in evangelio commendatū reperiamꝰ? si tibi adhuc aliquod dubium supersit;

PUNCTUM II. Scito, veros inimicos corporū nostrorum, qui ea non solùm injustè, sed etiam inhumaniter tractant, eos esse, qui iis adulantur, & inclinationibus illorum cedunt, quibus ad fruendum deliciis, & voluptatibus hujus mundi feruntur; quæ major crudelitas? quis agendi modus, inimici cujuslibet, magis venenatus, quàm corpus suum proprium incessanter veneno inficere, & præparare illi tormenta infinita, & æterna? interim hæc ipsa est occupatio continua voluptuosorum, transigunt vitam suam in continuis deliciis mundanis, & in fuga mortificationis; tota illorum cura & solicitudo est, vacare voluptatibꝰ, & non advertunt, carnem, quam ità idololatricè colunt, infelicissimam quamdam victimam esse, quam nutriunt, & pinguē reddere student, ut suo tempore pabulum fiat ignis infernalis; éstne hoc amare cor-

pus

pus suum? an non è contrario odisse est, & turpiter illud inimicis suis capitalibus prodere? vide nunc, an non ex numero horum voluptuosorum unus fueris, qui adhuc viventes mortui sunt, dum in deliciis, & voluptatibus vivunt, erubesce, & confundere, quòd fortè hucusque vitam vixeris ferè omninò animalem, & sensibus tuis totaliter immersam! pete veniam à Deo, antequam te illi in S. altari sistas; & pro futuro sæpius tecum rumina, & expende hæc verba apostoli 1. Cor. 15. 50. *caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt;* neque corruptio incorruptelam possidebit. O Domine, pœnitet me ex intimo cordis mei, quòd instar cujusdam epicuræi, & inimici crucis tuæ vixerim; aliud non cogitavi, nec aliã admisi affectionem, quàm erga corpus hoc peccati; desidero ex nunc punire illud, & mortificare memetipsum, ut dignum reddam bono illo, quod ei congruit; bonum hoc, seu felicitas ista non consistit in eo, ut satisfiat pasionibus illius; si hoc facerem, viverẽ secundúm carnem,& dignum morte æterna redderem corpus meum, in eo consistit autem, ut gloriosum & immortale reddatur; quod fiet, si in hoc mundo mortificetur; si spiritu facta carnis, & passiones illius mortificem; tunc felix & beatum reddam corpus meum; sed, ô Domine, hoc

nonnisi spiritûs tui est, volo dicere, gratiæ tuæ opus, ut ità mortificare valeam passiones cordis, & carnis meæ. O Domine, dona mihi hanc gratiam, id est, spiritum charitatis, ut nimirùm amor Dei, & JEsu Christi crucifixi, faciat me mori amori inordinato carnis, & voluptatum sensualiū. Pro Missa pete à Domino JEsu hunc spiritum mortificationis; seipsum pro nobis in cruce obtulit, ut hunc nobis promereretur; & in hunc ipsum finem etiam adhuc hodiedum se nobis dat per S. communionem, ait quidam SS.PP. *ipsa participatio corporis & sanguinis Domini, hoc utique nobis insinuat, ut carnem nostram crucifigamus cum vitiis, & concupiscentiis suis &c. ut omnes fideles membra sua mortificent, & induti Dominum nostrum JEsum Christum, carnis curam non faciant in desideriis*, S. Fulgent. in epist. 1. ad Cor.

FERIA TERTIA.

Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Rom. 8.

De mortificatione spiritus.

1. Debemus hunc mortificare.
2. Et nonnisi Spiritu Dei agere.

PUNCTUM I. NOn sufficit solummodo mortificare corpus nostrum, prout vidimus in præcedenti

ti meditatione; oportet insuper mortificare spiritum, qui post peccatum Adami non minus corruptus est, ac corpus nostrum, Epicuraei, prout S. Augustinus Epist. 118. refert, dicebant, *mihi frui mea carne bonum est*; Stoici ajebant; *mihi frui mea mente bonum est*; nos verò tanquam christiani, & filii Dei discamus ab apostolo, quòd spiritum nostrū mortificare, & Dei Spiritu agere debeamus; *quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*; ut autem ad praxin veniamꝰ, videamus principaliores excessus spiritus nostri, ut eos evitare discamus; 1mo. non debemus agi spiritu curiositatis; nec amore novitatis; aut omnia scire velle, quae fiunt, aut dicuntur; non debemus placere nobis in studio rerum novarum, & extraordinariarum, nec quaerere vana, nescio quae & inutilia, pro eo, quòd nos ad ea, quae obligationis nostrae sunt, applicemus; defectus hic nonnisi valdè communis est inter clericos, qui sic ea, quae professionis suae sunt, negligunt; evitemus igitur hunc defectum studiosè, & sequamur monitum S. Pauli 1. Tim. 6. 20. quod suo Timotheo dedit: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiae*: 2do. resistendum superbiae, & vanitati spiritus nostri, qui credere nos facit, quasi plura sciremꝰ, quàm

alii; quíque nos adigit, & impellit ad ea, quæ sunt supra vires nostras, ùtque scrutemur nimìs curiosè secreta Dei, & quæ in mysteriis fidei nostræ sunt incomprehensibilia; humiliemus igitur, & captivemus spiritum nostrum in obsequium fidei, & agnoscamus nos ignorantes esse etiam in iis rebus, quas scire, & intelligere nos putamus; *si quis autem existimat, se scire aliquid, nondum cognovit, quemadmodum oportet eum scire*, 1. Cor. 8. 2. 3tio. refrœnanda est levitas spiritus nostri, quæ nos continuò distractos facit; & millenis vagabundis cogitationibus replet; & mentem, nescio quibus evētibus, & conceptibus chymæricis occupat; facìtque, ab una cogitatione transilire ad aliam; sicque perdere nos facit omnē fructum, quem ex labore nostro trahere possemus; *nunquid levitate usus sum?* ait S. Paulus 2. Cor. 1. 17. reputans hunc defectum indignum ministro Christi JEsu; *aut, quæ cogito, secundùm carnem cogito; ut sit apud me, est, & non?* 4to. denique evitanda est obstinatio; non debemus imitari illos, qui concepta semel aliqua opinione, nunquā amplius ab ea desistere volunt; qui statim irascuntur, si quis eis se opponat; qui sua defendere resoluti sunt, quidquid denique exinde sequatur; qui sine fine disputare volunt, & se nescio quibus contentionibus

im-

implicant, quæ ad aliud non deserviunt, quàm ut charitatem lædant, & proximum scandalizent; *quæ quæstionem præstant magis, quàm ædificationem Dei, quæ est in fide,* 1. Timoth. 1. 4. Examina hìc excessus & defectus spiritus tui; & labora pro emendatione eorum: ex nunc mitte manum tuam ad hoc opus; optimum autem medium erit; si

PUNCTUM II. In omni occasione, & eventu agas ex Spiritu Dei, si illum in omni negotio consulas, quomodo tempore, talentis, & reliquis bonis tuis, uti debeas? *si enim sapientiam invocaveris &c.* ait scriptura Prov. 2. *tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei invenies*; consuluistíne hunc divinum Spiritum? fuítne hic, qui te ad hoc officium, ad hoc beneficium impulit? non omisisti consulere parentes, & amicos tuos; sed quàm solicitus fuisti, desuper consulere Patrem luminum, ad quem debuisses tuum habere recursum? interim nonnisi huic obediendo prudenter & sapienter exequi poteris, & implere, quæ à te requirit Deus; noli igitur contentus esse, quòd dicas, christianum te, Dei & ecclesiæ filium, sacerdotem, pastorem, ministrum JEsu Christi esse; non satìs est hoc; oportet etiam ex Spiritu JEsu Christi agere; *si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus,* ait S. Pau-

lus Galat. 5. 25. oportet te habere easdem inclinationes, & idem cum ipso sentire, ait idem; *hoc sentite in vobis, quod & in Chr sto JEsu,* Philip. 2. 5. Spiritus Christi erat spiritus mansuetudinis & humilitatis; *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde;* si ergo idem nos spiritus agat, debet nobis inspirare desiderium nos humiliandi in omni occasione; exercendi patientiã, mansuetudinem, & supportandi in omnibus proximum nostrum; Spiritus Christi erat spiritus adorationis, amoris, & fiduciæ in Deum Patrem suum; hic idem nos ad similia instigare debet; hinc dictum est in fine hujus epistolæ, *non accepimus spiritum servitutis, sed spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba, Pater;* denique Spiritus Christi est spiritus paupertatis, & abstractionis ab omnibus rebus terrenis; si eodem spiritu etiam nos agimur, spernemus pariter omnia commoda, & lucra, quæ in terra inveniuntur, & à mundo æstimantur, ac tanto studio quæruntur, uno | verbo, sequendo Spiritum Dei & JEsu Christi, evitabimus omnes defectus, & excessus spiritûs nostri; hac veritate persuasus renuntia ex toto corde proprio tuo spiritui; sic accede ad S. altare, & pete instanter Spiritum JEsuChristi, qui solus te securè deducere potest in via veritatis; *Spiritus tuus bonus deducet me in ter-*

terram rectam, Ps. 142. Roga divinum magistrum tuum, qui defectus tuos novit, quos committere soles, dum spiritum tuū proprium sequeris, ut te tam perfectè ab hoc spiritu tuo abstrahat, quò evadere valeas unus ex numero illorum, qui *beati pauperes spiritu suo, divites sunt Spiritu Dei*, S. August. in Ps. 103.

FERIA QUARTA

Homo quidam erat dives, qui habebat villicum; & hic diffamatus est apud ipsum, quasi dissipasset bona illius. Luc. 16. 1.

De bonis ecclesiasticis.

1. Clerici illorum nonnisi œconomi sunt.
2. Quomodo iis uti debeant?

PUNCTUM I. Adoremus D. N. J. C. qui sub figura hujus villici, de hoc accusati, quòd domini sui bona dissiparit, nos docet, quales nos simus, & quid frequenter à nobis fieri soleat; nos sumus œconomi Dei, qui nobis tradidit administrationem bonorum suorum; quæ tamen ordinariè nonnisi dissipamus; ad gloriam illius omne id, quod manibus nostris concredidit, usurpare debemus; talenta spiritualia, & corporalia; bona naturæ, & gratiæ; fitne hoc à nobis? omnium christianorum valdè interest, ut se desuper examinent; verúm clerici ad hoc specialiter

obligati sunt, siquidem iis qualitas, seu cō-ditio hæc œconomorum magìs convenit, quàm divitibus mundi hujus, ad quos Salvator verba hæc direxit: & quia ratio suo tempore ab ipsis reddenda de bonis ecclesiasticis longè severior erit, quàm hominum secularium. Ut te de hoc convincam, considera, quænam sit natura bonorum ecclesiasticorum? ad originem illorum usque ascendamus; memineris illarum oblationū, quas primi fideles ad pedes apostolorum afferebant, ut postea distribuerentur, prout cuilibet opus erat; si postea fundos quosdam ecclesia retinuit, quos primitus vendebat, hoc ideo fecit, ut æternum, seu perpetuum thesaurum haberet, ex quo necessitatibus pauperum succurrere posset; en! naturam bonorum ecclesiasticorum, & cōsequenter bonorum illorum, ac redituum, qui tibi ex beneficio tuo competunt! noli putare, te dominum illorum esse, ut iis secundùm beneplacitum tuum uti valeas; nonnisi œconomus, seu dispensator illorū es; *rebus ecclesiæ ità utantur, non ùt propriis, sed ùt sibi ad dispensandum commissis*, ait concilium tertium Turonense Can. 10. *res ecclesiæ, quibus episcopi, non ùt propriis, sed commendatis, uti debent, pretia sunt peccatorum, patrimonia pauperum*; ait secundum concilium Calcedonense Can. 6. verba concilii

Nan-

Nannatensis Can. 10. adhuc magìs urgent; *instruendi sunt presbyteri, quatenus noverint decimas, & oblationes, quas à fidelibus accipiunt, pauperum, & hospitum, & peregrinorum esse stipendia; & nonquasi suis, sed quasi commendatis uti, de quibus omnibus sciant, se rationē posituros in conspectu Dei, & nisi ea fideliter administraverint, damnandos;* facile videre est in & ex his authoritatibus, clericum, qui redditus suos in superfluos & in utiles usus exspendit, vel eos suis consanguineis reservat, si ipsi divites sint, & aliàs cōmodè vivant, comittere injustitiam, furtum, sacrilegium, inferni suppliciis dignum, ubi magìs torquendus sit, quàm dives ille epulo, qui vestiebatur purpurâ, & epulabatur quotidie splendidè; hoc enim nonnisi ex propriis suis bonis, & redditibus faciebat, & nihilominus æternis flammis addictus erat; quodnam ergo manebit supplicium clericum illum, qui pecunias Deo consecratas ad fines vanos & inutiles expendit? *si enim testimonio veritatis in ignem æternum mittitur, qui sua pauperibus non dedit,* ait Blessensis Epist. 112. ad episc. Aurel. *ubi quæso mittendus est, qui bona pauperum vel ecclesiæ rapuit, aut fraudavit?* non audent mēdici modò conqueri contra tales clericos, quia in terra non habent, ubi ipsis justitia administretur, ait S. Bernardus Epist. 42.

seu

ſeu tr. ad Henr. ſen. aroh. ſed clamor illorum uſque ad cœlos aſcendit; vox ſanguinis eſt; *ſtabunt in magna conſtantia adversùs eos, qui ſe anguſtiaverunt; ſtante quippe pro eis patre orphanorum, & judice viduarum;* vide, ut prævenias reprehenſionem adeò terribilem! & ſiquidem ſolummodò diſpenſatores bonorum eccleſiaſticorum;

PUNCTUM II. En uſum reddituum tuorum, qui tibi ùt bono œconomo, & fideli adminiſtratori convenit! oportet illos dividere in tres partes, prout SS. PP. nos docuerunt tum verbo, tum proprio ſuo exemplo; una cedit pauperibus, altera eccleſiæ, tertia tibi; 1mo. beneficiatus debet facere elemoſynam pauperibus loci illius, ex quo ſuos redditus trahit; debet erga illos exercere opera miſericordiæ, ſecundū indigentiam illorum, ſecundùm facultates ſuas, & prout intus ab ipſo Deo movetur; neque exſpectare uſque ad mortem, ut huic ſuæ ſatisfaciat obligationi, prout nimis frequenter contingit; non exſpectes, ut pro te mortuo fiant elemoſynæ, quas vivus feciſſe debueras; *elemoſyna viventis lumen eſt ante faciem incedentis; elemoſyna verò poſt obitum, quaſi lucerna poſt tergum,* Petrus Bleſſenſis in feſto omnium SS. ſerm. 46. 2do. curam gerere debet beneficii, & locorum ſanctorum curæ ſuæ commiſſorū;

face-

facere reparationes necessarias; ecclesiæ suæ, ex qua decimas accipit, providere de calicibus, ciborio, & omnibus iis sacris vasis, & ornamentis necessariis, quibus ecclesia indiget, ut res divina decenter & devotè peragi, & Deo congruenter serviri possit, vid. concil. primum Mediol. c. 62. observastisne hæc omnia benè ô beneficiati? 3tio. oportet pro sua sustentatione iis contentum vivere, quæ ad honestatem sufficiunt, id est, resecare sumptuosa mobilia, vestes pretiosas, domos splendidas, magnū illum numerum domesticorum, & mille alias res superfluas, quæ huic statui minimè conveniunt, & quæ ad aliud non serviunt, nisi ad satisfaciendum sensualitati & luxui: *quidquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altari retines, tuum non est; rapina est; sacrilegium est*, ità loquuntur sancti PP. (S. Bernard. epist. 2. ad Fulconem) verùm quàm à paucis audiuntur! ipse tuas proprias super hoc fac reflexiones, & siquidem res ista extremæ est consequentiæ, & plena periculi pro salute tua, noli accedere ad altare, nisi id reparaveris, in quo te hucusque deliquisse deprehenderis; *clamant pauperes ad pontifices, cur in superfluitates vestras consumitis, quæ nostris debentur necessitatibus?* idem epist. 42. O Domine, qui omnium bono rum totius mund

domi-

dominus es; qui clericis bona ecclesiæ nō das, nisi ut fideles illorum dispensatores sint; quìque iis minaris extremum rigorē, si iis non benè utantur; benedic, quæso, resolutioni meæ, quam cepi, quòd iis tali moderatione imposterum uti velim, ut facilè ex illa colligi possit, me illa minùs pro me, quàm pro aliis possidere; & quòd aliter ea non acceperim, quàm ut iis in bonos usus utar; *hoc est enim possidendo contemnere; non sibi, sed aliis possidere, non habendi cupiditatē, ecclesiæ facultates ambire, sed eas pietate subveniendi suscipere*, S. Propter, seu author lib. 2. de vita contempl, c. 9.

FERIA QUINTA

Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ, jam enim non potueris villicare. Luc. 16. 2.

De judicio particulari.

1. Quale sit futurum. 2. Quæ ratio ibi reddenda?

PUNCTUM I. FErè nunquam de hoc cogitamus, brevi nobis dicendum, quemadmodum huic misero villico; *redde rationem villicationis tuæ*: consideramus tanquam aliquid valdè elongatum à nobis, rationem illam, quam de vita nostra Deo reddituri sumus, etsi id valdè propè sit, & quotidie mori videamus tot homines, qui idemmet nobis repetunt,

quod

quod in Ecclesiastico c. 38. 23. scriptum est: *memor esto judicii mei, sic enim erit & tuum; mihi heri, tibi hodie*; cogitemus itaque hoc, cum planè res decisa sit, ùt ait S. Paulus Hebr. 9. 27. *& statutum hominibus semel mori; post hoc autem judicium.* Incipiamus meditationem nostram per actum fidei de hac veritate; & ut illam benè comprehendamus, oportet notare 1mo. præter judicium universale, quod ad finem sæculorũ homines subire debebunt, dari adhuc aliud particulare, quod quemlibet ad finem vitæ suæ exspectat; hoc judiciũ statim fiet post mortem nostram, id est, in illo ipso instanti, quo anima nostra à corpore separata fuerit, judicabitur, imprimétque illi Deus sigillum immortalitatis suæ, secundùm statum illum, in quo inventa fuerit; neque unquam amplius per totam æternitatem auferendum, per ullam potentiam, sivè in cœlo, sivè in inferno; *non est reversio finis nostri, quoniam consignata est, & nemo revertitur,* Sap. 2. 5. felix ille, qui in bono statu inventus fuerit ibi; væ autem illi, cui mors in statu peccati süpervenerit! periit nimirũ absque ullo remedio! 2do. in hoc judicio comparebit anima sola coram tribunali Jesu Christi, destituta omni humano auxilio, sine parentibus, sine amicis, absque fulcro ullo, aut protectione; nonnisi bona vel ma-
la

la opera erunt, quæ eam comitabuntur; nõ igitur innitendum tibi super auxilio hominum; ipsi enim tunc nihil poterunt; nec tibi servient, nec nocebunt; quia negotium tibi tunc erit cum justo judice, qui te judicabit juxta testimonium conscientiæ tuæ; nil aliud habes, quod timeas, *nisi propriam causam tuam* ait S. Augustinus in Ps. 17. *inter justum judicem, & conscientiam tuam noli timere, nisi causam tuam*. 3tio. judicium istud erit irrevocabile; sententia pronuntiabitur, postquam nulla valebit appellatio; nullus judex superior aderit, ad quem recurrere possis; nullum medium erit super, reparandi malas actiones nostras per contrarias, iisque oppositas virtutes; nullum emendũ amplius oleum ad accendendas lucernas extinctas; totum finitum erit per hanc unicam & terribilem sententiam, quæ æternam felicitatem vel infelicitatem nostram definiet; judicium universale, coram quo omnes comparere debebimus, aliud non erit, nisi solennis promulgatio sententiæ istius, quam in particulari hoc judicio pronuntiabit judex, ità quidem, ut quales judicati fuerimus post horam mortis, tales etiam judicandi, & pronuntiandi simus in fine totius mundi. O quàm terribilis est veritas ista! meditare illam benè! &

PUNCTUM II. Reflecte te supra ratio-

tionem, quam reddituri sumus, si coram divino tribunali comparebimus; totum ibi apertum, & manifestum erit; *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sivè bonum, sivè malum.* 2. Cor. 5. 10. Oportebit dare rationem de omni bono, & de omni malo, quod in vita fecimus; sed quam stupenda admiratio invadet clericos, exclamat S. Bernardus, si rationem reddere debebunt de omni eo, quod in corpore JEsu Christi, quod est ecclesia, gesserunt! *si reddenda est ratio de iis, quæ quisque gessit in corpore Christi, quod est ecclesia,* de convers. ad clericos. Quæretur nimirum à nobis 1mo. de peccatis, quæ commisimus sivè cogitatione, sivè verbo, sivè opere; item quibus occasionem vel causam dedimus per mores nostros perversos; *cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium.* Ecclesiastis 12. 14. Item quæ non impedivimus ex defectu correctionis, & ex negligentia, in nō vigilando supra subditos nostros, & non laborando pro salute animarum, quæ curæ nostræ commissæ fuerunt; *ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? quid dices, cùm visitaverit te? tu enim docuisti eos adversùm te, & erudisti in caput tuum; nunquid non dolores apprehendent te, quasi mulierem parturientem?* Jerem. 13. 20. 2do. de bonis te-

poralibus, quæ in hoc mundo possedimus. Ratio à nobis exigetur de usu sanitatis nostræ corporalis, talentorum, & qualitatũ spiritualium & corporalium, officiorum, beneficiorum, quæ habuimus, qualiter tempus nostrum, redditus nostros &c. consumpserimus? O quàm rigorosa hæc erit ratio præsertim pro iis, qui aliis præpositi fuêre; quibus Deus potestatem suam, & authoritatem propriam concessit; *judicium durissimum his, qui præsunt, fiet.* Sap.6.6. 3tio. denique rationem dare oportebit de bonis spiritualibus, de gratiis, quas JEsus Christus nobis promeruit; de instructionibus, quas vel ipsi audivimus, vel aliis dedimus; de sacramentis à nobis susceptis, vel aliis administratis, de orationibus, lectionibus, Missis, communionibus &c. O quot puncta præsertim clericis proponentur, ad quæ respondere cogentur, utpote specialibûs favoribùs, & gratiis à Deo præventi; *cùm enim augentur dona,* ait S. Gregorius, Hom. 9. in Evang. *rationes etiam crescunt donorum.* Quid autem inferre & concludere cum hoc S. Patre debemus? *tantò ergo humilior esse, atque ad serviendum Deo promptior quisque debet esse ex munere, quantò se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione.* Resolve te ad hoc; & exactitudini tuæ in satisfaciendo obligationibus tuis conjunge etiam ma-

gnam

gnam devotionem erga sanctissimum Altaris Sacramentum; accede hodie ad illud tanquam ad thronum judicis tui, ubi etiã nunc discrimen facit inter bonos & malos. *Mors est malis, vita bonis*: vide, ut eum pietate tua permoveas, ut tibi misericordiam exhibeat, & dum venturus est judicare te, hoc non faciat secundùm omnem rigorem justitiæ; *juste judex ultionis, donum fac remissionis, ante diem rationis; ingemisco tanquam reus: culpà rubet vultus meus, supplicanti parce Deus.*

FERIA SEXTA.

Ait autem villicus intra se: quia Dominus meus auffert à me villicationem, fodere non valeo; mendicare erubesco; scio, quid faciam, ut cùm amotus fuero, recipiant me in domos suas. Luc. 16. 3. & 4.

De malo usu donorum DEI.

1. Quomodo abutamur ejusmodi donis.
2. Qualiter abusus iste sit reparandus.

PUNCTUM I. TE ipsum ingredere cum œconomo isto evangelico, & prosequendo meditationem hesternam, examina teipsum, qualiter usus fueris bonis illis, quorum administrationem tibi Deus commisit. Imaginare itaque tibi, quasi jam advenisset hora illa, in qua ratio reddenda sit, & vide, quid responsi

dare poſſis? *quid faciam: cùm ſurrexerit ad judicandum Deus? & cùm quæſierit, quid reſpondebo illi?* Job. 31. 14. An non obſtupeſcis in conſideratione tot delictorum, quorum coram tribunali juſtitiœ divinæ reus es, & prodigioſæ diſſipationis donorũ ſuorũ, cujus tibi conſcius es? an non ſubitò menti tuæ occurrit debitum decẽ millium talentorum? numera, ſi potes, tot diverſa bona naturæ & gratiæ, quæ à communi omnium noſtrûm Domino tibi concredita fuêre; quia nullum ex omnibus iſtis eſt, quod non veniat in hunc computũ, corpus noſtrum, anima noſtra, divitiæ, ſanitas, vires corporales, lumina interna, omnia hæc illius bona ſunt; *ab ipſo, quidquid boni eſt, donatur,* ait S. Auguſt. Tract. 85. in Joan. revoca in memoriam tot gratias, tot ſanctas inſpirationes, bonos & ſalubres motus, inſtructiones, & alia ſigna protectionis divinæ. Quot ſunt, qui nec centeſimam partem eorum acceperunt? quò devenerunt hæc omnia? qualiter iis uſus fuiſti? eheu? non nimis quàm verum eſt; quòd diſſipaveris bona Domini tui, vivendo modô tam indignô, non dico chriſtianô tantùm, ſed etiam eccleſiaſticô! *vivendo luxuriosé.* Erubeſce, & confundere omninò, quòd tam malè hucuſque egeris; & vixeris; & rubore ſuffuſus, fatere corã

Deo,

Deo, quòd omninò malus hucusque fueris œconomus. Ubi forem nunc, Domine Deus meus, si mihi idipsum diceres; redde rationem villicationis, seu administrationis tuæ! ah! Domine, non haberem, quìd respondere possem, sed instantissimè supplicarem tibi, supremo judìci meo, ut mihi indulgeres; *non respondebo, sed meum judicem deprecabor*, Job. 9. 15. parce Domine, parce mihi ô unica spes mea, secundùm infinitam misericordiam tuam; *mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te*, Ps. 16. 7. Postquam ità deprecatus es Dominum Deum tuum propter abusum bonorum suorum, applica te nunc, & stude reparare defectus tuos ex hac parte commissos; & in hunc effectum

PUNCTUM II. Conjice oculos tuos in hunc evangelicum villicum, & proficere stude ex eo, quod in illius modo agendi, & procedendi bonum inveneris; nam sæpius filii hujus sæculi prudentiores sunt in suis negotiis temporalibus, ait Salvator noster, quàm filii lucis in gravissimo negotio salutis suæ æternæ, imo. deliberat secum ipso, quid sit agendum, ut ex hoc labyrintho, in qua se positum videbat, evadere possit; *ait villicus intra se, quid faciam?* etiam tu recogita intra temetipsum, in quo hucusque deliqueris, ut tua redigere dein-

ceps in ordinem possis; noli exspectare, quousque ultima hora sonuerit; securis actu ad radicem posita est; & paulò post audietur vox illius, qui omnibꝰ momentis vitae nostrae invigilat, quae dictura est, succidite arborem, & separetur homo à voluptatibus, deliciis, honoribus, officiis, & divitiis suis, quibus hucusque fruebatur. Antequam haec terribilis sententia feratur, & pronuntietur, intentus esto propriae conversioni tuae; dic intra temetipsum, quomodo poterit homo plenus peccatis, comparere coram Sancto sanctorum? *quid faciam?* agenda omninò poenitentia; verum 2do. quid dicit oeconomus noster? considerat infirmitatem, & debilitatem suam; *fodere non valeo, mendicare erubesco*, Repraesentat nimirùm quàm plurimos poenitentes, qui vere commoti & compuncti ob proprios suos commissos errores, tamen minimè sunt in statu, assumendi laboriosa illa exercitia paenitentiae; an igitur omni spe privandi sunt? absit; *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt eum*, 2. Paral. 30. plenus bonitate Dominus noster est; misericordiam iis exhibebit, qui eum ex toto corde quaerunt; *& non imputabit eis, quòd minus sanctificati sunt.* Non arguet eos ex eo, quòd non omni rigore contra seipsos usi fuerint, quem justitia il-

lius

lius ab eis exigere jure posset, modò non ex mollitie, & omninò crassâ negligentiâ hoc facere omiserint; nam quia secundùm omnes vires suas pœnitentiam agere non valuerunt, oportet, ut talem saltem agant secundùm infirmitatem suam, & conentur satisfacere divinæ justitiæ, tolerando humiliter & patienter cruces, afflictiones, & varia accidentia illa molesta, quibus vita hæc omninò exposita & repleta est. 3tio. Quæsivit villicus iste sibi amicos, qui eum reciperent in domos suas, si officio suo pellendus foret; & nos idipsum facere debemus, & conciliare nobis amicos, & protectores apud Deum, largiendo pauperibus elemosynam, ut, si minùs habentes inveniamur, nos in tabernacula æterna recipiant. Certò ac benè persuasi simus, quod, si illis faciamus benè, plus pro nobis, quàm pro illis laboraturi simus; fundum enim talem sic colimus, qui centuplum nobis afferet; redimamus igitur peccata nostra abundanti elemosyna; quia, quemadmodum aqua extinguit ignem, sic elemosyna ignem infernalem extinguet, quem peccata nostra accenderunt; *illi dant pretium redemptionis animæ suæ,* ait S. Augustinus in Ps. 48. Serm. 1. v. 9. *qui non cessant elemosynas facere,* Vide, ut media ista in praxim deducas, si dignè ad S. Altare accedere vis, ut si red-

denda fit tibi aliquando ratio donorũ, quæ accepifti ex S. Altari, cum fiducia comparere poffis coram judice tuo, qui fibi ipfi factum reputabit, quod pauperibus fecifti, & elargitus es; *fiducia magna erit coram fummo Deo elemofyna, omnibus facientibus eam.* Tob. 4. 12.

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻

DIE SABBATHI.

Et ego dico vobis: facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Luc. 16. 9.

Duæ conditiones elemosynæ.

1. Fieri debet cum humilitate. 2. Et gaudio.

PUNCTUM I. Quia aliás jam locuti fumus de obligatione noftra, quæ nobis incumbit, dandi elemofynam, ad quam nos adeo efficaciter hortatur Salvator nofter in evangelio, fufficit nobis explicare hìc principales conditiones elemofynæ. Prima eft, ut illi conjuncta fit humilitas, *cùm facis elemofynam, noli tubâ canere ante te*, ait Salvator nofter, Math, 6. *ficut hypocritæ faciunt, ut honorificentur ab hominibus; te autem faciente elemofynam nefciat finiftra tua, quid faciat dextera tua, ut fit elemofyna tua in abfcondito, & Pater tuus, qui videt in abfcondito, reddet tibi;* laudabit te propterea fuo tempore coram angelis, & hominibus. Non prohibet per ver-

verba hæc Salvator noster, fieri à nobis elemosynam in publico; imo sæpissimè ità expedit fieri ad ædificationem fratrum nostrorum, & ad excitandos alios fideles, ut similiter faciant, sed vetat quærere, & ambire æstimationem hominum, vel laudem illam appetere, quam illi nobis dare possunt; *laus enim humana non appeti à rectè facientе, sed subsequi debet rectè facientem*, ait in hunc locum Augustinus, l. 2. de serm. Dō. in monte. *ut illis proficiant, qui etiam imitari possunt, quod laudant, non hic putet aliquid nos sibi prodesse, quem laudant.* Si autem bonum exemplum dandum nos impellat ad elargiendam elemosynam; intentio nostra semper manere debet secreta; *sic autem sit opus in publico*, ait S. Gregorius, *quatenus intentio maneat in occulto, ut & de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen pro intentione, quâ Deo soli placere quærimus, semper optemus secretum.* Quantùm ad personas illas, quibus elemosyna danda est, requirit humilitas à nobis, ut nullam unquam spernamus, multò minùs, ut nos supra illas elevemus, imò potiùs superiores nobis reputemus, tanquam nobilissima membra JEsu Christi, & ut ita dicam, principes sanguinis, seu de regio sanguine, quorum miseria, ad quam redacti sunt, in memoriam nobis revocat nuditatem nostram

ſpiritualem; plagæ, & ægritudines illorū reflectere nos faciant ſuper ægritudines animæ noſtræ, id quod nobis vel maximè ruborem & confuſionem coram Deo cauſare deberet; & ità, quemadmodum manus noſtras ad ſolatium, & levamen pauperū aperimus, ſimul etiam os noſtrum, ſaltem illud internum cordis noſtri, aperiāus, ad confitendum coram Deo, juxta exemplū regii prophetæ, quòd ſimus pauperes, mēdicantes. Hac igitur perſuaſione ducti humiliemus noſmetipſos uſque ad centrum terræ, & aliter nos non conſideremus, niſi ut nihilum, pretioſis Dei donis dotatū, quod ne momento quidem ſubſiſtere poteſt, ſine novo ſubſidio gratiarum & influentiâ bonitatis ipſius; *ego verò egenus & pauper ſum; Deus adjuva me.* Pſ. 69. 6. En primam qualitatem, & conditionem, quam eleemoſyna noſtra habere debet! ut ſit acceptabilis & grata Deo, humilitatē ſociā habere debet.

PUNCTUM II. Oportet 2do. illam largiri cum gaudio, *qui miſeretur, in hilaritate*, Rom. 12. 8. ſanctifica dona tua gaudio illo, quocum offers illa, ait ſcriptura; non vult Deus, ſibi aliquid dari ex triſtitia, & coactè, ac violenter, non diligit, niſi quod cum gaudio ipſi exhibetur; hinc, dum S. Paulus hortatur ſuos Corinthios, 2. Ep. 9. 7. ut ſe liberales erga pauperes exhibeant,

ità ad eos ait: *unusquisque, prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus*, Solare igitur pauperes, non murmurando contra illos, sed ex bona voluntate; non remittendo illos, ad aliud tempus, sed quam primúm potes; noli dicere, quemadmodum plures solent, volumus gaudere, & frui bonis nostris; adveniente morte jam disponemus etiam in favorem pauperum de iis; non obliviscemur illorum in testamento nostro. Speciosa pietas & devotio non nisi illam exercere velle atramento & papyro! ergo non vis charitatem exhibere hominibus, exclamat S. Basilius, Hom. in divites, nisi postquam cessaveris esse inter homines! si non nisi cadaver tuum videro, tunc primùm amicum fratrum tuorum te esse agnoscam! si sepulchro conditus, & à vermibus rasus, & consumptus fueris, liberalis eris, & magnificus in pauperes! quod mortuum est, non affertur in sanctuario; offer hostiam viventem, qui non nisi reliquias victimæ offert, ingratus est. Si personam quamdam illustrem in domum tuam reciperes, an eidem residua mensæ, & prandii tui apponeres? tu tantummodo illud Deo das, quod tecum aufferre non potes. Muta hunc tuũ agendi modum; fac, ut per elemosynam omnia ista tua sint, & permaneant, eàque

tecum

tecum asportare valeas post mortem; stude proficere ex hac monitione hujus S. Doctoris; moveant te præsentes necessitates pauperum; nescis enim, an iis in futuris illorum necessitatibus succurrere possis; *ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Galat. 6. 10. En conclusionem, & fructum, quem ex ista meditatione trahere oportet. Faciamus elemosynam, dum Deus & tempus & media nobis suppeditat; nec exspectemus illud momentum terribile, quô coram eo comparere, & rationem administrationis reddere cogemur, si bona aliqua tibi sint, sivè ecclesiastica, sivè patrimonialia, stude exactè illis benè uti; occultemus argentum nostrum in sinu pauperum, & hæc elemosina orabit pro nobis; *non demus panē nostrum, sed & animam nostram,* ait S. Hieronymus, l. 19. in 50. Isai. *ut animum sivè esurientem, sivè afflictum non refocillemus ex parte, sed saturemus, & doleamus cum dolentibus, lugeamùsque cum lugentibus.* Fac O Domine, ut sequar consilium tam salubre; inclina cor meum in hanc partem, & ab avaritia illud averte. *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam.* Ps. 118. hoc à te Domine quotidie precamur, ùt sacri ministri tui! væ nobis, si non ex corde id dicamus, vel si timeamus in hac oratione nostra exaudiri. *Ne timeatur,* ait quidam, *in*

iis expensis defectio facultatum, quoniam ipsa benignitas magna substantia est; nec potest largitatis deesse materies, ubi Christus pascit, & pascitur. In omni hoc opere illa intervenit manus, quæ panem frangendo auget, erogando multiplicat, ait S. Leo. Serm. 10. de quadrag. Accede ad altare. Christum JEsum cum ista sancta fiducia sumpturus, certò persuasus, quòd, si seminas in agro pauperum, cum humilitate & gaudio, Deus huic sementi daturus sit benedictionem suam, ut bona sempiterna pro fructu suo afferat; *multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum justitiæ vestræ.* 2. Cor. 9. 10.

DOMINICA NONA POST PENTECOSTEN.

Fratres non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt. 1. Cor. 10. 6.

DE INORDINATIS CARNIS DESIDERIIS.

1. Debemus nos ideò humiliare.
2. Eáque impugnare.

PUNCTUM I. REfert & enarrat S. Paulus in præsenti epistola diversa illa peccata à Judæis commissa, postquam eos ex Ægypto eduxit Deus, initium facit ab inordinatis desideriis, quæ funesta omnium lapsuum ipsorū origo fuêre, & monet nos, ut ad eorum exemplum minimè nos accomodemus.

Val-

Valde neceſſaria nobis erat hæc admonitio, quia corrupta natura noſtra impetuoſā quamdam inclinationem ad malum habet, ſi illius inordinatos motus ſequamur, erimus in gaudium inimicis noſtris, qui nobis ipſis, noſtríſque membris utentur tanquā armis & inſtrumentis ad perdendum nos; hinc ait Sapiens: *poſt concupiſcentias tuas non eas & à voluntate tua avertere. Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Verum eſt, ejuſmodi inordinata deſideria ſæpè involuntaria eſſe, maximè apud bonos, verùm quia non facile eſt diſcernere, quando defectus ex parte noſtra ſit, jure merito humiliare nos debemus, dum nos adeò frequenter huic pugnæ expoſitos experimur, quam conſcientia in nobis excitat, ſchiſma hoc inter ſpiritum & carnem omnino deplorandum, & eò magìs triſte accidit, quòd nón niſi cū vita noſtra finem habiturum ſit. Gemunt propterea ſancti hìc in terra, & miſeriam ſuam deplorant, prout S. Auguſtinus notat, & timent, ne omnia ſua ſimul cum victoria perdant; *hæc eſt pugna ſanctorum, & in hoc bello ſemper homo periclitatur, quouſque moriatur*, S. Aug. ſerm. 154, & 155. de verb. apoſt. & ipſe S. Paulus, Rom. 7. qui adeò benè pugnavit, non timet dicere, quando de iis loquitur, quæ in ſeipſo experiebatur,
quòd

quòd lex sit spiritualis, ipse verò carnalis sit, & venumdatus peccato; *carnalis sum, venumdatus sub peccato; non enim, quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago*. Ah! si sancti, si ipse apostolus gentium adeò seipsum humiliavit, in consideratione hujus continuae & nō interruptae pugnae, quid nos facere oportet, qui nequè, virtutē neque fidelitatē eorū habem9, verū non satis est si experiendo pugnāistā, & sentiendo motus istos inordinatos carnis nostrae, nos humiliemus & ingemiscamus,

PUNCTUM II. Oportet insuper, ut strenuè impugnemus ejusmodi carnalia desideria. Sunt aliqui qui taliter cruciantur in ejusmodi tentationibus carnalibus, ut prorsus animum despondeant, dicántque, certò si Dei essem, haud permitteret, ut in me, & contra me, similia desideria consurgerent, & insurgerent. Sed cave, quiscunque sis, ità loqui, ait S. Augustinus ibid. *vide apostolum pugnantem, & noli te facere desperantem*, Verum est, longè gratius, cōmodiusque fore, si quis omnino carere posset ejusmodi pugnâ, id quod etiam apostolus optabat, nosque cum ipso optare debemus; nam quamvis pugnet quis, & resistat, melius tamen foret sine dubio, nullum habere inimicum, contra quem pugnes, quā in necessitate constitutum esse, illum vincere.

cere. *Resistis enim, & non consentiendo vincis, sed melius est hostem non habere, quàm vincere;* ibid. sed, quia hic perfectus triumphus de inimicis nostris pro altera vita reservatus est, & in hac vita, in hac infelici necessitate sumus, quòd continuò nobis contra illos pugnandum sit, siquidem contra nos incessanter insurgunt, sic & nos illis resistere debemus, si nos invadunt, nos ipsos defendere debemus; si vim suam, & vires suas contra nos adaugent, & duplicant, & nos vires majores adhibere debemus; tantùm hoc attendamus, ne nos vincant; *rebellant? rebella; pugnant? pugna; expugnant? expugna; hoc solum videte, ne vincant*, ibid. noli parcere precibus, jejuniis, vigiliis & austeritatibus; omnibus utere, ut vires hostium tuorum debilites, & enerves; *quid enim vultis*, ait S. Augustinus, Serm. 139. de V. Eu. Joa. 5. *O sancti, ô boni prœliatores, ô fortes milites Christi! quid vultis; ut non sint omninò concupiscentiæ malæ. Sed non potestis exercere bellum, sperare triumphum; modò interim pugnatur, facite; quod potestis.* Ecce, quid fecerint sancti, ad repellendas malas concupiscentias, vix sine commòtione interna legi potest, quod S. Hieronymus de se ipso scribit in epistola ad Eustochium, ubi postquam ei enarravit tentationes suas, & pœnitentiam, quam ageret, sic concludit, E-

pist.

pist. 22. ad Eustoch. *Itaque omni auxilio destitutus ad JEsu jacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam; & repugnantē carnem hebdomadarum inediâ subjugabam, si hoc autem sustinent illi, qui exeso corpore solis cogitationibus oppugnantur, quid patitur puella, quæ deliciis fruitur?* Reflecte te parumper supra teipsum. Quomodo gesisti te in hac pugna spirituali? quos conatus ostendisti in reprimendis ejusmodi carnalibus desideriis? ubi sunt jejunia tua? vigiliæ, preces, mortificationes? ah! quàm timendum est, ne te hostis iste domesticus jam pluries vicerit, esto deinceps fidelior in resistendo, certò persuasus, te tantumdem in perfectione progressurum, quantam tibi ipsi vim intuleris, *tantùm proficies; quantùm tibi ipsi vim intuleris.* Pro Missa roga Christū Dominum, ut per hoc divinum Sacramentū, quod brevi sumpturus es, extinguat in lumbis tuis humorem libidinis. *Tu autem ô christiane, roga, quantum potes; exclama, & dic: miser ego homo; quis me liberabit de corpore mortis hujus? spera cum Christo regnum Christi; jam pignus tenes sanguinem Christi; dic, dic: quis liberabit me de corpore mortis hujus? ut respondeatur tibi, gratia DEI per JEsum Christum,* S. August. serm. 54. de verb. Apost. Rom. 7.

FERIA SECUNDA.

Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt unà die viginti tria millia. 1. Cor. 10. 8.

De peccato luxuriæ.

1. Quàm ab illo abhorrere debeamus.
2. Quomodo à Deo puniatur.

PUNCTUM I. IDem cum apostolo hìc sentiamus, qui nobis horrorem de tali peccato incutere vult. Adducit nimirùm motiva, quæ nos ad illud odiendum, & detestandum movere debeant. 1mo. qui tale quid committit, proprium corpus suum inhonorat; *qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*, hoc est, imprimit illi talem maculam, quantâ à nullo peccato fœdari potest. Furtum, latrociniū, violentia, ebrietas, & major ac potior pars scelerum per membra corporis perpetrantur, prout hoc ipsum peccatum impudicitiæ; verùm, quamcunque enormia sint omnia hæc crimina, nullum adeò fœdat, & conspurcat corpus, ac istud. Qui huic vitio subjectus est, sine intermissione contra proprium corpus suum peccat; offendit illud, violentiam illi infert; inhonorat, & taliter illud destruit, ut si attendere, & cōsiderare velit ad ægritudines illas, & turpia quæ exinde sequuntur, facilè sibi hoc persuadere possit; *qui se jungit fornicariis, erit*

ne-

nequam, putredo, & vermes hæreditabunt eum, Eclef. 19. 3. 2do. proſtituit membra JEſu Chriſti; quia membra noſtra facta ſunt per baptiſmum, & alia ſacramenta quæ recepimus, membra Chriſti; *neſcitis, quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis?* 1. Cor. 15. idem eſt, ac aufferre Chriſto membra ſua propria, vult dicere apoſtolus, ſi iis quis ad impura utatur, anne illi hanc injuriam facere vis? *abſit; ſi ergo unuſquiſque,* ait S. Auguſtinus, ſerm. 18. de V. A. *cupiens fornicari, vileſcat ſibi, & in ſeipſo contemnat ſeipſum, ſaltem non in ſe contemnat Chriſtum.* O te infelicē! an neſcis, te eſſe mēbrum Salvatoris? quid ergo cogitas facere? in qualem abyſſum teipſum præcipitare vis? *Ah! parce in te Chriſto, agnoſce in te Chriſtum,* ibid. conſidera, ait hìc S. Pater quanta erga te fuerit bonitas Domini; ex conditione ſervi ſublimavit te ad ſtatum fraternitatis ſuæ; neque hoc ſatis eſſe credidit; fecit te proprium ſuum membrum; poſſetne te ampliùs honorare? quomodo ergo audes ipſum contemnere, & ità quidem, ut ei propria ſua membra tollere audeas, quæ ex tot titulis ſua ſunt, ut evadāt membra meretricis? poſſetne major injuria excogitari? 3tio. qui labitur in crimen impudicitiæ, profanat templum Spiritûs S.

corpora nostra illi consecrata sunt; templa sunt, in quibus residet, in quibus per specialem favorem & gratiam habitat, prout S. Paulus 1. Cor. 6. 19. ait: *nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs S, qui in vobis est, & non estis vestri?* ergo sacrilega profanatio est, dum corpus suum quis conspurcat per peccatum impuritatis; hinc ait S. Thomas in h. l. fornicationem esse peccatum aliquod pagani; in christiano autem horribile sacrilegium: *horrendum sacrilegium.* Minister Domini! expende tecũ isthæc motiva, quæ apostolus hìc adducit, ut tibi horrorem, & detestationem vitii hujus persuadeat; explica illa populo tuo; sed memineris, si vitium hoc adeò enorme est in christiano, illud longè majus & turpius esse in ministro JEsu Christi, qui huic divino capiti unitus est, modò longè intimiori, quàm reliquum vulgus Christianorum. Quidquid in hoc ordine facis, idem est, ac si Christus ipse faceret: si prædicas; ipse est, qui prædicat; si baptizas; ipse est, qui baptizat; si sacra mysteria celebras, ipse est, qui functionem summi pontificis obit. Ah, anne possibile sit, te à tam alto & sublimi gradu decidere, & Christum adeò inhonorare, & caracterem tuum adeò fœdare velle? *erubescamus, horreamus, quod tanto honore dignati, ut illius supra sedentis fiamus membra,* ait S. Chry-

Chrysostomus, in 1. Cor. 6. *tot malis nos probro ac dedecore afficiamus.* Verùm, quia poenæ, ac castigationes hujus sceleris magìs nos movent, quàm fortissimæ ac convincentes rationes.

PUNCTUM II. Considera, peccatum hoc omninò severissimè puniri, 1mo. temporaliter; quæ enim causa fuit universalis diluvii? an non hoc ipsum infame vitium, cui homines illi toti immersi erant? *omnis quippe caro corruperat viam suam,* Gen. 6. 12. quid attraxit de coelo supra Sodomam & Gomorrham imbrem illum igneum, & sulphureum, à quo in cinerem redacti fuêre? an non passio ista detestanda, cujus mãcipia fuêre gentes illæ? Gen. 19. quid est, quod Moysen mansuetissimum ex omnibꝰ hominibus eò permovit, ut viginti tria millia Israëlitarum gladio interfici jusserit in una die, prout apostolus ait in hoc ipso loco, ex quo materiam præsentis meditationis desumpsimus? an non peccatum fornicationis Israëlitarum, cum filialibus Moab? quid tanta mala in domum Davidis invexit? nisi adulterium, in quod infeliciter lapsus fuit? *quàm ob rem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum,* ajebat ad illum Nathan Propheta, 2. Reg. 12. 10. 2do. Si à temporali castigatione ad spiritualem transeamus, quæ longè magìs timenda est,

inveniemus, nullum esse peccatum, quòd magìs captivam faciat animam, & dæmonis imperio subjiciat, quàm hoc ipsum. Adeò eam excæcat, & indurat, ut tandem ad impœnitentiam talem peccatorem trahat? ita est, paucos videmus, qui se seriò convertant. Et si hoc rarum est apud fideles quoscunque, adhuc rarius & difficilius est in clericis. Inveniuntur aliqui, ait S. Gregorius, l. 6. in 1. Reg. 15. 12. prope finē, qui turpitudinem suam secretò in confessionali confitentur, sed *sic volunt peccata contra se proferre, ut velint adhuc de officio sacri Ordinis honorari. Turpes in secreto se proferunt, sed foris, præter Ordinis celsitudines, videri humiles erubescunt*; volunt quippe im̄unda agere, sed audent sacris altaribus inhærere, sed hoc profectò dicere possumus, lubricis tamen ministris persuadere non possumus. Experientia æquè ac authoritas clarè probant, hunc esse caracterem, & genium omnium impudicorum clericorum. Deploranda sæpius sunt scandala, quæ inde in ecclesia nascuntur, & quanta exinde animarum jactura fit; sed raro occasionem habemus, gaudendi de illorum conversione. Ora pro iis, in præparatione tua ad Missam; & pete à Deo gratiam, omnia etiam minima evitandi, quæ vel apparentiam tã-tùm aliquam habent, quòd sanctitati professi-

fessionis tuæ contraria sint, eáque evitandi, quæ ad id causam præbere possent; *quid o-leum flammæ adjicimus? quid ardenti corpu-sculo fomenta ignium ministramus?* O Domi-ne! qui vis, ut ministri tui ad servitium al-taris deputati vel virgines sint, vel in per-fecta continentia vivant, ne permittas ob-secro, nos qui ex eorum numero sumus, tam infelices esse, ut corpus nostrum, quod membrum JEsu Christi Filii tui, & templũ Spiritûs S. est, impuritati, & fœdæ libidini exponamus. Purifica o Domine igne divi-ni amoris tui, quidquid impurum in nobis perspexeris, ut tibi in omni castitate ser-vire, & omnimodè placere valeamus, *ure igne sancti Spiritus renes nostros & cor no-strum Domine, ut tibi casto corpore servia-mus, & mundo corde placeamus.* Orat. præp. ad Missam.

FERIA TERTIA.

Itaque qui se existimat stare, videat, ne cadat. 1. Cor. 10. 12.

MOTIVA TIMORIS.

1. Lapsus aliorum. 2. Propria debilitas.

PUNCTUM I. POstquam S. Paulus de funesto lapsu o-mnium Israëlitarum in genere locutus fu-it, qui omnes periére in deserto, in pœnam peccatorum suorum, excepto Josue & Ca-

leb, exclamat; *itaque, qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat*. Id, quod clerici valdè efficaciter prædicare, ac proponere debent populo ſuo ad exemplum apoſtoli; ſibi ipſi tamen longè efficaciûs hoc ipſum perſuadere; nam omnes jure ſibi timere debēt conſiderando non ſolùm Iſraëlitas, ſed etiam Moyſen, & Aaronem lapſos fuiſſe; verum eſt, lapſum iſtorū non fuiſſe tam gravem, nec tam funeſtum, ac illum populi Iſraëlitici; verus tamen erat caſus, ac ſatis ſufficiens ad irritandum contra ſe Deum, à quo etiam in deſerto morte puniti fuêre. Si adhuc alia exempla, quæ eos æquè cōcernant, ac iſtud, velint, conſiderent Davidem, hominem hunc ſecundùm cor Dei; paſtor, rex, & propheta ſimul erat, & tamē cecidit, Salomon quoque, qui eaſdem prærogativas habebat, & ſapientiſſimus omnium hominum fuerat, tam funeſtum caſum paſſus eſt, ut ad ſummum hoc de ipſo adhuc ſperari poſſit, ſalutem ipſius ſaltem eſſe incertam. Judas ab ipſo Chriſto ad apoſtolatum vocatus, evaſit tandem filius perditionis. S.Petrus, primus apoſtolorum, divinum magiſtrum ſuum abnegavit; reliquis apoſtolis, nullo excepto, debita defuit fiducia, & fideiitas. Quis non putaſſet, hos grandes viros omninò immobiles, & firmos in legis divinæ obſervatione per-

man-

mansuros? quis putâsset eos lapsuros fuisse? igitur juxta monitum S. Pauli omnes contremiscamus; multos enim, ait S. Augustinus, de dono persev. c. 8. *à perniciosa elatione reprimit, quod ait apostolus: qua propter qui videtur stare, videat, ne cadat.* Hâc ipsâ igitur apostoli sententiâ, & exemplo tantorum virorum ad nostram propriã humiliationem & nos utamur. David cecidit, quia pro eo, ut se ducem populo suo ad debellandos Dei inimicos exhiberet, domi in otio permansit; Salomon periit, quia talibꝰ cum mulieribus conversatus erat, quales illi à lege Domini prohibebantur; Judas damnatus fuit ob avaritiam suam; præsumptio lapsûs Petri causa fuit; desiderium terrenæ ac temporalis excellentiæ, quod in & per passionem Domini evanuit, reliquos apostolos magistro suo infideles effecit; Si clerici similes lapsus evitare velint, vitent pariter otium, commercium, & societatem mulierum, avaritiam, præsumptionem, desiderium bonorum, & honorum hujus sæculi. Si hanc salutarem admonitionem non audiant; si non proficiant, ex funesto hoc exemplo tot illustrium personarum, & tot aliorum, quos abundè nobis & scriptura, & historia ecclesiastica suppeditat, qui lapsi fuêre, quia hoc consilium minimè secuti sunt, & ipsi etiam cadent, prout isti lapsi fuêre. Nam

PUNCTUM II. Debilitas noſtra longè adhuc major eſt, & cauſam nobis dat, magìs tibi, & nobis ipſis diffidendi. *Cave caſum*, ait S. Joannes Chryſoſtomus in hũc locum, tam debiles ſumus, ut vel unus aſpectus nos occidat; unicum verbulum nos dejiciat; vel minima etiam negatio ad amaritudinẽ nos & rancorem provocet, Quis eſt ergo, qui adhuc ſtat? exclamat hic S. P. ad quem verba iſta apoſtoli dirigere poſſumus? *qui ſtat, videat, ne cadat?* non poſſumꝰ talem invenire, ſiquidem ferè omnes lapſi ſunt; potiùs rationem habemus exclamãdi cum propheta, Pſ. 40. 9. nunquid, qui lapſus eſt, non reſurget? omnes enim lapſi ſunt, & vix eſt, qui reſurgere velit; *quam ob rem nobis eſt adhortatio, non ut cadamus, ſed ut jacentes poſſimus reſurgere. Igitur alter alteri manum viciſſim præbeamus, & exſurgamus; nam ego quoque ex iis ſum, qui ſunt iſti, & qui egent eo, qui ſit medicamentum impoſiturus*; concludit S. Chryſoſtomus ibid. Si S. Joannes Chryſoſtomus putavit, ſibi ita dicendum, & loquendum in tali ſæculo, in quo tot rara & gravia exempla, quæ ipſe, & tot alii ſancti epiſcopi & infinita planè multitudo ſolitariorum dederunt, in cordibus fidelium, primam adhuc pietatem tẽporum apoſtolicorum conſervabant, quid nobis dicendum? quid faciendum nobis hodie-

diedum, ubi tam modicum pietatis invenire est? ubi tam pauci sunt pastores & sacerdotes, qui tam sancto viro, ut S. Chrysostomus & plures illi similes fuêre, mereantur comparari? timeamus itaque, siquidem tantam causam timendi habemus! deploramus lapsum tot tantorúmque christianorum; & exhortemur etiam alios christianos, ut pariter etiam deplorent lapsus tot clericurum. Et pastores, & populi igitur ingemiscant, plorent, & se humilient. Lacrymæ & gemitus illorum lavabunt, & sanabunt plagas illas, quas ex lapsu suo cõtraxerunt; humilitas ipsis serviet pro præservativo contra lapsus futuros; vel si iterum cadant, ut lapsus non fiat tam periculosus, vel ut citiùs exinde iterum resurgere valeant, quia humilibus gratia Dei non denegatur, 1. Petr. 4. 5. timor iste usque ad S. Altare nos comitetur, ubi sumpturi sumus mysterium sanè ex omnibus terribilissimum. Quò plus favoris & gratiæ nobis ibi præstat Deus, eò magis nobis ipsis timere debemus, ne illis abutamur. *Nam si in donis est exuberatio*, ait S. Chrysostomus, ibid. *este videns, quod etiam in supplicio.*

FERIA QUARTA

Tentatio vos non apprehendat, nisi humana; fidelis autem Deus, qui non patietur vos tenta-

tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum. 1. Cor. 10. 13.

DE TENTATIONIBUS.

1. Commoda, quæ ex iis nascuntur.
2. Media, ne iis succumbamus.

PUNCTUM I. VErba ista S, Pauli magnæ nobis sunt consolationis. Nemo conqueratur amplius de tentationibus, quibus expositi sumus; verum est, militiam esse vitam nostram, *militia est vita hominis super terram*, Job. 7. 1. sed Deus *certantem spectat, deficientem sublevat, vincentem coronat*, ait S. Augustinus, in Ps. 32. & apostolus certos nos reddit, Deum non permissurum, ut supra vires nostras simus tentādi, sed potiùs cum ipsa tētatione facturum nostrum profectum & cōmodum; *faciet etiam cum tentatione proventum.* Gratias Deo agamus, quòd dignatus sit certos nos reddere per os sancti apostoli de sua protectione, & videamus modo utilitates, & lucra, quæ ex tentationibus proveniunt, imo virtus per illas perficitur, quæ sic novum incrementum capit, juxta id quòd S. Paulo 2. Cor. 12. dictum fuit; *virtus in infirmitate perficitur.* Virtus, quæ probata non est, ordinariè non nisi leviter tincta & superficialis est; probatio eam fortem reddit, & internam, facitque, ut profundè radices agat in anima; *qui non est tētatus,*

tatus, quid scit? Eccl. 34. 9. christianus, qui tentatus non est, est quemadmodum juvenis miles, qui nil adhuc expertus est, quē minimus rumor, & minimum periculum terrent; è contrario, qui tentatus sæpe fuit, similis est veterano militi qui igni assuetus est, milleque pericula subiit, ex quibus semper magis generosus, & intrepidus evasit. Miramur fidem Abrahami, castitatē Josephi, mansuetudinem Moysis, patientiā Jobi; quid est autem, quod virtutem horum tantorum virorum adeò conspicuam reddit? tentationes, quibus Deo permittente expositi fuêre. *Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se.* Sap. 3. 5. Tentatio itaque pugna est, & bellū sanctorū, ubi virtus illorū probationi exponitur, 2do. tentatio nos humiliat, facítque nos agnoscere infirmitatē nostram, & extremam indigentiam, quam habemus, ut gratia Dei nos sustentet. Vult Deus, ut in humilitate vivamus, hinc nos tentari permittit, quemadmodum id de se ipso testatur S. Paulus 2. Cor. 12. 7. *ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ; angelus sathanæ, qui me colaphizet.* Hocque verum est non solū de tentationibus internis, sed etiam de iis, quæ ab extra nos adoriuntur, uti sunt magnæ afflictiones, persecutiones, calumniæ, seditiones populi. Deus permittit, talia

servis

ſervis ſuis evenire, ut de ſeipſis diffidant, & auxilio, & gratiæ ſuæ unicè innitantur. Id ipſum etiam S. Paulus iterum nos docet, dum furioſam illam tempeſtatem enarrat, quæ in Illum Epheſi commota fuit; *non e-nim volumus, ait, ignorare vos fratres de tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia; quoniam ſupra modum gravati ſumus, ſupra virtutem, ita, ut tæderet nos etiam vivere; ſed ipſi in nobis reſponſum mortis habuimus, ut non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos.* 3tio. tentatio abſtrahit nos à vita iſta, ubi omnia plena ſunt ſcopulis, laqueis, & periculis; ubi in momenta ſingula periculū perdendi vitam gratiæ, & cadendi in manus crudeliſſimorum inimicorum, ùt optatiſſima ipſis præda expoſiti ſumus. *Homo tentatus, ab ore cordis cibum reſpuit delectationis*, ait S. Gregorius M. l. 23. mor. c. 17. *nihìlque ei aliud, quàm ſemetipſum cognoſcere, & flere delectat.* En! quàm utilis nobis ſit tentatio! verùm quia non niſi iis in bonum proficiunt, qui prout oportet pugnant, & eis reſiſtunt;

PUNCTUM II. Inquiramus jam media, quæ arripienda ſint, ne quis tentationibus ſuccumbat, 1mum eſt ſtatim ac prōptè tentationi reſiſtere; *reſiſtite autem diabolo; & fugiet à vobis*, ait S. Jacobus cap. 4. 7. non eſt medium ſecurius vincendi tē-

tatio-

tationem, quàm istud. Scintilla quædã periculosa est tentatio; quàm si negligas, magnum ignem accendet, quem difficulter deinde extinguere valeas: parvulus serpens est, qui recens natus est, potes facilè illius caput elidere; si vere tardes longiori tempore, draco fiet, qui te devorabit. Potes facilè rejicere cogitationem hanc odii, gulæ, impuritatis; si verò pedem illis figere permittas in corde tuo, magnos ibi excessus causabunt, & grandẽ difficultatem experieris, ut illis superior evadas; itaque statim rejice tentationem; noli manere in hoc funesto æquilibrio; *faciam hoc? non faciam?* sed dic resolutè: peccatum est, nolo amplius nequidem cogitare de hoc. 2dum. oportet pugnare constanter? Permittit Deus tẽtationes continuas, ut nos exerceat, & solicitius nos ambulare faciat per vivam virtutis; si bonus miles es; & si generosè militas pro gloria tanti principis, remunerationem se dignam tibi dabit. Fuêre ex sanctis quidam, qui tentationes decem vel viginti annorum passi sunt, vel odii, vel superbiæ, avaritiæ vel imdudicitiæ, victores ex hac pugna aliter non exierunt, nisi quia viriliter certarunt. Imitare illos! *non coronatur, nisi qui legitimè certaverit*, 2. Tim. 2. 5. 3tio. oportet fugere occasiones præsertim in tentationibus impudicis. Vitium hoc nõ

mi-

minùs periculoſum eſt, quàm ſerpens, ſi cum hoc dormire velles; *ideo fugio, ne vincar*, ajebat S. Hieronymus ad hæreſiarchā Vigilantium, qui ei ſolitudinem ſuam exprobrabat; *nulla ſecuritas eſt; vicino ſerpente dormire*, ad Vigil. Tom. 2. 4to. Oportet majori cum fervore orare, ut obtineas à Deo auxilium in tempore opportuno, quo tātopere indigemus; dicendo cum propheta, Pſ. 70. 12. *Deus, ne elongeris à me, Deus meus in auxilium meum reſpice.* Sentiebat hic propheta debilitatetem ſuam, út S. Auguſtinus advertit, gemens ſub pondere hujus corporis mortalis; gemebat inſtar apoſtoli propter pugnam & rebellionem carnis & ſpiritûs, & lex peccati opponebat ſe in mēbris illius legi Dei, quam in corde habebat; unde exclamavit: *adhæſit pavimento anima mea, vivifica me ſecundùm verbum tuum*, Pſ. 118, S. Aug. ibid. Dicimus hoc quotidie ad primam; anne autem eodem cum fervore iſta proferimus? fatere, antequam ad altare accedas, quòd ſi hucuſque lapſus es tempore tentationis, tua ſocordia cauſa hujus lapsûs fuerit. Roga Chriſtum JEſum, ut te per hoc divinum ſacramentum, quod poſtea ſumpturus, es, quòdque cibus eſt fortium, fortificare dignetur, ut melius impoſterum utendo hiſce mediis dicere poſſis cum eodem ex ſpiritu gratitudinis, quod

S.

S. Paulus, 1. Cor. 15. 57. dixit. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum JEsum Christum.*

FERIA QUINTA.

Cùm appropinquaret JESUS Jerusalem, videns Civitatem, flevit super illam. Luc. 19. 41.

De lacrymis JESU Christi.

1. Peccatum erat objectum harum lacrymarum.
2, Debet etiam esse nostrarum.

PUNCTUM I. EVangelium, quod ad meditandum hodie suscepimus, refert, quomodo JEsus quasi triumphambundus Jerusalem civitatem ingressus, nihilominus lacrymas profuderit super hanc civitatem ingratam; prædixeritque mala, quæ ad eorum cœcitatem, & obstinationem secutura essent, eo quòd non cognoverint tempus visitationis suæ, neque agnoverint bonum illud, quod actu ex suo adventu possiderent. Maneamus cum JEsu in his circumstantiis, & videamus, quanta fuerit vis, & violentia doloris, quo cor illius tunc premebatur: siquidem ipsemet nos ad hoc exhortatur; *attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus*, Thren, 1. Haud contenti simus reflexione aliquâ, tantùm trãseunte quasi, & superficiali, sed penetrare velimus ad ipsum principale motivum doloris hujus. Ruina, & dosolatio totalis ci-

vitatis Jeroſolimæ, ab exercitu Romanorũ devaſtandæ, non erat illud à quo maximè tangebatur. Videre lapides diſpergi, ligna & trabes comburi, homines mortales mori, non erat objectum, ſeu cauſa digna ab eo deplorari, ait S. Auguſtinus, qui ob divinam ſuam & æternam ſapientiam altiùs eorum cauſas penetrabat; inveniebat nimirum ſub cortice hujus externæ & ſenſibilis punitionis mala illa inviſibilia, & incomprehenſibilia, brevi eventura huic nationi omninò ingratiſſimæ, quæ omnibus aliis gentibus prælata, neutiquam proficere ex iis conabatur; nec tot inſignibus favoribus, & inæſtimabili dono, quod Pater æternus eis contulit, mittendo eis propriũ Filium ſuum, benè uti. *Plangit enim eos*, ait S. Gregorius, Hom. 39. in Evang. *qui neſciunt, cur plangantur*, Deplorat cœcitatem Judæorum, & in ea carnificinam tot reproborum, qui dæmonum poteſtati cedere deberent; non ſolùm infelicitatem Judæorũ, ait hic S. P. ſed exceſſivum abuſum illum tot gratiarum, miraculorum, verbi ſui, laborum ſuorum, ſanguinis, & mortis ſuæ, à chriſtianis ſecuturis temporibus committendum. En objectum, ſeu cauſam lacrymarum Chriſti JEſu! nimirum peccata Judæorum, & chriſtianorum, ſeu noſtra! reflecte te parumper ſuper has lacrymas! *fle-*
viſſe

visse legimus Christum, ait S. Bernardus, in adv. Dom. serm. 4. *risisse nunquam*. Cor illius in continuo dolore erat à cunis usque ad crucem; & peccata nostra causa fuêre omnis tristitiæ, & lacrymarum ipsius. Credísne hoc? fortè in concionibus tuis ista aliis proponis? ésne autem ipsemet de hoc benè persuasus? si ita est;

PUNCTUM II. Considera obligationem tuam, quam habes, ipsum quoad hoc imitandi. Clericus non debet solummodo esse homo orationis, seu orationi deditus, sed etiam lacrymarum. Debet deplorare peccata sua propria, siquidem ipsemet etiã peccator est, quemadmodum alii; debet insuper deplorare peccata populi, quia minister est JEsu Christi, & evangelii; vide, quomodo S, Paulus non solùm supra semetipsum ingemuerit? quoties in amaritudine animæ suæ exclamàvit, quis me liberabit à corpore mortis hujus? quas & quantas lacrymas non profudit, super uno incestuoso peccatore Corinthio; super fidelibus Mileti, Ephesi, & omnibus aliis ecclesiis! testatur ipsēet de se ipso, quod fuerit *serviens Deo cum omni humilitate, & lacrymis*; quòdque non cessaverit tribus annis, die ac nocte, monens unumquemque eorum. Secutus fuit apostolus in hoc exemplum aliorũ, qui eum præcesserant. Quas lacrymas non

fudit Samuel super Saulem, poſtquam etiã cognovit, eum à Deo reprobatum eſſe? tam abundantes fuêre lacrymæ iſtæ, ut S. Gregorius, l. 6. in l. reg. 6. c. 2 ſub finem. ita exclamet, & paſtores omnes exhortetur; *quo ergo affectu electorum ſubditorum peccata plangunt, qui projectis reprobis tam affectuosè plangere didicerunt.* Quos gemitus edidit David ob propria peccata ſua, & peccata populi ſui! quales fuerunt Jeremiæ lamentationes ſuper incorrigibilitate Judæorum? & JEſu Chriſti ſuper duritia hujus ipſiuſmet populi? & quales lacrymas non profudit hodie ſuper infelici Jeroſolima, plorate igitur miniſtri Domini! ad exemplum horum ſanctorum, & magiſtri veſtri divini! plorate paſtores ſuper populo veſtro, apud quē ſuperabundat iniquitas, refrigeſcit charitas, & ſcandala nimis frequentia videntur, plorate ſuper illis! ſed magìs ſuper voſmetipſos flete! mementote vitæ veſtræ prætritæ, & invenietis, quantum deplorare debeatis hunc veſtrum ſtatum. Cogitate bona ſempiterna futuræ vitæ, & ingemiſcetis ſine dubio, quòd nondum inhabitare poſſitis felicem hanc manſionem. Deplorate contemptum illum tot gratiarũ JEſu Chriſti, quæ illi tanto ſanguine conſtitêre, præ omnibus autem contemptum illum, cujus vos ipſi rei eſtis; deplorate & peccatorum alio-

aliorum, & vestram propriam cœcitatem. Plorate denique ob hoc ipsum, quòd tantā causam habeatis plorandi, & tam parùm ploretis, & quod plures lacrymas profuderis pro terrâ, quàm pro cœlo; pro tempore, seu temporalibus, quàm pro cœlo, seu cœlestibus. Omnia hæc digna sunt lacrymis nostris; sed ecce! aliam adhuc causam, supra quam specialem reflexionem facere debetis, quòdque pro præparatione ad Missam servire potest; nempe quòd, cùm sis homo peccator, sublimatum te videns ad dignitatem sacerdotalem, vel pastoralē, quam omnino non promeritus es; quæque sanctitatem, & puritatem omninò angelicam requireret. Si ipsemet te in tantam dignitatem quasi intrusisti, temeritas tua sāguineis lacrymis deploranda foret; si autē ad hanc etiam contra tuam voluntatē promotus fuisses, quin ad eam aspiraveris, minimè tamen hoc ipsum deplorare intermitte cum S. Augustino, Epist. 148. ad Valer. Episc. Quia innumerabilis ille numerus defectuum, quos quotidie quasi in hoc ministerio comittis, prout ipse quotidie hoc in Missa fateris, meretur sanè, ut illos lacrymis tuis expies. Dic ergo majori deinceps cum fervore & sinceritate, quàm hucusque feceris, id, quod quotidie ex psalmista repetis. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*

quia non custodierunt legem tuam, Ps. 118.

FERIA SEXTA.

Venient dies in te; circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique. Luc. 19, 43.

De morte peccatorum.

1. Torquebuntur memoriâ præteritorum.
2. Consideratione præsentium.
3. Et timore futurorum.

PUNCTUM I. SUb figura Jerosolimæ ab inimicis obsessæ, & ad extrema redactæ, repræsenta tibi infelicem statum peccatoris in mortali lectulo jacentis, ubi omnia simul mala in illum ingruunt. Si oculos suos in præteritum reflectat, omnia cruciant, & affligunt. 1mo Memoria falsarum voluptatum hujus mundi, quas tantopere dilexit, Heu! ad quid mihi profuit superbia mea? quid utilitatis traxi ex vana ostentatione divitiarum mearum? quò abiêre gratissimæ illæ societates, conversationes, ludi, choreæ, convivia &c. *Siccine separat amara mors*, 1. Reg. 15. 32. totum pertransiit, & ex omnibus nil mihi restat; in æternum non fruar ampliùs hujusmodi deliciis; *quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia? quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuntius præcurrens*. Sap. 5. 8. 2. Memoria gratiarum, quibus abusus est; sacramento-

rum, quæ profanavit; instructionum, & exhortationum, quas sprevit. Ah! dicet intra semetipsum, quoties ad januam cordis tuî pulsavit Deus, ut teipsum converteres? quoties visitavit te æquè ac civitatem Jerosolimam & tamen cuncta hæc fuêre frustranea, & inutilia; teipsum perdidisti, quia noluisti illis benè uti! *eo quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ?* 3. Memoria peccatorum, quæ quotidie accumulavit, quæque nunquam expiare voluit per pœnitentiam. oblitus est eorum in vita sua, vel adminus consideravit, & æstimavit ea, tanquam res modicas; verùm in hora mortis, eorum recordatur, & tanquam horribilia monstra coram se habet, quæ eum undique obsidēt; *coangustabunt te undique.* Audi, quid in ejusmodi extremis constitutus dicat Antiochius, famosus ille ac impius impœnitens, *in quantam tribulationem deveni &c. nunc verò reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem &c. cognovi ergo, quia propterea invenruntme mala ista; & ecce pereo tristitiâ magnâ in terra aliena.* 1. Machab. 6. O tristem sanè statum peccatoris morientis! non solùm torquetur memoriâ præteritorum, sed etiam

PUNCTUM II. Consideratione præsentium; violentia, & gravitas morbi, dolores, quos patitur, sunt illi occasio impatiētiæ, murmurationis, novorum peccatorū, quæ

quae ultimum sigillum reprobationis ipsius imprimunt; crudelis amaritudo, quò se abstractum videat ab eo, à quo totâ vitâ suâ ità fascinatus fuerat; generalis jactura omnium suorum bonorum, auri, & argenti, & posessionum suarum; separatio à consanguineis & amicis; tædium illud & mœstitia, quòd se à Deo suo, à JEsu Christo, à sanctissima Virgine, à SS. Angelis, à Sanctis omnibus derelictum videat, juxta merita sua; annuntiatio mortis, impotentia eandē evadendi; difficultas in disponendis, & in ordinem redigendis rebus, ac negotiis suis, præsertim quo ad statum animæ, & conscientiæ suæ &c. omnia hæc extremè illum perturbant, affligunt, ac in tantam perturbationem eundem conjiciunt, ut exprimi non possit. *O mors, quâm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis!* Eccles. 41. 1. non vis sentire, seu experiri similes perturbationes in hora mortis tuæ? renuntia igitur adhuc in vita tua inordinatis tuis affectionibus erga creaturas; abstrahe te à mundo; res tuas maturè in bonū ordinem redige; & vide, ut conscientia tua in bono statu sit.

PUNCTUM III. Tertia origo desolationis in peccatore moriente est, timor futurorum. Quidquid vel in anima, vel in corpore patitur, grave est, sed valde parvū & modi-

modicum in comparatione horroris, quem ex consideratione futuræ vitæ concipit; discedit hinc in regionem quamdam prorsus incognitam, absque amicis, absque ulla protectione; *qua fronte exbit anima ad Deum?* exclamat S. Augustinus, tract. 7. in Joan. n. 7. *perdidit signum Christi; accepit signum diaboli.* Videt ante se Deum iratum, qui eum judicaturus est secundùm omnem rigorem justitiæ suæ; *nunc de propinquo effundam iram meam super te, & complebo furorem meum, & judicabo te juxta vias tuas,* Ezech. 7. 8. videt supra se cœlum, quod peccata sua ei concluserunt; sub se infernũ apertum, & ignem illum horribilem hominibus impœnitentibus præparatum. Ex una parte videt angelos & sanctos, qui eum derelinquunt, in alterâ, dæmones, qui eum accusant, & parati ac prompti sunt exequendi sententiam, quæ infelicitatem illius æternam decidet! ex omni parte nil videt, nisi horrorem, & desperationem! præteritum terret, præsens torquet, futurum autem in omnimodam consternationẽ cõjicit. Itaque quacunque ex parte mors peccatorum consideretur, horrenda est. *Mors peccatorum pessima.* Sed addendum insuper hoc, mortem mali clerici longè adhuc horribiliorem esse. Bone Deus! quis exprimat convulsiones, & perturbationes, quibꝰ tũc

obruendus est sacerdos, qui se in hoc sacrũ ministerium intrusit? qui postea nunquam reparare studuit vitium vocationis suæ? vel qui benè & legitimè quidem intravit, spiritum tamen sacerdotii in se perire, & extingui passus fuit! quàm excessiva erit desperatio, si recordatur, quoties abusus fuerit sacramentis, res sacras profanaverit, sanguinem JEsu Christi contra leges ecclesiasticas applicaverit; gregem suum pro eo, ut eum pasceret, dispersit; plures animas in infernum præcipitarit per malum suum exemplum, vel per peccaminosam suam mollitiem, & prodigiosam dissipationem patrimonii pauperum? omnia scandala, quæ causavit; absolutiones præcipitatæ, quas dedit; sacrilegia quæ commisit; expensæ superfluæ, quas fecit, sistent se memoriæ illius, & totidem erunt testes, qui eum accusabunt, & tortores ac carnifices, qui tormentis ipsius initium facient. *Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum.* Sap. 4. 20. Time mortem adeò funestam, & pro præparatione ad Missam, si in statu es illã legendi, roga JEsum Christum per pretiosam mortem ipsius, cujus in S. Altari memoriam renovas, ut te à morte peccatorũ præservet; etsi in te ipso quid invenias quod ei displicere nosti; quantotius illud emenda;

da; noli exspectare usque ad mortem, ut vitam tuam corrigas; utere tempore, quod longè brevius est, quàm tibi imaginaris. Putat aliquis se plures adhuc annos victurum, cùm ei vix pauci adhuc dies supersint, ut igitur teipsum non decipias, resolve te adhuc hodie ad vitam verè sanctam; optimum enim medium hoc est evitandi mortem peccatorum; *vivite benè, ne malè moriamini*, S. Aug. serm. 27. de V. D.

DIE SABBATHI.

Ingressus in templum cepit ejicere vendentes in illo, & ementes, dicens illis: scriptum est, quia domus mea domus orationis est; vos autem fecistis illam speluncam latronū. Luc. 19.45.46.

De immodestia in ecclesiis committi solita.

1. Quàm sit peccaminosa.
2. Quantam obligationem habeant clerici, talia impediendi.

PUNCTUM I. RES est sanè notatu dignissima, quòd Christus JEsus bis diverso tempore sanctâ quâdam irâ profanatores templi, ex eodē ejecerit; & quòd tribus vicibus proponat nobis ecclesia istud evangelium per annū; duplex haec circumstantia non leviter praetereunda est. Vult nobis pia haec & sancta mater per haec ostendere, quanto horrori

sibi

ſibi ſit, quemadmodum etiam ſuo divino ſponſo, talis immodeſtia, quæ in eccleſiis exercetur. Idem & nos cum illa ſentiamq, & videamus, quàm criminoſa & abominãda ſit talis immodeſtia? 1mo. injurioſa eſt Deo; illiùſque propriam domum inhonorat, ipſo vidente & inſpectante. Quid! tu audeas inſultare Deo tuo, dum interim tot boni chriſtiani genuflexi adorant Deum? dum ſacerdotes in decantandis laudibus ſunt occupati? vel eidem divinum Filium ſuum, JEſum Chriſtum in ſacrificium offerunt? quanta injuria! pro nullius rei in toto mundo amore, indecens aliquid committere velles in ipſo ſecreto cubiculo regis; ipſo inſpectante, coram regio ipſius throno, & in præſentia omnium aulicorum; & tantæ temeritatis es, ut indignè & immodeſtè te geras in palatio ipſius regis regum! rides, blateras in conſpectu illius, in eo ipſo loco, ubi ab omnibus vult adorari; offendis eum verbis inutilibus, compoſitione corporis indecenti, & mille aliis actionibus, & geſtibus, nec nominandis quidem. Quantùm crimen! exclamat hìc S. Chryſoſtomus, hom. 24. in act. idem. ſerm. 3. in Epiſt. ad Epheſ. *ſunt iſta fulmine digna; quâ fronte te ſiſtes ante tribunal Chriſti?* qui toties inhonoraſti, thronũ miſericordiæ ejus? 2da. pernicioſa eſt religioni & fidei noſtræ.

Quid

Quid cogitari potest, dum scandala illa & irreverentiæ videntur, quæ à filiis, imò ab ipsis ministris ecclesiæ in domo Dei cōmittuntur, quæ domus orationis est? éstne iste talis, dicunt, christianus, vel paganus? catholicus, vel hæreticus? clericus, vel impius? ridet in ecclesia, dum interim alii peccata sua plangunt; stat in pedes erectus, effrons, dum alii genua humillimè flectunt; in omne latus circumspicit, dum alii oculos suos demissos tenent! hominibus aliis loquitur, & garrit, dum alii cum Deo loquuntur. O quàm injuriosa sunt ista religioni nostræ? si fidem habes, monstra illam operibus tuis, Jac. 2. 3tio. nobis ipsis præjudiciosa est, & Deum cogit, ut gratias suas nobis subtrahat. Quid? venis ad ecclesiam, ut veniam peccatorum obtineas? & ibi nova committis venis, ut gratias à Deo novas postules? & trahis supra te maledictionem illius? venis ad ecclesiam, ut iram omnipotentis Dei mitiges; & illum in ecclesia magìs contra te irritas? prout de hoc ipso conqueritur Deus per prophetam suū: *quid est quod dilectus meus fecit in domo mea scelera multa?* Jerem. 11. 15. detestare hos defectus; & quia non sufficit clerico, ut ipse tantùm talia evitet,

PUNCTUM II. Agnosce hìc etiam obligationem tuam, quam habes, impedien-

di

di ejusmodi inconvenientias etiam in aliis: obligati sunt clerici ad hoc 1mo. ratione Ordinis ostiariatꝰ, quem in susceptione quatuor minorum Ordinum ab episcopo susceperunt. Exercitium, seu functio hujus Ordinis eos obligat, ut fideles custodes domûs Dei sint ad aperiendam & claudendā ecclesiam horîs constitutîs; ut in ecclesia omnia munda, & in bono statu sint; nihilque in ea fiat, quod vel servititum divinū, vel attentionem seu devotionem fidelium turbare posset: *sit eis fidelissima cura in domo Dei diebus ac noctibus*, ait Pontificale. Si ergo hunc Ordinem accepimus, quare illius exercitium & functiones negligimus? 2do. obligati sunt ad hoc, ex zelo, quem pro gloria Deî eos habere oportet; emicuit zelus iste in omnibus sanctis, S. Augustinus adeò hoc zelo repletus erat, ut extra chorum exire magnum Theodosium, eíque per diaconum suum dici jusserit, quod interior pars sanctuarii locus destinatus sit pro sacerdotibus, quem laici occupare non possent; vellet igitur hinc abscedere, & unà cum populo foris manere; siquidèm purpura, quâcum vestitus erat, reges & imperatores, minimè autem sacerdotes faceret; cui etiam religiosissimus hic princeps humiliter obedivit. S. Joannes Chrysostomus potiùs maluit attrahere supra se odium imperatri-

peratri-

peratricis Eudoxiæ, quàm tolerare illum tumultum, qui apud statuam hujus imperatricis fiebat, totàmque per ecclesiám intus resonabat, & divinum officium, & psalmodiam sacerdotum impediebat. Theod. l. 4. c. 18. Fleuri Hist. Eccl, l. 1. 19. n. 15, His ultimis temporibus non minori zelo flagrabat S. Carolus, ac isti magni episcopi, ut Deo debitus cultus in ecclesia exhiberetur, & omnia scandala exinde amoverẽtur. Si autem exempla sanctorum nondũ satis essent ad te permovendum, 3tio. an non exemplum ipsius JEsu Christi satis sit ad te animandum? non poterat tolerare eos, qui templum Salomonis profanabant per negotiationem talium rerum, quæ ad sacrificia necessariæ erant; neque pati poterat, ut publicus transitus populo per tẽplum pateat, prout S. Marcus notavit, non sinebat, *ut quisquam transferret vas per templum*, Marc. 11. 16. & nos, qui officiales & ministri illius sumus, in istis locis tolerabimus, seu ecclesiis nostris, longè sacratioribus, ut personæ tales usque ad ipsum altare accedant, quibus longè graviora exprobrari possent? negotiatio illa à Salvatore nostro in porta templi non permissa alibi exerceri poterat; nos verò sæpè in medio ecclesiarum nostrarum talia patimur, & toleramus, quæ in nullo loco tolerari deberent.

rent, nec toleranda ſunt. Ubi ergo eſt modò apud nos zelus iſte Chriſti JEſu, ejiciendi ex eccleſiis noſtris eccleſiarum profanatores? pete veniam à Deo, in præparatione tua ad Miſſam, ſocordiæ & negligentiæ tuæ, uti & immodeſtíæ, & irreverentiarū illarum, quas fortè ipſus in eccleſia comiſiſti. O Domine, noli nos tractare ſecundū quod mereremur à te tractari, propter irreverentias in tuo ſancto templo à nobis cōmiſſas, ſed ſecundùm magnam clementiam tuam, & magnitudinem miſerationum tuarum. Conabimur exceſſus noſtros contra tuam divinam majeſtatem commiſſos, impoſterum corrigere; nunquam deinceps coram te comparebimus in eccleſia, niſi in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito. Aſſiſtemus tremendo ſacrificio altaris tanta cum fide & reverentia, ac ſi in monte calvariæ, ad pedem crucis, morti, ac crucifixioni tuæ præſentes aſſiſteremus. Hoc eſt propoſitum, hæc eſt reſolutio noſtra; adjuva nos auxiliô gratiæ tuæ, quô ſuffulti firmam ſpem concipiemus exauditurum te preces & vota noſtra, quæ in templo ſancto tuo à nobis tibi offerentur: *oculi mei eruntaperti; & aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco iſto oraverit*, 2. Paralip. 7.

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN.

Nemo potest dicere, Dominus JEsus, nisi in Spiritu humilitatis. 1. Cor. 12, 3.

De gratia.

1. Extrema illius necessitas nostra.
2. Quàm propterea timere debeamus.

PUNCTUM I. DEbent verba ista S. Pauli, prout S. Bernardus advertit, demonstrare nobis infirmitatem nostram, & extremam necessitatem divinæ gratiæ. Quid? ait hic S. P. potésne tibi imaginari, ac si ipsemet esses principium meritorum tuorum, & quòd tibi ipsi sufficiens sis ad salvandum te per propriam tuam justitiam? tu, qui nequidē hoc nomen sanctissimū, JEsus, pronuntiare potes nisi Spiritu sancto ad hoc ipsum te movente, & adjuvante? anne oblitus es homo præsumptuose verba hæc ipsius Salvatoris D.N.J.C. *sine me nihil potestis facere?* Joā. 15. 5. verùm dices, quid ergo facit liberū arbitrium nostrum? duobus verbis tibi respondeo; salus habetur per gratiam; *tolle liberum arbitrium, & non erit, quod salvetur; tolle gratiam, & non erit, unde salvetur.* Agnoscamus itaque humiliter cū hoc S. P. quòd omnino necessaria nobis sit gratia Dei, in omnibus occasionibus, ubi de salute nostra agitur. Necessaria est nobis gratia 1mo. ut

bonas & ſanctas cogitationes habere poſſimus. Non poſſumus has concipere, ſeu formare ex nobìſmet ipſis, ait S. P., ſed Deus eſt, qui nos ad hoc aptos reddit; *non quòd ſimus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, 2. Cor. 3. 5. 2do. neceſſaria nobis eſt, ut bonum velimus. Voluntas noſtra fertur in malum; non poſſet velle bonum niſi Deus eam per gratiam ſuam ad hoc diſponeret, juxta verba iſta S. Scripturæ, toties à S. Auguſtino repetita: *præparatur voluntas à Domino*. Et S. Paulus expreſsè ita ait: *Deus eſt enim, qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate*, Philip. 2. 13. quomodo hoc? per efficaciam gratiæ ſuæ; *per adjutorium benè agendi adjunctum naturæ*, ait S. Auguſtinus, de gratia Chriſti contr. Pelag. & Cœleſtin. c. 35. n. n. 38. eſt nobis neceſſaria, ut in JEſum Chriſtum credamꝰ, & diſcipuli illius ſimus. *Nemo poteſt venire ad me*, ait Salvator, *niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*. Quomodo autem nos trahit Pater ad Filium? per ſuavitatem gratiæ; *ipſa ſuavitas te trahit*, ait S. D. ſerm. 2. de V. A. *ama & traheris*. 4to. neceſſaria nobis eſt ad orandum; quia neſcimus orare, prout oportet; neſcimus, quid in oratione noſtra à Deo petere debeamus. Jpſe Spiritus S. *adjuvat infirmitatem noſtram &c. poſtulat*

stulat pro nobis gemitibus inennarrabilibus, Rom. 8. 26. 5to. necessaria nobis est ad vincendas tentationes. *In te eripiar à tentatione!* dicebat ad Deum regius propheta, Ps. 17. 30. hocque ipsum quotidie in oratione dominicâ repetimus: *& ne nos inducas in tentationem*; quod inutile foret dicere, si auxilio illius non indigeremus ad vincendam tentationem, prout S. Augustinus advertit contra Pelagianos, Epist. 130. ad Probam. c. 11. nov. edit. *frustra dicimus, ne nos inferas in tentationem, si hoc in nostra positum est potestate, ut nullo illius adjutorio id valeamus implere.* 6to. necessaria est nobis ad observanda Dei mandata; *faciam, ut in præceptis meis ambuletis &c.* Ezech. 36. 27. quare hoc? ait Doctor gratiæ, l. de grat. & lib. arb. c, 16. donando voluntati nostræ gratiam efficacem; *facit ut faciamus; præbēdo vires efficacissimas.* 7mo. denique necessaria nobis est, ut usque in finem in servitio Dei perseveremus. Si quis, ait Concilium Trident. Sess. c. 22. putat justum perseverare posse in justitia sine speciali gratia, vel quòd hoc non possit cum ista gratia, anathema sit. Itaque in quocunque statu sim9 in hac vita, continuò Dei gratiâ indigem9. Hanc necessitatem & indigentiam profitemur, quoties breviarium recitare incipimus, his verbis: *Deus in adjutorium &c.* Ps.

69. dicimus hoc quotidie ſæpius, ſitne hoc cum tali fervore, ut neceſſitatem noſtram nos agnoſcere fateamur, nec quidquã nos poſſe incipere, proſequi, vel finire ſine Dei gratiâ, non eſt neceſſe, ut multùm diſputemus de gratia; conſultius erit, ſi majori cũ devotione illam à Deo petamus, certò perſuaſi cum S, Auguſtino, in Pſ. 70. ſerm. 1. n. 1. hanc totam ac perfectiſſimam ſcientiam noſtram eſſe; *hæc eſt ergo tota ſcientia magna, hominem ſcire, quia ipſe per ſe nihil eſt; & quoniam quidquid eſt, à Deo eſt, & propter Deum eſt.* Elice ſuper hoc actum fidei, &

PUNCTUM II. Vide nunc, quid ex iſta neceſſitate gratiæ divinæ concludere debeas? hoc nempe, quòd cum timore & tremore ſalutem noſtram procurare debeamus, prout apoſtolus nos monet, Philip. 2. 12. quòd in humilitate, & continuo tremore vivere nos oporteat; hæc eſt conſequentia, quam S. Bernardus, ſerm. 54. in cant. exinde deducit. Certè ex propria experientia didici, ait hic S. Abbas, ſuos religioſos alloquens, nil potentius, aut efficacius eſſe ad promerendam gratiam, ad eandem conſervandam vel etiam recuperandam ſi eam perdidimus, quàm ut nunquam nos extollamus, ſed ſemper coram Deo in timore & reverentia ambulemus; *beatus homo,* ait Sa-

pi-

piens Prov. 28. 14. *qui semper est pavidus. Time ergo, cùm arriserit gratia; time, cùm abierit; time, cùm denuò revertitur.* Si præsens est, time, utrum vita tua, & actiones tuæ dignè eidem correspondeant; si se subducit, adhuc magìs timere debes, quia, si tibi desit, brevi cades; time ergo, & pave, si gratia tibi subtrahatur; quia custos tuus te deseruit; neque dubita, quin superbia tua hujus subtractionis causa sit. Si vero placata quasi & reconciliata denuò revertitur, majorẽ adhuc causam, & rationem habes timendi, ne nimirùm tibi id ipsum accidat, quod in evangelio legitur; *ecce sanus factus es; vade, & cave, ne deterius quid tibi contingat.* Vides utique, longè magìs funestum quid esse relapsum quàm lapsum; itaque major esse debet timor tuus; *beatus es, si cor tuum triplici isto timore repleveris, ut timeas quidem pro accepta gratia; amplius pro amissa, longè plùs pro recuperata.* Utere hoc excellenti consilio S. Bernardi, roga JEsum in præparatione ad Missam, ut cor tuum configere dignetur timore & reverentia ob dona illa, quæ tibi pretio sangvinis sui promeruit, ut benè utendo tandem etiam donum perseverantiæ obtinere merearis, quæ sola coronâ felicitatis nunquam finiendœ coronari meretur. Domine Deus meus, qui nos fecisti comprehendere, quàm nobis ne-

cessaria sit gratia tua, fac, ut solicitiores, ac fideliores simus in illâ conservanda. Fiat obsecro, ut hæc tua divinâ gratia nos præveniat, semper comitetur, & continuò intentos nos faciat exercitio bonorum operum, id, quod à te petimus, Domie, in nomine JEsu Christi Fili tui, qui nobis hanc gratiam promeruit. *Tua nos quæsumus Domine gratia semper præveniat, & sequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentos.* Orat. Dom. 16. post Pentecost.

§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§

FERIA SECUNDA.

Divisiones verò gratiarum sunt; idem autē Spiritus; divisiones ministrationum sunt; idem autem Dominus; & divisiones operationum sunt; idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. 1. Cor. 12. 4. 5. 6.

De talentis à DEO acceptis.

1. Quilibet sua talenta habet. 2. Quibus uti debet.

PUNCTUM I. ENarrat S. Paulus in præsenti epistola diversa bona supernaturalia, quæ Deus cōmunicavit primis christianis. Uni accipiebant donum linguarum; alii donum patrādi miracula; alii donum intelligentiæ sacrarum scripturarum; & alii donum prophetiæ. Notant SS. PP. Chrysost. & Theod. in h. l. necessarium fuisse pro incremento religionis seu fidei nostræ, ut Deus pro tūc fide-

fideles his gratiis sensibilibus dotaret, eoquòd nil magìs ad progressum evangelii facere, seu contribuere poterit, quàm videre eos, qui eam amplectebantur, subitò devenire sapientes, loquendo variis linguis, intelligendo scripturas, discernendo spiritus, curando infirmitates, patrando omnis generis miracula; aliis etiam instar prophetarum futura prædicantibus, quamvis magnâ ex parte fuerint de se simplices, ac rudes homines. Tam extraordinaria mutatio, & opera adeò miraculosa probabant evidenter veritatem religionis christianæ, & ora paganorum occludebant. Defacto dū religio nostra tam fundata, & stabilita est, haud necessaria sunt amplius signa tam extraordinaria juxta apostolum Paulum, 1. Cor. 14. 22. utpote quæ *in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus*. Quamvis autem hæc extraordinaria dona hodiedum non sint tā frequentia in ecclesia, certum nihilominus est, quemlibet ex nobis accepisse à Deo dona spiritualia, quibus ad statum, seu vocationem suam indiget; cui à providentia divina destinatus est, *nullus est*, ait S. Gregorius M. Hom. 9. in Evang. *qui veraciter dicat, talentum minimè accepi, non est unde rationes ponere cogar*. Quilibet nostrûm aliqua consecutus est ab authore omnium bonorum. *Qui dat omnibus affluenter*, ùt S. Jaco-

bus ait, minoribus & majoribus absque distinctione, & acceptione personarum dat, sed secundùm mensuram sui beneplaciti; *dividens singulis, prout vult.* Si quem vocat ad statum ecclesiasticum, seu sacerdotalē, dat ei spiritum pietatis, & auxilia necessaria ad hoc, ut fini tam nobili, ac divino satisfacere possit, si quem vocat ad statum pastoralem, seu curam animarum, dat ei sufficientia lumina, zelum, & alias qualitates necessarias, ut functiones suas ritè peragere possit, & obligationi suæ satisfacere. Ad hoc agnoscendum & fatendum & justitia, & gratitudo nos obligat juxta S. Paulum; *idoneos nos fecit ministros novi Testamenti.* Quòd si hæc talenta nec in modica quidē mensura accepimus, signum est, Deum nos ad talem statum non vocasse; neque unquā ultrò quis talibus se ingerere debet, ait S. Gregorius. Pastor. l. 1. c. 9. etiamsi alii eū cogere vellent. *Virtutibus vacuus, nec coactus accedat.* Judicium ex istis fer de tua propria vocatione; & si aliqua in te talenta agnoscis, quibus ecclesiæ servire, & utilis esse possis, gratias age Patri luminum, à quo ea accepisti, &

PUNCTUM II. Disce obligationem tuam, iisdem benè utendi. Docet nos hoc Christus JEsus in evangelio, ubi se comparat Domino alicui, qui peregrè profecturus

servis suis diversa talenta distribuit, obligādo illos, ut iisdem ad negotiationem uterētur. *Negotiamini, dum venio,* Luc. 19. 13. En mandatum Domini, quod nos omnes concernit. Mittit nos in vineam suam, & vult, in illa nos laborare, & operari; ecclesia ordinando nos in presbyteros, hanc intentionem minimè habuit, ut inertes & pigros nutriret, sed ut operarios haberet. *Labora,* ait S. Paulus ad Timotheum, *sicut bonus miles Christi,* 2. Timoth, 2. 3. & alibi vult eum, qui ad sacrum ministerium vocatus est, ministrare; *sivè ministerium in ministrando; sivè qui docet in doctrina,* Rom. 12. 7. Vult nos apostolus per hoc obligare, ut diversa in ecclesia officia, & dignitates, nō consideremus tanquam honores, ut iis absque labore fruamur, & propter talia præcisè ab aliis honoremur, sed tanquam officia & ministeria, quibus sine labore minimè satisfiat; væ igitur ejusmodi ministris sacris negligentibus, qui præcisè gaudere cupiunt honore Ordinis sui, quin functiones illius obeant, Sacerdotes sunt, & negligūt exercitia charitatis præcisè, ut exercitiis purè temporalibus vacent; pastores sunt, & nolunt laborare pro instructione populi sui, & administratione sacramentorū, pinguia beneficia possident, pro eo autem, ut suæ obligationi satisfaciant, non nisi tur-

pi otio, & quieti vacant; neque de alio cogitant, quàm quomodo pinguescere, & ditari valeant ex patrimonio pauperum. Qualis confusio! exclamat hìc S. Bernardus, in Ps. qui habitat serm. 6. quòd ii, qui redditus habent abundantiores, ii ipsi sint, qui omniū minimè laborant? vel potiùs nihil omninò faciunt? & Ecclesiam luxu & vanitate sua, vel per scelera adhuc magìs enormia, scandalizant? sed quid necesse est, quærere authoritates ad probandū, quàm culpabiles sint clerici, qui in otio vivunt, & talenta sua negligunt, quæ unicè servitiô Ecclesiæ, & gloriæ illius consecrare debuissent, quia ea ipsis ad alium finē non dedit, quàm ad hunc? an non satìs est videre condemnationem illius inutilis servi in Evangelio, qui talentū suū à Domino acceptum in sudario abscondit? *caveat*, ait S. Gregorius, Pastor. l. 1. c. 9. *Ne acceptam pecuniam in sudario ligans; de ejus occultatione judicetur; pecuniam quippe in sudario ligare est, accepta dona sub otio lenti corporis abscondere.* Time tale judiciū adeò rigorosū, & majori sollicitudine te applica, ut fructū afferas talētis tuis, quæ accepisti! noli impediri rebus istis terrenis in functionibus ministerii tui, ne indignationē Domini tui supra te trahas. Hic est fructus, quē ex hac meditatione capere, & præparatio,

quacum

quacum ad Missam accedere debeas: *considerèremus, quæ accepimus; atque in eorum erogatione vigilemus; nulla nos à spirituali opere terrena cura impediat, ne si in terra talentum absconditur, talenti Dominus ad iracundiam provocetur,* Gregorius M. hom. 1. in Evā.

FERIA TERTIA.

Unicuique autem datur manifestatio Spiritûs ad utilitatem. 1. Cor. 12, 7.

De utilitate talentorum.

1. Debemus agnoscere.
2. Et applicare pro servitio ecclesiæ.

PUNCTUM I. VIdimus in meditatione præcedēti, quòd omnes nos à Deo talentum quoddam acceperimus, uni pro hoc ministerio; alii pro alio; & quòd quilibet nostrûm talento sibi crédito uti debeat. Jam verò præcipuum illud medium, ut talentum nostrum fructificet, est, ut studeamꝰ cognoscere, & agnoscere in particulari, quali talento nos dotare dignatus sit Deus; hoc est, quod plures facere negligunt, præsertim clerici, qui ordinariè suum talentum negligunt, & ad aliud se applicant, quod non valent perficere; quæ est origo & fons infinitorum malorum, & excessuum. Nescit aliquis dirigere parvam naviculam in fluvio, & audet deinde medio mari se comittere. Vult aliquis

esse oculus in corpore Christi, id est, illuminare, & dirigere alios, dum hoc contentus esse deberet, ut ipse audiret, quid sibi faciendum, hòcque faceret. Vult alius esse manus, cui non nisi ambulandum esset; fugiūt alii officia humilia; fere omnes ad sublimiora aspirant, nec alios limites habent, nisi impotentiam eò perveniendi. En originē magnæ, imò maximæ partis malorum in ecclesia, quæ est domus sapientis architecti, ubi quilibet lapis suum destinatum locum occupare, & exercitus ad pugnam ordinatus, & instructus, ubi quilibet stationē suam observare debet, sibi à generali, & supremo duce assignatam. Non quæritur, ut id fiat, quod debet fieri; sed quod ipsi optamus, & desideramus; desideramus autē plerumque solummodò id, quod lucrosum, aut honorificum est. Ille, qui ad capellaniā aptus esset, vult esse pastor; ille, qui parvā parochiam regere posset, præesse vult vastæ multitudini. *Plena est ambitiosis ecclesia*, exclamat S Bernardus, l. 1. de consid. c. 10. quid remedii contra abusum adeò deplorandum, qui tot alia absurda post se trahit? agnoscat quilibet donum suum, talentum suum; nam illi, qui in talia ministeria se ingerunt, pro quibus talenta sufficientia à Deo non acceperunt, ordinariè loquendo, neque sibi, neque bono ecclesiæ quidquā

pro-

profunt; & vita, quam ducunt tales, ferè nec vita christiana est, nec clericalis, quia à Spiritu S. non ducuntur, qui quemlibet ad talem statum vocat, qui ei congruit; suáque dona distribuit secundúm proportionē statûs, ad quem vocat. Spiritꝰ hominis est, id est, spiritus hujus mundi, ambitionis, amoris proprii, qui tales ad ejusmodi officia produxit, quæ eis minimè conveniunt; hic spiritus est, quo ipsi reguntur; quo seipsos gubernant, quique eorum infelicis ruinæ, & interitûs causa est; pro eo, quòd, si in eo statu, in quo Deus eos posuit, mansissent, forsitan aliis utiles, & salutem suam consecuti fuissent. Antequam igitur se quis ad aliquem statum resolvat, examinare seipsū debet, utrum qualitates necessarias hujus statûs possideat; & si talentum suum cognoscat, & quale sit agnoscat;

PUNCTUM II. Debet illud applicare pro servitio ecclesiæ. Non debet in usu talentorum nostrorum considerari propria utilitas nostra; non agitur de proprio lucro, aut commodo, si donis à Deo acceptis utēdum est, sed de gloria Dei, & bono ecclesiæ. *Unicuique datur manifestatio Spiritûs ad utilitatem* Idemetiam præscribit nobis caput apostolorum, 1. Petr. 4. 10. quod S. Paulus: *unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispen-*

sato-

ſatores multiformis gratiæ Dei. Nulli ergo omninò permiſſum eſt, abſcondere talentū ſuum; ſpecies futuri eſſet, & fratri noſtro perniciosūm, ſi quis eum talento fraudare vellet, cujus debitores illi ſumus; ſed clerici magìs adhuc obligati ſunt, quàm alii, ut talenta ſua utiliter impendant, ſiquidem ſpecialiter conſecrati ſunt ſervìtio eccleſiæ. Habent enim inter ſe eſſentialem relationem; quamvis laudabiliter ſolitudinem, & ſeceſſum ab hominibus ament, non debet tamen amor iſte præjudicare amori, quem fidelibus debent, in quorum utilitatē presbyteri ſunt ordinati. Quando ergo ſuperiores eos applicare volunt ad quoddam officium, cujus capaces ſunt, ſi obſtinatè reſiſtant, haud evitabunt ſupplicium ſervi illius negligentis, qui talentum ſuum in terra defodit. Hinc non veretur dicere S. Gregorius M. illos ſacros miniſtros JEſu Chriſti, qui ſe capaces reddidêre inſerviendi aliis per ſuam ſcientiam, & tamen ſolitudinem quærunt, culpabilis eſſe, iiſque imputari poſſe jacturam omnium illarum animarum, quas per exhortationes ſuas potuiſſent ſalvare; *ex tantis procul dubio rei ſunt, quantis venientes ad publicum prodeſſe potuerunt*, Paſtor. p. 1. c. 5. Examina hic temetipſum, utrum habueris hucuſque ſincerum deſiderium ſerviendi eccleſiæ? ſcimꝰ qui-

quidem mundum plenum esse hominibus, qui seipsos ante tempus & spontè offerunt, & ingerunt, quin sufficientia & necessaria talenta habeant ad id, quod in se suscipiunt; verùm temerarii isti, & ambitiosi haud excusant socordes, & negligentes. Perfice igitur talentum tuum, quod per gratiā Dei possides; & utere illo, qualecunque sit ad utilitatem ecclsiæ suæ; conjice oculos tuos in Filium Dei, qui ad te per S. Comunionē venit. Vide, quomodo de sinu Patris sui ex amore tui egressus sit; & tu recusare audeas laborem pro salute animarum? ait S. Gregorius; *qua enim mente is, qui proximis profuturus enitesceret, utilitati cæterorū, secretum præponit suum, quando ipse summi Patris unigenitus, ut multis prodesset, de sinu Patris egressus est, ad publicum nostrum?* Greg. ibid.

FERIA QUARTA.

Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. 1. Cor. 12. 11.

DE USU TALENTORUM.

1. Magnis talentis humiliter utendum.
2. Mediocribus fiducialiter, & absquè invidia.

PUNCTUM I. DOminus est donorū suorum Spiritus S.; dat illa, cui vult, & prout ipsi placet, ait S. Paulus; en verba, quæ benè expensa planè siste-

ſiſtere, & cohibere deberent omnes ſuperbiæ motus, qui exſurgere poſſent in iis, quibus potiora & meliora bona, ſeu talenta obtigerunt. Sufficere ipſis deberet ſcire, talenta iſta, utut pretioſa, dona eſſe & munera, quæ à libertate com̃unis noſtri omniũ Domini dependent; & debita gravia illorũ, qui ſuo tempore de iis rationem dare debebunt; minimè veró divitias, quas ſibi ipſis attribuere debeant, vel poſſint. *Quid habes, quod non accepiſti?* ait apoſtolus, *ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* 1. Cor. 4. 7. Verùm, fideliter cooperatus ſum gratiæ divinæ, dices, bene applicavi talenta mea, imò multiplicavi etiam illa. Sit ergo; gloriare! ſed hoc unicè in Domino fiat; gratias illi redde ob hanc ipſam fidelitatẽ, & ſedulitatem tuam, quæ eſt nova gratia, & donum bonitatis ejus; *ſed etiam hìc non extollatur cervix tua*, ait S. Auguſt. ſerm. 298. de nat. Apoſt. Petri & Pauli, *quia dona ipſius ſunt merita tua.* Si omne bonum, quod quilibet homo in ſe habet, ab hoc inexhauribili fonte & origine procedit, prout fides nos docet, quem prætextum, quam umbram habere poteſt, aut fundamentum vanitas, & ſuperbia noſtra? quid? quia Deus te præ cæteris pluribus donis dotavit, minus illi adhærebis? hæc ipſa dona contra ipſummet applicabis, ex iiſque ſacrificium

cium facies, & offeres angelo apostatæ, seu diabolo? ô excessum stultitiæ, & ingratitudinis, qui tamen à Deo communis, & quasi ordinarius est, ut ipse Deus per prophetam suum de hoc conqueratur: *argētum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Baal*, Osee 2. 8. alius propheta ita habet: *immolabit sagenæ suæ, & suæ, & sacrificabit reti suo*, Habac. 1. 16. id, quod contingit, ait quidam S. P. quando quis in spirituali piscatione animarum aliquid laboris & fructûs sibi adscribit, cùm tamen totum Dei sit pro eo, ut agnoscat humiliter cum S. Petro, ad pedes JEsu Christi prostratus, quòd omnis bonus successus ab eo sit; & quod ille, qui plantat, nihil sit, tam parúm quàm ille, qui rigat. Noli itaque præsumtuosè extoli contra, vel supra illos, qui minora acceperunt talenta; sed tene te constanter in timore, & humilitate; *noli altum sapere, sed time*, Rom. 11. 20. cogita potius, & memoriæ tuæ continuò obversetur textus ille ipsiusmet Filii Dei: *cui multum datum est, multum quæretur ab eo, & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo*, Luc. 12. 48. Si potentes, qui potestate sua abusi sunt, potenter tormenta patiuntur, etiam sapientes, qui pariter scientiâ suâ abusi sunt, divites, qui thesauros suos, vel divitias prodigè con-

ſumpſerunt, non minori, ſed majori rigore, quàm alii minùs habentes, punientur. Eſto ergo eò humilior, quò majora & præclariora videntur eſſe talenta tua: ſi verò nonniſi mediocria, vel pauca accepiſti, etiam hæc noli negligere, ſed

PUNCTUM II. Utere illìs fiducialiter, quin aliis invideas majora talenta, & dona ſua. Conſilium hoc eſt S. Bernardi, alteri cuidam Abbati datum: *tu autem cura inveniri fidelis ſervus, & prudens, conſervis tuis cœleſte triticum communicare invidiâ & abſque deſidia erogare; & noli fruſtra aſſumere excuſationem, quaſi de tui novitate, aut imperitia, quod putas forté, vel ſimulas, præter veritatem laudabilis. Officium ergo tuum oſtende, pelle pudorem conſideratione officii: age ùt magiſter, novus es, ſed debitor; & ex tunc te noveris debitorem, ex quo te alligaſti*, Epiſt. 201. ad Balduin. Abb. Nec dicas mihi, quòd capax non ſis faciendi ea, quæ à te requiruntur; ſæpè minora talenta utiliora ſunt eccleſiæ, quàm ſplendida; eſtque hoc ipſum magnum donum, & talentum, ſi quis ſciat, etiam modica talenta ſua utiliter applicare. Non petitur aliud à te, niſi quod potes; diſpenſa illud modicū, quod poſſides, non erit tibi reddenda ratio de eo, quod non accepiſti; *ſed non ſum, inquies, ad iſta ſufficiens*, pergit S. Bernar-

dus

dus ibid. *quòd si verò devotio tua accepta non sit ex eo, quod habes. De solo tibi credito talento, respondere tibi para, securus de reliquo.* Si fortè nullum haberes ex iis donis, seu talentis, quæ in aliis miraris, noli proptèrea te ipsum affligere; particeps eris meritorum illorum, si ecclesiam amas; si charitas te cum illa unit; si gaudes de nomine & fide catholica, tunc certò tibi persuade, ait S. Augustinus; *quòd quantùm quisque amat ecclesiam; tantùm habet Spiritum sanctum; tolle invidiam,* pergit idem S. P. tract. 32. in Joan. *tuum est, quod habeo; tolle invidiam, & meum est, quod habes.* Invidia ubique divisionem causat, quocunque se insinuat, verùm charitatis proprium est, unire, & omnia facere communia. *Livor separat, charitas jungit.* Pete à Deo hanc grãdem virtutem in præparatione tua ad Missam; præferenda est enim talentis quibusque aliis, quantumlibet magnis, cum illa partem habebis omnium eorum, quæ fratres tui possident, sed sine illa, si totum possideres, frustra cuncta possideres; *ipsum habeto, & cuncta habebis; quia sine illa nihil proderit, quidquid habere poteris.* ibid. Sancte Spiritus! tuum est dare hoc pretiosum & admirabile donum, quod nobis omnia aliorum dona cummunia reddit. Effunde illud in cor nostrum, ut invidia & zelus

amarus procul inde absint. Tunc enim tã tum aberit, ut affligat nos, si alios in ecclesia ob excellentia talenta splendescere cernamus, quæ ipsis contulisti, ut potiùs è contrario gaudio id nobis futurum sit, quòd ministros tuos tot & talibus talentis ordinaveris. Ita dispositi, & comparati sũt omnes, qui verè amant ecclesiam, quæcunque demum à Deo talenta acceperint, minora, sivè majora, sivè mediocria, vel excellentia. Fac nos Domine ità feliciter comparatos, ut in continua humilitate, & amore unitatis ambulantes, caveamus nobis ab omni superbia; ità enim nobis etiã communia erunt, quæcunque in ecclesia tua inveniuntur dona: *si amas, non nihil habes, si enim amas unitatem, etiam tibi habet, quisquis in illa aliquid habet*, S. Aug. ibid.

FERIA QUINTA.

Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent; unus pharisæus, & alter publicanus. Luc. 18. 10.

De pharisæo, & publicano.

1. Superbia pharisæi. 2. Humilitas publicani.

PUNCTUM I. Videri potest in evãgelio hoc, caracter falsæ & veræ dovotionis clarissimè expressus, & delineatus in persona duorum hominum, unius pharisæi, & alterius publica-

blicani, qui templum ingrediuntur oratu-ri, sed valdè diversimodè dispositi, & cō-parati. Pharisæus plenus sui ipsius vanâ complacentiâ, se solū justum putat; pro eo, ut Deo adscriberet, quod erat, gloriatur, ja-ctat se, & omnibus aliis se anteponit, quos generaliter spernit, & contemnit; *non sum sicut cœteri hominum.* Tota illius oratio aliud non erat. nisi pura ostentatio suorum bo-norum operum; *jejunio bis in Sabbato, deci-mas do omnium, quœ possideo.* Examina be-nè, ait S. Augustinus, verba illius, & quid à Deo petat? certus sum, te nihil inventu-rum; ascendit quidem in templum ad o-rationem; interim nil minus facit, quàm o-rare; totum tempus suum transigit, in sei-pso laudando; *quid rogaverit Deum, quœre in verbis ejus; nihil invenies; ascendit orare; noluit Deum rogare; sed se laudare; insuper & roganti insultare.* serm. 115. n. 2; Quamvs miserabilis omnino sit, dicit tamen, sum dives; ab undo bonis omnibus: nullius egeo; & nescit, quòd sit miser, pauper, cœcus, & nudus; & quòd per hoc ipsum sibimet occludat thesaurum divitia-rum, & miserationum divinarum. Quid mirum, si homo iste superbus fuerit reje-ctus? si aliud non reportet, quàm propriā suam damnationem? *etsi oratio ejus fiat in peccatum,* juxta id, quod peccatori impre-

catur propheta? Ps. 108. 7. sine dubio detestaris hunc modum agendi pharisæi: solicitùsne autem fuisti hucusque, ut hoc ipsum evitares? fortè immunis es à gravibus sceleribus, & exterius æquè, ac ille, bona opera habere videris; ésne autem etiam exemptus & liber à superbia, ambitione, invidia, & reliquis vitiis spiritualibus, quibus cor insolentis hujus oratoris repletum erat? examina te super hoc; quia periculosum est, & dubitari meritò potest, an non hæc ipsa causa sit, quòd tam modicum fructum hucusque retuleris ex oratione, & devotionibus tuis? in sua propria persona exhibere nobis voluit S. Bernardus serm. 54. in cant. devotissimus hic abbas, causam, utrum non jure id timere debeamus; *non sine causa ab heri & nudius tertius invasit me languor iste animi, & mentis hebetudo; insolita quædam inertia spiritûs. Currebam benè; sed ecce lapis offensionis, in via impegi, & corrui. Superbia inventa est in me; & Dominus declinavit in ira sua à servo suo. Hinc illa sterilitas animæ meæ, & devotionis inopia, quam patior; quomodo ità exaruit cor meum; coagulatum est sicut lac; factum est sicut terra sine aquâ? nec compungi ad lacrymas queo; tanta est duritia cordis; non sapit psalmus; non legere libet: non orare delectat, meditationes solitas non invenio,*

ubi ergo illa inebrietatio spiritûs, & pax & gaudium in Spiritu sancto? hæc omnia dixisse se ait S. Bernardus in sua propria persona, ut auditores suos moneret de eorum ægritudine, & morbo, itâ ut si quilibet eorum conscientiam suam rimari velit, inventurus sit debilitatem suam à superbia sua originem trahere, cùm infallibilis sit veritas ista: *ante ruinam exaltatur spiritus*, Prov. 16. 18. Quòd si autem conscientia tua te de hoc non redarguat, ne intermittas tamen humiliare te propter quamdam occultam superbiam, quam Deus in corde tuo detegit; quamvis ipse hoc non advertas. Vide, ut proficias ex hoc consilio S. Bernardi & ut ad praxin devenias,

PUNCTUM II. Vide, quænam sit humilitas publicani; & imitare illam; stat in loco remotissimo ab altari; & vel hinc maximè Deo appropinquat, valdè distans ab eis, de quibus Isaias cap. 58. 2. ait, quòd omninò præsumptuosè Deo appropinquāt, *quasi gens, quæ justitiam fecerit*. Imò potius credit se haud dignum esse, qui coram Deo compareat; hinc de sua indignitate planè persuasus, valdè remotum à sanctuario se collocat. Agnitio peccatorum suorum tali cum confusione & rubore complet, ut vix audeat levare ad cœlum oculos suos, Deus verò dignatur oculos suos ad eum di-

mittere, quia ùt Pſalmiſta Pſ. 137. 6. ait: *humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit*, Denique felix iſte pœnitens pectus ſuum tundit, quia ſedes eſt cordis, quod omniũ primum in culpa fuit; *percutiebat pectus ſuum; pœnas de ſeipſo exigebat*, ait S. Auguſtinus, ſerm. 15. de V. E. vel ſi adhuc aliter exponere velimus actionem hanc, dicere poſſumus: quemadmodum pyritem, ſeu ſilicē igniariuṁ chalybe percutimus, ut ignem exinde eliciamus, ſic publicanus iſte percutiendo pectus ſuum, hæc ignita verba provocare ex corde ſuo voluit: *propitius eſto mihi peccatori*, Quæ ſunt verba cordis omninò contriti, & humiliati, quod miſericordiam Dei promeretur. *Quid miraris, ſi Deus ignoſcit, quando ipſe ſe agnoſcit*, ait S. Auguſtinus. Excellentiſſimum ſanè exemplar! quod ad inſtructionem noſtram ſerviat; modò illud imitari, & ſequi velimus. Pro præparatione ad Miſſam; roga Chriſtum Jeſum, qui tibi hoc exemplum proponit, ut gratiam tibi pariter concedat, illud imitandi, non ſolùm pro oratione tua, ſed etiam ad dignè communicandum. Locus ſeparatus, quem occupavit publicanus, monere te debet, quàm indignus ſis, ut ad altare accedas, ſi tamen accedis, fiat hoc cum timore, & tremore: hæcque humilitas faciet, ut dignè communicare, & cele-

bra-

brare possis. Gaudet Dominus appropinquare iis, qui se ab ipso elongant ex reverentia; nec meliorem poteris postea peragere gratiarum actionem; postquam eum sumpseris, quàm si admirabundus tecum expendas, quomodo, & cur te admittere dignatus sit inter alios convivas ad hanc divinam mensam suam, & convivium sacramentale. *Tu posuisti me servum tuum inter convivas mensæ tuæ,* 2. Reg. 19. 28.

FERIA SEXTA.

Dico vobis: descendit hic justificatus in domum suam ab illo. Luc. 18. 14.

De humilitate.

1. Utilitates hujus virtutis.
2. Media illam acquirendi.

PUNCTUM I. HUmilitas publicani, quæ tam grata & accepta fuit Domino, occasionem, & ansam nobis præbet considerandi utilitates illas, quas nobis excellens virtus ista affert. Paucis verbis easdem inclusit S. Bernard9; *humilitas*, ait Epist. 49. seu tract. de mor. & offic. Episc. c. 5. *virtutes alias accipit, acceptas servat, servatas consummat.* 1mo. Humilitas est, quæ alias virtutes petit, & obtinet. Qui eam possidet, id ipsum de illa dicere potest, quod de sapientia Salomon Sap. 7. ajebat; *venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Indiget quis patientiâ? humili-

militas nos docet, eam exercere. Vísne obtinere veniam peccatorum tuorum? hanc Deus humili pœnitenti concedit. Uno verbo; esto humilis, & obtinebis à Deo, quidquid ab eo petieris; *oratio humiliantis se nubes penetrabit; & non discedet, donec altissimus aspiciat*, Eccles. 35. 21. pluviæ gratiarum supra humiles decidunt, quemadmodum aquæ decurrunt in valles; & quēadmodum abundantia aquarum fœcundā reddit terram,ità abundantia donorum, & gratiarum divinarum, in causa est, cur humiles quotidie in virtute proficiant, & novos fructus afferant; *& valles abundabunt frumento*, Ps. 64. 2do. non solùm attrahit humilitas alias virtutes, sed insuper eas conservat; *servat acceptas*. Nil periculosius est, quàm virtutes suas palam ostendere velle; amor proprius capitalis illarum inimicus est; non ostētat illas, nisi, ut eis mortalem, & feralem ictum inferat; hinc est, quòd David dixerit: *ab altitudine diei timebo*. Ps. 55. Gloria & splendor virtuti conjunctus, semper timendus est; quot fuêre solitarii, qui sub jugo Domini incanuerunt in desertis, qui post transactam meliorem, & maximam vitæ suæ partem in jejuniis austeris, & inauditis mortificationibus, tandem totum hunc thesaurum virtutum suarum perdiderunt, quia humilitatem ne-

glexe-

glexerunt, quæ munimentum illarum est, & sola capax, & sufficiens, eas conservandi, & contra insultus vanæ gloriæ, quæ eas rapere vellet, defendendi? 3tio. denique humilitas alias virtutes ad perfectionē provehit; *servatas consummat*. Magna meditaris; à minoribus incipe; ait S. Augustinus, serm. 15. de V. D. *Magnus esse vis? à minimo incipe; cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis*. Semper nimirum fundamēta moli illi coaptantur, quam illis imponere cupimus; & quò altius ædificium exsurgere debet, tantò profundius foditur fundamentum. Hunc modum agendi tenuêre omnes sancti; imitare illos. Quò majoribꝰ & pluribus fructibus abundat arbor, eò profundius inclinat ramos suos; quò plus virtutis habes, tantò humilior esto; unicū hoc medium est, ut fructus tuos spirituales in portum invehere valeas. O quam amanda est tibi virtus ista, adeò tibi necessaria & utilis, quæ mater & custos, & perfectio est omnium aliarum virtutum! labora igitur strenuè, ut eam acquiras; & in hunc effectum

PUNCTUM II. Considera nunc media, quæ adhibere debeas, ut ad eam pervenias. Primum & omnium efficacissimū est, ut tibi continuò ante oculos ponas doctri-

ctrinam, & vitam J. C. D. N. regis omnium humilium. Non niſi diabolus ſit, qui ſe tanto exemplari opponere audeat. Erat Dominus cœli & terræ, quid verò non fecit, ut ſe humiliaret? natus fuit in ſtabulo, poſitùſque in præſepio; tranſivit per omnes ſtatus, ſeu gradus infantiæ, ait S. Paulus. Subivit in circumciſione omnem ignominiam, & maculam peccati; fugit Herodem, quem vel ſola flatu oris ſui exterminare potuiſſet; ignotus delituit uſque ad trigeſimum annum ætatis ſuæ in officina carpētarii, qui omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ poſſedit; dum verò mundo palàm apparuit, nunquam ceſſavit hortari homines ad amplectendam humilitatem, & contemptum ſui ipſius. Vel maximè autem in cruce præ omnibus, & ante omnia reſplēduit in illo virtus iſta; hinc S. Paulus verbis ſufficientibus, ad id ſatìs explicandum, deſtitutus, ait; *exinanivit ſemetipſum*. En exemplar! quod imiteris; pudétne imitari? *puderet te fortaſſe imitari hominem humilem? ſaltem imitare humilem Deum*, ait S. Auguſtinus. 2dum. motivum eſt, ut ſæpius conſideres, quàm magna ſit miſeria hominis poſt lapſum. *Miſeri nos, & miſerabiliter nati*, ait S. Bernardus, de divers. ſerm. 42. n. 2. *quibus datum eſt naſci in mœrore, vivere in labore, in dolore mori, de peccatore peccato-*

catores; de corrupto corrupti. Conjice deinde oculos supra temetipsum in particulari; quid fuisti? quid es modò? ô quantam materiam invenies te humiliandi, *humiliatio tua in medio tui,* Mich. 6. 14. quot sunt damnati, qui tot peccata non commiserunt, ac tu? & si vel illa solùm peccata attenderes, quæ quotidie committis, an non causam sufficientem habes confusionis tuæ, ne dicam, superbiæ? *& non sit tibi ultra aperire os præ confusione.* 3tium medium perveniendi ad virtutem humilitatis est, ut quotidie exerceas actum aliquem humiliationis; nam, ùt S. Bernardus Epist. 87. ait: *humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, lectio ad scientiam;* si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis; nam si non pateris humiliari, non poteris ad humilitatem provehi. O quàm pulchra sunt verba ista S. Bernardi! Pro præparatione tua ad Missam fac, ut ea in praxin deducas, & actu id exequaris. Si adhuc aliud motivum desideres ad persuadendam tibi humilitatem, cogita humilitatem Christi JEsu in SS. Eucharistia, qui ad te venire, & te inhabitare vult; dic ei in spiritu profundissimæ humilitatis id ipsum, quod Miphiboseth ad David regem 2. Reg. 9. 8. dixit: *quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum, similem mei?*

DIE SABBATHI.

Omnis, qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. Luc. 10. 14.

1. Punitio superborum. 2. Remuneratio humilium.

PUNCTUM I. NUnquam obliviscamur hujus sententiæ à Salvatore prolatæ: *qui se exaltat, humiliabitur*. Lex est generalis, oportet omnes superbos humiliari; *si exaltatus fueris ut aquila. & si inter sydera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus*, Abdias 1. v. 4. Superbi punientur uno. per humiliationes, quas super illos mittet Deus; *redde retributionem superbis*, Ps. 93. 2. aliquod accidens ingratum, quod eis eveniet; lapsus aliquis turpis, crimen probrosum, in quod cadunt; injuriæ & offensæ, quas pati cogentur ab inimicis suis, imò etiam ab iis, quos suos putabant amicos, clarè iis ob oculos ponent Deum esse, qui superbos adhuc in vita ista punit, prout David Ps. 88. 11. ait: *tu humiliasti, sicut vulneratum, superbum.* Vide in S. Scriptura, quomodo confuderit superbos illos architectos turris Babyloniæ; quomodo humiliaverit Nabuchodonosorem, præcipuè autem memento, qualiter Luciferum, unà cum reliquis rebellibus angelis puniverit; vix de sua propria elatione cogitare cœperūt, statim Deus, cui soli omnis honor & gloria convenit,

de

de sublimitate cœlorum eos in profundum inferni præcipitavit, & ab uno extremo summæ felicitatis in aliud extremum summæ miseriæ, seu barathrum transtulit. Eheu! si creaturæ tam nobiles taliter tractatæ fuêre? quid fiet demum? exclamat S. Bernardus serm. 54. in cant, n. 8. *si sic autē est cum angelo, quid de me fiet, terrâ & cinere? ille in cœlo intumuit, ego in sterquilinio.* Ah Domine, custodi me ab hoc vitio, quod tibi tantopere displicet! 2do. puniuntur per inquietudines, quas in seipsis experiuntur & patiuntur, quia conceptus eorum non semper eum finem obtinent, quem vellent, hinc oriuntur fastidia, perturbationes, desperatio, à quibus in hac vita jam redduntur infelices, & in futura tales erunt; *cadet superbus, & corruet, & non erit, qui suscitet eum,* Jerem. 50. 32. Famosum hujus rei exemplum habemus in persona superbi Ammanni. Die noctùque ãbitione sua torquebatur, & tandem hæc ipsa passio carnifex illius facta est, siquidem in eâ altissimâ trabe ipsâ, quam Mardochæo paraverat, suspensus fuit; quis non deploret malam sortem superborum. 3tio. puniuntur per hoc, quòd ab aliis hominibus spernantur, & cõtemnantur. *Odibilis est coram Deo & hominibus superbia,* Eccles. 10. 7. nullus sufferre potest superbos, quia ipsi etiam alios tolerare

rare nolunt; & quia omnes alios humiliare, & deprimere conantur, ideo quilibet etiam ipſos deprimere curat. Deteſtare vitium adeò præjudicioſum, præſertim in clericis, hinc noluit apoſtolus, neophytum ad ſacerdotium promoveri, *ne in ſuperbiám elatus, in judicium incidat diaboli*, 1. Timoth. 3. 6. & eccleſia declaravit illos etiam pro irregularibus per plures canones, fundàtque ſe in hac ipſa ratione à S. Paulo adductâ; quia nil magis timet, quám ſuperbum ſacerdotem; & libentiùs curam animarum ſanguine JEſu Chriſti emptarum alicui álteri, alio vitio contaminato, concrederet, quàm ſuperbo, & ambitioſo; cùm nullus ſit, qui majora ſcandala præbeat, & tantùm præjudicet eccleſiæ, illiùſque ſponsã divinam magìs offendat, illiùſque iracundiam provocet, quàm ſuperbus. Horrorem igitur debitum concipe de vitio iſto. Sed, poſtquam vidiſti punitionem ſuperborum, æquum eſt ac juſtum, ut etiam

PUNCTUM II. Remunerationem humilium conſideres, ut & ipſe humilis evadere allabores, 1mo. dignos ſe reddũt gratiis divinis. Nam prout advertit S. Auguſtinus, de Doct. Chriſt. l. 3. c. 33. ſcriptura in omnibus ferè paginis ſuis nos docet, Deum ſuperbis reſiſtere, & gratiam ſuam dare humilibus. Rejicit ſuperbos, quia de

ſuis

suis viribus superbè præsumunt, qui propriis suis meritis innituntur, & gratiis suis implet humiles, qui omnem suam fiduciam in illo ponunt. Humiles illæ de se ipsis opiniones, & sensus sunt, quibus misericordiæ divinæ effectus sibi ipsis conciliant humiles, ut in omnibus sanctis videre est. Quid fuit in sanctissima Virgine, per quod oculos omnipotentis Dei ad se attraxit? an non profunda illius humilitas? *respexit humilitatem ancillæ suæ*; dum se ipsã ancillam Domini nominavit, Mater Dei effici promeruit, quid est, quod S. Paulum adeò perfectum, fortem, tamque generosum in mediis laboribus gravissimis, & pœnis, quibus ministerium ipsius expositũ erat, efficit, humilitas, quæ eum ad ita sentiendum & loquendum impulit; *libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi*, 2. Cor. 12. 9. O quot gratias à Deo accepisses hucusque, si humilior fuisses? 2do. gaudent pace internâ, & quiete bonæ conscientiæ. *Discite à me*, ait Salvator noster, *quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris*, Math. 11. 29. En fructum humilitatis! qui eam possidet, charus, ac dilectus Deo, & hominibus evadit, quia Dominus quiescit in cordibus humilium, prout ipse hoc nos docet per prophetam suum Isai. 66. 2. *ad*

quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos. O Domine, quàm utilis & proficua nobis est humilitas, siquidem ipse corda fidelium inhabitare dignaris. *O quàm excelsus es,* exclamat S. Augustinus, l. 11, conf. c. 31. *& humiles corde sunt domus tua; tu enim erigis elisos, & non cadent, quorum celsitudo tu es.* 3tio humiles merentur gloriam sanctorum, & Deus illis felicitatem æternam promittit. *Humiles spiritu salvabit,* Ps. 33. 19. quò magìs humiliati & despecti in hoc mundo fuêre, tantò altius & sublimius regnabnnt in cœlis; idest quodSalvator noster nos docet in evangelio, ubi pro exemplo nobis proponit humilitatem & simplicitatem parvolorum; *quicunque humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic major est in regno cælorum,* Math. 18. 4. Fac itaque ad finem hujus meditationis firmum & efficax propositum fugiēdi superbiam, & amandi humilitatem; expende, & trutina seriò pœnas unius, & mercedem alterius. Si superbus es, ipse Deus te humiliabit; non evitabis perturbationes conscientiæ, neque contemptum huminū, pro eo, quòd, si verè humilis fores, gratiā invenires coram Deo, pace & quiete bonæ conscientiæ gauderes in hac vita; & in altera, ipsa æterna beatitudine, & gloria sāctorum. Ut verò hoc tuum propositum ef-

ficax

ficax sit, ad Deum tuum in sanctissima Eucharistia adeò humiliatum, quem postea sumpturus es, confugias oportet; roga Deum, ut participem te faciat hujus virtutis, quam adeò ipsemet dilexit, quamque adhuc singulis diebus in hoc divino sacramẽto exercet, ubi non cessat per profundissimam humilitatẽ suam annuntiare, & praedicare nobis obligationem nostram, quam habemus nos humiliandi. *Cape ergo humilitatem JEsu Christi; humilis esse disce, non superbire; confitere infirmitatem; jace patienter ante medicum, medicina tumoris hominis humilitas est Christi*, S. Aug. serm. 117. de verb. Evang. n. 17.

DOMINICA UNDECIMA POST PENTECOSTEN.

Notum vobis facio fratres, evangelium, quod prædicavi vobis, quod & accepistis; in quo & statis, per quod & salvamini. 1. Cor. 15. 1.

1. Fides ad salutem requiritur.
2. Et vita, seu mores evangelici.

PUNCTUM I. HOc est proprium evangelio, ut nos salvet; hoc elogium hìc dat S. Paulus in compendio ipsi evangelio, & alibi sæpius, ubi illud vocat evangelium salutis. Plura hoc

modô loquendi comprehendit, & afferit apoftolus, quàm exprimi poffet quâcunque aliâ laude ipfi datâ; nam dicere: evangeliũ nos falvare, idem eft, ac dicere, quòd liberet nos à malis æternis, & bona fempiterna nobis procuret; quòd doceat nos media evitandi illa, & affequendi ifta; quòd ad cognitionem JEfu Chrifti, authorem falutis, nos perducat, qui folus nobis promeruit poffeffionem horum bonorum, & liberationem à malis iftis; & quòd doceat nos ei fervire, prout oportet, dum nobis ea omnia aperit, & ob oculos ponit, quæ fecit pro nobis. En! quomodo evangelium nos falvet; verùm ut hunc in nobis effectũ operetur, non fufficit tantum, illud legere, vel ab aliis percipere, fed oportet illud firmiter credere, quidquid nos docet; & hæc omnia non folùm in memoriam noftram, fed etiam in cor noftrum recipere; id enim folum eft, quod converfionem, & falutem noftram operatur. *Pœnitemini, credite evangelio,* Marc. 1. Vide nunc, quomodo credas evangelio? evangelium hóc dicit, beatos effe pauperes fpiritu, qui cor fuum abftrahunt à rebus iftis temporalibus; beatos effe, qui perfecutionem patiuntur propter Juftitiam. Infelices verò effe divites, & eos, qui deliciis, & voluptatibus hujus mundi fruuntur. Credis hoc? evangelium dicit, ni-

nihil in hoc mundo diligi debere, nisi propter Deum; contemnenda ista bona terrena, & mundi honores; sibi ipsi renuntiandū; mortificandas passiones; portandam crucē propriam; sequi, ac imitari debere nos JEsum pauperem, humilem, & mortificatum. Credisne has veritates? sapiūtne tibi? esne de talib9 rectè persuasus? an non ejusmodi veritates majori parti christianorum prorsus extraordinariæ, & incognitæ sunt; imo etiam ipsis clericis? si creduntur, hoc non nisi infirma fide credunt, & cum distinctione, ità, ut fides nostra potiùs sit fides *temporum, & non evangeliorum*, ùt Tertullianus, l. 1. in Epist. ad Galat. c. 1. loquitur. Corrigendus est hic error noster: *nec putemus in verbis scripturarum esse evangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in medulla; nec in foliis sermonum, sed in radice rationis*, ait S. Hieronymus. Oportet ergo omnes evangelii veritates seu doctrinas absque distinctione credere, & intellectum, ac cor nostrum illi subjicere, quia hæc sunt verba vitæ æternæ. Quia autem non sufficit tantùm fidem habere evangelio,

PUNCTUM II. Addamus etiam hoc, debere de nobis dici posse, quod S. Paulus hìc ad Corrinthios scribit, nempe ut non solùm firmiter inhæreamus veritatibus evangelicis, sed ut constanter etiam manea-

mus in amore, & praxi harum ſanctarum veritatum; *in quo ſtatis, per quod & ſalvamini.* Evangelium non ſolùm eſt regula fidei noſtræ, ſed etiam vitæ, & morum noſtrorum, ait S. Ambroſius, in Pſ. 118. ſerm. 20. *Evangelium non ſolùm fidei doctrina, ſed etiam morum magiſterium, & ſpeculum juſtæ converſationis.* Inveniemus in illlo, quomodo nos erga Deum, & proximum, & nosmetipſos gerere debeamus. Eccleſiaſtici, & ſeculares, principes & ſubditi, ſervi, & domini patres, & matres, divites, & pauperes, uno verbo, quicunque demum ſint, invenient in eo, quomodo ſanctè vivere debeant. Ipse dominus docet nos in evangelio, veritates ſalutis, & quænam ſint obligationes noſtræ, & quidem juxta capacitatē noſtram; noſtrûm eſt, audire eum, ait S. Auguſtinus Tract. 30. in Joan. *audiamus evangelium, quaſi præſentem Dominum.* Regula omnium chriſtianorum eſt è cœlo allata, non per angelum, ùt illa S. Pachomii, ſed per Filium Dei, & hanc ſequendo, ſalutem, & pacem inveniemus; ait S. Paulus Galat. 6. 16. *quicunque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia.* Evangelium ſanctos omnes illos effecit, quorum memoriam & feſta per annum celebramus; evangelium eſt, quod S. Hilarionem ſeptuaginta annis in eremo con-
ſer-

servavit, in oratione, in jejunio, & cilicio; quia aliam supellectilem in cellula sua non habuit, præter evangelium, quod etiam tota hæreditas fuerat, quam discipulo suo Hesichio testamento reliquit. Evangelium S. Cæciliam tam castam & puram reddidit, & conservavit, quia scriptum de eâ est; *virgo Christi evangelium semper in pectore gerebat*. Evangelium fuit fortitudo martyrum, scientia doctorum, & sanctitas virginum. O Domine, fac, ut nos quoque illud amemus, ejùsque doctrinam intelligamus, & amplectamur, in cordibus nostris illud recondamus; super omnia autem, ut opere ipso totum, quod exinde discimus, exequamur. Pro præparatione ad Missam roga Christum Dominum per charitatem illam infinitam, quam exhibuit nobis, annuntiando hominibus evangelium suum, ut illud cordi tuo insculpere dignetur, dum ad te venit per S. comunionem, ut illud nunquam obliviscaris. Ex evangelio olim judicaberis, quod omnes illos condemnabit. qui illud contempserint; *qui spernit me, & non accipit verba mea, habet, qui judicet eum; sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum*, Joan. 12. 48. esto igitur exactus in illo prædicando; multò autem exactior in illo observando; quia, *qui non obediunt evangelio Domini nostri JEsu Christi, pœnas dabunt in interitu æternas*, 2. Thessal. 1. 8. FE-

FERIA SECUNDA.

Tradidi enim vobis imprimis, quod & accepi; quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundùm scripturas; & quia sepultus est; & quia resurrexit tertiâ die secundùm scripturas. 1. Cor. 15. 3. & 4.

DE PRINCIPALIBUS MYSTERIIS FIDEI NOSTRÆ.

1. Debent clerici ea populo proponere.
2. Quomodo hoc fieri debeat?

PUNCTUM I. ADvertant clerici in lectione horum verborum S. Pauli, quàm serio satagat, ut in fundamento fidei fideles suos stabiliret. Longo tempore prædicavit Corinthiis evangelium, prout ex actis apostolorū discimus; scripsit ad illos plures epistolas, & gravissimas iisdem dedit instructiones, & tamen hìc iterum redit ad principalia mysteria religionis & fidei nostræ, ut ea non obliviscantur. Ponit illis ob oculos incarnationem, mortem, & resurrectionem JEsu Christi, principalia puncta religionis nostræ; originem & fontem omnium meritorum nostrorum. Modum istum agendi S. Pauli non leviter, seu obiter percurramꝰ; discant exinde operarii evangelici, ut nunquam satìs se instruere posse populum suum circa ista principalia mysteria credant; semper inveniuntur tales, qui illa ignorēt,

vel eorum iterū obliviſcantur, vel ſaltem, qui non ſufficienter ſuper talia myſteria ſe reflectant. Invenient paſtores animarum ſemper novum populum, quem inſtruant, quin neceſſe ſit è propria parochia exire, quibus neceſſariò fundamenta religionis quotidie ſuppeditare debebunt. Populus hic novus, qui quotidie naſcitur, & exſurgit, infantes, & pueri ſunt, quorum ſingularem & ſpecialem curam gerere debent, quam in alios minimè exonerare debent, vel ex contemptu, vel prætextu neceſſitatis, ut quam plurimi faciunt, qui hanc curam committunt junioribus clericis, parū adhuc capacibus, ſeu aptis, vel ex defectu ſcientiæ, gravitatis, & quandoque etiam probitatis, ut in ejuſmodi teneris animab9 fundamentum bonum jacere poſſent, nimirum JEſum Chriſtum in iis fundare, mānſuetum, patientem, humilem, docilem, pium, obedientem, innocentem, purum, amantem veritatis, & creſcentem quotidiè in ſapientia & gratia coram Deo & hominibus. Quemadmodum negotium iſtud tā facilè non eſt, ac ſibi quidam imaginantur; & ex omnibus functionibus clericalibus illud eſt, quod maximam applicationem, laborem, patientiam, diſcretionem, & perſeverantiam, ſeu conſtantiam exigit, ſic vel maximè cavere debemus, ut nullum

unquam tædium nobis super hoc irrepere sinamus, certi de hoc, quòd quò minus satisfactionis, seu consolationis sensibilis, minorèmque gloriam coram hominibus, majorem autem laborem in instruendis ejusmodi, quam in aliis habebimus, eò majorem ordinariè profectum coram Deo sperare possimus. Ipse Christus JEsus hoc nobis insinuat, quando ait, parvulos tales speciale jus ad regnum cœlorum habere; *talium est enim regnum cœlorum*, Luc. 18. & experientia etiam docet nos, quòd longè faciliùs doceantur viam salutis, quàm alii; faciliùsque fit has novas plantas reddere fœcundas, quàm ut eradicentur illæ, quæ in peccatis & vitiis jam senuerunt. Resolve igitur te nunc ad hoc, quòd sæpius eos docere velis principalia mysteria fidei nostræ; & ut hoc utilius præstare valeas,

PUNCTUM II. Oportet 1mo. contẽtum esse; & præcisè sistere in explicatione mysteriorum, quorum notitia ipsis necessaria est ad salutem, quin ulterius deveniatur ad quæstiones nimìs difficiles, quæ ad fidẽ non pertinent, & plerumque ad aliud non serviunt, quàm ut curiositatem humanam foveant; oportet abstinere ab historiis minús veris, & factis minùs certis, & præcisè iis insistere, quæ solummodò fidem firmare, fideles ædificare, pietatem fovere, eósque

eósque ad amorem Dei, & JEsu Christi perducere valeant. Hanc regulam dat S. Paulus suo Timotheo, dum ità ad eum scribit; *formam habe sanorum verborum quæ à me audisti in fide, & in dilectione, in Christo JEsu*, 2. Timoth. 1. 13. 2do. oportet explicare mysteria fidei, modo tam simplici, familiari, ut ab omnibus intelligi possint; *optimus docendi modus*, ait S. Augustinus, 4. de Doct. Christ. c. 10. *quo fit, ut, qui accedit, vera audiat, & quod audit, intelligat.* Ut autem hoc fiat, adhiberi debent, quantum fieri potest, comparationes, similitudines, & parabolæ evangelicæ, miracula, & historiæ à S. Scriptura allatæ; figuræ veteris testamenti utpote prædictiones & vaticinia veritatum, quæ in novo testamento continentur. 3tio. oportet auditoribus inspirare magnam submissionem erga mysteria fidei nostræ, ut ea submisissimè adorent, quæ minimè comprehendere valent. Caracter philosophorum est, ait S. Basilius, Hexameron. l. 3. examinare, & ratiocinari, christianorum autem credere, & submittere intellectum suum. Apostoli minimè missi fuêre, ut nos docerent disputare, sed obedire fidei; *ad obediendum fidei*, ùt S. Paulus Rom. 1. 5. loquitur, & híc ad Corinthios dicit, se eis dare id, quod accepit, & prout accepit; *tradidi enim vobis, quod & accepi*, id est,

juxta

juxta explicationem S. Chriſoſtomi: quēadmodum apoſtoli non diſputarunt ſuper doctrina Chriſti, quam prædicarunt, ſed eam ſimpliciter annutiarunt, quin aliquid de ſuo addiderint, ſic & nobis idem faciēdum eſſe; *etenim apoſtoli propterea miſſi ſunt, ut, quæ audiviſſent, ea dicerent; non ut de ſuo aliquid adderent, & nos quoque, ut credamus,* in c. 1. ad Rom. Amplectere regulas iſtas, iiſque inhære, & pro præparatione ad Miſſam roga Deum pro gratia hac, ut eas in praxin deducere valeas. O Domine, qui vis omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; quique etiam noſti, quot pereant propter ignorantiam myſteriorum fidei noſtræ, & ob modicam illā curam, quam ii habent, qui alios ex officio de hoc inſtruere deberent, præſertim ſimplices, & rudes; da nobis, obſecro, & animum, & alias qualitates neceſſarias ad hoc, ut benè obire valeamus functiones tales, tibi adeò acceptas, & gratas; quas ipſe JEſus Chriſtus, Filius tuus, non recuſavit obire, & apoſtoli eas proſecuti ſunt tanto cum zelo, quæque ſemper in eccleſia pro importantiſſimis & ſummè neceſſariis habitæ fuerunt. *Neſcio prorſus, ſi quidquam majus eſſe poteſt, quàm parvulorum animas, partem non indignam horti eccleſiaſtici, quaſi plantare, aut rigare.* Gerſon. Tract. de parv. ad Chriſtum trah. cenſid. 4. FE-

FERJA TERTIA.

Novissimè autem omnium, tanquam abortivo visus est mihi. 1. Cor. 15. 8.

De humilitate S. Pauli.

1. Quàm contemptim seipsum tractet.
2. Pauci sunt ex clericis, qui eum imitari studeant.

PUNCTUM I. REfert S. Paulus in hac epistola diversas apparitiones JEsu Christi à mortuis suscitati, de quibus tempore paschali locuti fuimus; & postquam apparitiones aliis apostolis factas narravit, finem narrationi huic fecit tanto, tamque mirabili actu humilitatis, qui planè dignus est, ut materiã meditationi præbeat; *novissimè autem omnium, tanquam abortivo, visus est mihi,* ait; bone Deus! an plus, vel majus quid ad seipsũ humiliandum dici posset! O quàm longè meliùs præmunire se scit apostolus contra periculosum venenum vanitatis, quæ toties, ac tam frequenter cor hominis inficit, & corrumpit! verum est, quod seipsum etiã pro teste adducat resurrectionis, & quòd specialem hunc favorem apparitionis, & visionis JEsu Christi à mortuis resuscitati consecutus fuerit, verùm addendo, quòd ultimus fuerit, cui Christus apparuerit, ponit se hoc ipso infra omnes; nec sufficit illi dicere, quod Christus ultimo loco illi apparuerit; non enĩ satis magna, aut sufficiens

ipsi

ipsi videbatur esse humilitas, sed ut se profundiùs humiliaret, & minus æstimabilem coram hominibus redderet, ait, se non nisi abortivum esse. Neque hoc adhuc ipsi satis esse videbatur. Non poterat occultare hoc, se esse apostolum; ita debebat fieri; sed declarat, se minimum ex omnibus apostolis esse, qui nequidem mereatur apostolus nominari, eoquòd persecutus sit ecclesiam. Vult nimirum ùt S. Chrisostomus in h. l. ait, per has omnes expressiones, sibi ipsi integrè satisfacere, & plenè satiare humilitatem suam. Lege attentè ipsius epistolas, & ubique invenies, illum de se ferè nunquam loqui, nisi statim occasionem sumat, se ipsum humiliandi, si mentionem apostolatus sui facit; ideo hoc factum esse, ait, quia non poterat recusare vocationem suam, & exercitium ministerii hujus. Nota, ait S. Augustinus, quomodo dimittat prius nomen suum Saulis, quod fastum aliquem, & superbiam denotabat propter infelicissimum illum Israëliticum regem, qui etiam ità vocabatur, quìque fuerat princeps inobediens, & superbus, quem ipsemet etiam imitatus fuisset; siquidem ex superbia & furore persecutus ecclesiam esset; & nomen Pauli elegerit, quod parvum significat; cur hoc, quærit hic S. P. *Paulus apostolus, qui cùm Saulus prius vocaretur, non ob aliud,*

quan-

quantum mihi videtur, hoc nomen elegit, nisi ut se ostenderet parvum tanquam minimum apostolorum, lib. de spir. & lit. c. 7. Gratias Deo age, quòd magno huic apostolo tantā humilitatem inspiraverit, & contemptum sui ipsius; quia autem hic ipsius modus agendi tibi pro regula servire debet;

PUNCTUM II. Vide nunc, quàm sollicitus fueris in eo imitando? utrum de temetipso similiter adeò humiliter senseris? apostolus assumpsit nomen Pauli ex humilitate, renuntiando nomini Saulis, quod ei à nativitate debebatur, quia vanitatem redolebat. Imitarisne illum? curâsne illos titulos fastuosos abscindere, qui communiter defactò in mundo affectantur, præsertim in hoc infelici sæculo, ubi magìs, quàm unquam superbia in corde omnium ferè hominum dominatur? *vocaverunt nomina sua in terris suis*, Ps. 48. an non ex numero illorum clericorum es, qui se inhonorari, & despici putant, si nomine ordinis, officii, aut gradus sui vocentur, sed sublimiora prætendunt, Abbatis, Prioris, Prælati &c. quæ ex instituto suo sanctissima, contemptibilia in eorum persona evadunt; eoquòd neque meritis, neque caracteri illorum debeantur. Non omisit ullam occasionem S. Paulus se humiliandi, sed faciebat hoc, ubicūque potuit. Anne & ipse hoc facis? habésne

hanc

hanc regulam, nunquam de temetipſo glorianter loquendi abſque neceſſitate? & ſi fortè neceſſe ſit, aliquid tibi glorioſum proferendi, anne ſoles aliquid etiam interſerere, quod opinionem aliorum de te magnificam aliquatenus imminuat? an non temetipſum vane extollis, ſi ab aliis laudaris, pro eo, quòd ſancti in talibus occaſionibus dicere ſoliti ſint *qui me laudant, flagellant*, S. Ignat. ad Trallens. S. Paulus ſeipſum vocabat abortivum; primum omniū peccatorum ac indignum ſe reputabat inter apoſtolos computari, anne ſimiliter temetipſum tractas? & ſi fortè in aliqua occaſione ità locutus fuiſti, factumne hoc fuit ſincerè? correſpondebantne diſcurſus tui cum iis, quæ intus in corde de teipſo ſentiebas? modicæ æſtimationi, quam de te ipſo habere, & amori, quo in tuam propriā abjectionem ferri deberes? ah! quàm pauci ſunt clerici, qui in hoc puncto imitatores ſint S. Pauli? te ipſum examina, & ſcrutare, quàm longè ſis alienus à tali modo agendi, & ſentiendi? & roga Chriſtum Dominum, qui magnum hunc apoſtolum adeò humilem reddidit, ut eandem tibi gratiam concedere dignetur. Fac deſuper præparationem tuam ad Miſſam, certò de hac veritate perſuaſus, quam ſæpiùs repetere ſolebat ſuis S. Auguſtinus, ut humilitatem

eis

eis inculcaret; *fratres mei! tota medicina nostra est ista; discite à me, quia mitis sum, & humilis corde,* serm. 142. de verb. evangel. Domine Deus meus! qualis confusio pro me, qui non nisi vilis terræ vermiculus, & miserabilis peccator sum, si me velim altius elevare, & extollere, quàm apostolus tuus, ac omnes sancti tui, qui se ipsos extremè contempserunt, volo Domine contrarium imposterum agere, & cum gratia tua utilitatem & profectum ex illorum exemplo trahere; seriòquè me applicare per praxin & exercitium actionum humilium, ut hanc sublimem, ac tam utilem scientiam acquiram, quæ in eo consistit, ut quis seipsum deprimere. & despicere sciat. *Hæc est altissima. & utilissima lectio, vera sui ipsius despectio,* Imit. Christ. l. 1. c. 2.

FERIA QUARTA.

Ego enim sum minimus apostolorum, qui non sumdignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam Dei. 1. Cor. 15. 9.

DUO MEDIA SEIPSUM HUMILIANDI.

1. Recordatio propriorum peccatorum.
2. Consideratio virtutum aliorum.

PUNCTUM I. S. Gregorius talem facit super verba istà citata reflexionem, quæ meritò à nobis considerari debent; notat S. Paulum, qui a-

lios apostolos in prædicatione sua adeò laboriosa superavit, ut vanam in semetipso gloriam, quæ exinde oriri potuisset, reprimeret, séque ipsum in sinu humilitatis illæsum conservaret, sibi ipsi propriam suam crudelitatem olim exercitam, & innocentiam reliquorum apostolorum ob oculos posuisse; *Paulus, cùm cæterorum sanctorum solicitudinem in prædicatione, robustius laborando, transcenderet, ut ab elatione se premeret, & vires suas in humilitatis gremio nutriret, crudelitatis suæ antiquæ non immemor, apostolorum omnium innocentiam contemplatus ait: ego sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum ecclesiam Dei*, in Job. l. 24. c. 6. Imitemur hunc agendi modum hujus apostoli, si ad sinceram quamdam humilitatem pervenire velimus; revocando semper in memoriam nostram peccata nostra præterita, & considerando virtutes, quæ in aliis resplendent. Igitur oculos nostros in id conjiciamus, quid fuerimus? & quid adhuc essemus, si Deus nobis suam non exhibuisset misericordiam; quamquam enim plagas nostras curaverit, non tamen vult, ut earũ memoriam perdamus; considerare eas debemus, ut continuum subjectum, & materiam humiliationis nostræ; justum siquidẽ est, peccatorem totâ vitâ suâ portare humilia-

miliationem, seu maculam peccati sui; exercitium quoddam devotionis est, quod omittere haud possumus, nisi ex tali cœcitate, quam condemnat S. Petrus, quando ait: *cæcus est, & manu tentans; oblivionē accipiens, purgationis veterum suorum delictorum,* 2. Petri. 1. 9. quotiescunque ergo superba quadam cogitatione tentaris, cōsidera peccata tua præterita, ob quæ toties infernum meruisti; quo etiam jam diu præcipitatus fuisses, si Deus tibi per specialem suam gratiam non pepercisset, quam tot alii non acceperunt, qui minora peccata com̄iserunt, modo tamen victimæ sunt æternæ Dei vindictæ; *misericordia Dei, quia non sumus consumpti,* Thren. 3. 22. si minori indulgentia erga te usus fuisset, æternùm periisses; *nisi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitasset in inferno anima mea,* Ps. 93. 17. an non infinitæ aliæ animæ in his æternis tenebris sepultæ jacent quæ minùs peccarunt, quàm tu? quæque de hoc mundo sublatæ fuêre per repentinam mortem, statim post primum admissū crimen, seu peccatum? an non idipsum tibi applicare potes, quod olim Deus habitatoribus JErusalem per prophetam suum exprobravit? *dimidium peccatorum tuorum non peccavit Samaria, soror tua,* Ezech. 16. Quòd si etiam ab infantia túa vitam tradu-

xisses prorsus innocentem, & virtuosam, de nullo tamen gloriari posses, siquidem hoc à viribus tuis non provenit, sed ab eo, qui infirmitatem tuam sustentat, & confortat; si Deus non te prævenisset; vel confortasset gratiâ suâ, annon in eosdem excessus, & scelera incidisses, quæ à maximis peccatoribus commissa sunt? an non quotidie talia adhuc committeres, si suam tibi protectionem & gratiam subduceret? *nullum est enim peccatum*, ait S. Augustinus, serm. 95. nov. edit. *quod facit homo, quod non possit facere & alter homo; si desit rector, à quo factus est homo.* Utere hâc sententiâ ad tuam propriam humiliationem; & si hoc nondũ sufficit,

PUNCTUM II Adhibe insuper considerationem virtutum, quas in aliis vides. Hæc erat praxis S. Antonii. Legimus in vita ipsius, quòd solicitè semper observârit, in qua virtute sancti illi anachoretæ, quos viderat, excellerent, ut exinde se humiliare posset. Ex una parte videndo se tã longè adhuc ab iis abesse; ex altera vero, ut virtutes aliorum ipsi pro calcari & incitamento servirent ad imitandum illos. Speciali ac admirabili providentia, ait S. Gregorius, noluit Deus, ut ullus in toto mundo tam sit perfectus, quin quandoque suos leves defectus habeat; vel quin alios eminentio-

nentiores se in aliqua virtute inveniat; scisne autem, quare talem inter electos suos voluerit esse differentiam, reddendo aliquos eminentes in zelo & charitate, alios excellentes in humilitate, obedientia, dono orationis &c. aliud non intendit per hoc, nisi ut eos in humilitate conservaret. *Mirâ nobiscum dispensatione agitur; ut per hoc, quod alter habet, & iste non habet, unus altero melior ostendatur; quatenus tantò ardentiùs ad humilitatem quisque proficiat, quantò ex bonis, quæ non habet, inferiorem se habentibus pensat,* ait hìc S. Pontifex, l. 24. in Job. c. 6. Ministri Domini! imitamini hunc modum agendi! conjicite oculos vestros in tot fideles, & zelo plenos servos JEsu Christi, qui fuêre, & etiamnum sunt in ecclesia; & ut necesse non sit longiùs abire, manete in hoc solo exemplo S. Pauli, cujus admirandam humilitatem modò vidistis; potest sanè hoc ipsius exemplum sufficere, ut omnē in vobis superbiam & elationem impediat. Considerate excellentissimum hunc pastorem, quem ipse JEsus Christus formavit; ligatum vinculis pro ipso, crucifixum cum ipso, gloriosum in ipso, certantem validè, ac fortiter in theatro hujus mundi, inspectantibus angelis, & hominibus, ut braviū cursûs sui consequeretur; gaudentem cum gaudentibus, plorantem cum plorantibus;

ſuſtinentem pugnas intus & foris; optantē ac deſiderantem mori, & vivere cum JEſu; quotidie prædicantem de die; de nocte autem manibus propriis laborantem, ut haberet, unde ſe ſuſtentare poſſet, ac ſubminiſtrare pauperibus; denique totum ſuū honorem, & gloriam reponentem in vinculis, in cruce JEſu Chriſti, & in tolerandis laboribus pro eccleſia Chriſti. Miniſtri Domini! quicunque demum ſitis, ſi benè conſideretis, & vobiſcum expendatis hoc exēplar, & ſpeculum omnium operariorum evangelicorum, abundantiſſimam in eo materiam invenietis, voſmetipſos confundendi, & humiliandi. Pro præparatione ad Miſſam roga Chriſtum Dominum, regem omnium humilium pro hac gratia, ut ad praxin reducere valeas hæc ipſa media perveniendi ad humilitatem, quæ primùm adducta, & explicata ſunt. Ah Domine! qui non niſi humiles miniſtros habere optas, fac, ut peccata noſtra ſemper præ oculis noſtris habeamus; & ut nunquam fideliſſimorum ſervorum tuorum virtutes è memoria noſtra nobis excidant, ut hæc ipſa conſideraatio & reflexio nobis ſerviat ad conſervandum nos in profunda, ſincera, & vera humilitate. *Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari*, S. Ber. ſerm. 16. in cant. n.. 10.

FE-

FERIA QUINTA.

Gratiâ autem Dei sum id, quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit. 1. Cor. 15. 10.

De bono usu gratiæ.

1. Obligatio cooperandi gratiæ divinæ.
2. Periculum eorum, qui gratiæ non correspõdeãt.

PUNCTUM I. Mirare potentiã gratiæ D.N.J.C. quæ ex persecutore ecclesiæ apostolum fecit; *quomodo solent medici potentiam suæ artis in desperatis ostendere*, ait S, Augustinus in Ps. 130. n. 7. *sic Dominus JEsus Christus, medicus, & salvator noster in desperato, qui persecutor ecclesiæ fuit, ostendit magnitudinem artis suæ.* Gratias Deo agamus pro gratia, quam huic apostolo contulit, & agnoscamus simul, quantâ solicitudine huic gratiæ fuerit cooperatus. Ipsemet nobis hoc indicat, dum dicit; *gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi. Sciebat nimirum*, ut S. Bernardus serm. 54. in cant. n. 11. ait, *homo, consilium Dei habens, redundare in contemptum donantis, donum negligere, nec expendere, ad quod donatum est; idque intolerabilem esse superbiam judicabat; & propterea studiosissimè hoc malum & ipse cavebat, docebátque cavendum.* Hinc est, quòd idem apostolus toties exhortetur fideles, ut ab hac solicitudine nunquam desistant; *contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei*, ait ad

Hebræos cap. 12. 15. & instruendo omnes ecclesiæ ministros, in persona Timothei, ait ad illum: *noli negligere gratiam, quæ in te est*, 1. Timoth. 4. id verò, quod ad Corinthios scribit, particularem sanè attentionem meretur & reflexionem; *adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; ait enim, tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te*, 2. Cor. 6. 1. Isaia. 49. 8. disce exinde, ait S. Chrysostomus ibid. gratiam habere suum certum tẽpus, adeò ut nullus sibi ipsi aduletur; quasi pro libitu eâ uti possit, si velit, hoc favorabile tempus, & dies isti salutis non semper durant, seu adsunt; unus dies est, ait S. Paulus; *in die salutis*. Porrò unus dies non diu durat. Dies hic tempus præsentis vitæ est, quæ utut longa sit, satis brevis est in comparatione cum æternitate; igitur singula momenta diei istius utiliter impendere studeamus, quo Deus nos visitare dignatur, ut cum eodem apostolo ad finem dierum nostrorum dicere valeamus: *gratia ejus in me vacua non fuit*. Vel cum servo illo bono in evangelio: *Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum*, Math. 25. 20. utque magis adhuc ad id faciendum inciteris,

PUNCTUM II. Considera periculum illud, quod quis incurrit, si gratiæ Dei fideli-

deli-

deliter non correspondeat. Periculum hoc tale est, quod magnum sanctis incussit terrorem; meritò enim sibi ipsis timuerunt, ne Deus in ipsis, vel minimam infidelitatē, per subtractionem gratiarum suarum puniret, & eos propriæ ipsorum infirmitati relinqueret; *hæc est sanctis causa tremendi,* ait S. Leo serm. 8. de Epiph. *ne deserti ope gratiæ remaneant in infirmitate naturæ*, Bonus usus gratiarum plures alios post se trahit; abusus autem, vel contemptus gratiæ, eas à nobis elongat. Si terra aliqua sæpiùs aquis rigata, fructum illum, qui ab illa exspectatur, affert, benedictionem à Deo accipit; ait S. Paulus Hebr. 6. 8. *proferens autem spinas, aut tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cujus consūmatio in conbustionem.* Vult dicere, juxta explicationē SS. PP. animam, sæpius cœlesti rore irrigatam, verbo Dei nutritam, donis S. Spiritûs saginatam, nullum tamen fructum, vel non nisi malum, proferentem horrori esse Dei, & proximam maledictioni; si verò pergat in sua infructuositate, denique condemnādam ad ignem æternum. Omnes christiani timere debent effectum hujus terribilis cōminationis; nam, quis est, qui non sæpius abusus fuerit gratiis à Deo acceptis, sed longè majorem causam timoris habent clerici, ùt ait S. Chrysostomus in h. l. *sed*

timeo, ne, quæ dicuntur, nobis magis dicantur, quàm aliis. Inceſſanter irrigamus aquis divinæ gratiæ, háſque etiam in alios effundimus; legimus verbum divinum, idque etiam aliis communicamus, & prædicamus, ſed quem fructum exinde capimus, & trahimus nos ipſi? quem fructum videre eſt de tot inſtructionibus, & paternis admonitionibus? ab eo tempore, quo ſol juſtitiæ ſuper horizonte noſtro apparuit, quid aliud apud nos invenitur, niſi ſpinæ & tribuli? multùm vitiorum, & parum virtutis? Pro præparatione ad Miſſam examina coram Deo utilitatem & profectum, quem ex gratiis ipſius traxiſti. Sanctiſſima euchariſtia, abſque dubio, pretioſiſſimum donum, & maxima ex omnibus gratiis eſt, quas à divina liberalitate accepiſti. Qualiter hoc ipſo grandi dono uteris? ubi eſt fructus tuus ex tot Miſſis, vel ſacris communionibus? contremiſce, & fideliorem te deinceps in correſpondendo gratiæ exhibe. *Quænam nobis erit excuſatio, cum talibus paſti, talia peccemus? cum lupi fiamus agnum comedentes?* exclamat S. Chryſoſtomus hom. 11. in Math. Bone Deus! ah fac, ut terra cordis mei ſanctiſſimo ſanguine tuo, mediantibus ſanctiſſimis ſacramentis, toties irrigata, & toties ſalutaribus verbi tui divini perfuſa aquîs, illum afferat fructum, quem à me

re-

requiris, & exspectas, jure tuo maximo, & ã me tot titulis tibi debitum, fac ô Domine per gratiam tuam, ut in ea non amplius crescant tot tribuli & spinæ ob meas resistentias, & infidelitatem in non cooperando gratiæ tuæ, ut sic benedictionem æternam nobis promissam à te accipere merear. *Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ, & rege eos, & extolle illos usque in æternum,* Ps. 17. 9.

§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§

FERIA SEXTA.

Adducunt ei surdum, & mutum; & deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Marc. 7. 32.

De obduratione cordis.

1. In quo consistat.
2. Quomodo quis in illam cadat?

PUNCTUM I. Quia alibi jam locuti sumus de spirituali muto, (Dom, 3. Quadr.) locus hìc est etiã loqui de surdo spirituali, cui peccatum aures cordis obduravit, ut aliud audire non possit, nisi quod cupiditati ipsius adulatur, & passionibus ejus favet. Loqui tali de veritatibus salutaribus, seu salute; idem est, ac mortuo loqui, & statuæ aliquid persuadere velle; etiamsi me monere volueris, ait S. Augustinus in suis confessionibus, l. 1. c. 2. frustra hoc fecisti; nam *obsurdueam*

strido-

stridore catenæ mortalitatis meæ, pœnâ superbiæ meæ. Surditas ista spiritualis aliud non est, nisi obduratio cordis, status planè omnium funestissimus, in quem quis labi possit. Potest hoc desumi, & judicari ex terribili illa descriptione S. Bernardi, l. 1. de consid. c. 2. qui ità alloquitur summum ecclesiæ caput: Ne quæras ex me, quid sit ista obduratio cordis, quia si non inhorruisti toto corpore, quando illam vel solumodò nominari audiisti, dico, quod ipsemet illâ jam labores. Cor durum illud est, quod seipsum non abhorret, quia insensibile factum est; noli iis tantùm insistere, quæ ego de hac duritia tibi dico; pete hoc ab ipso Pharaone, & disces clarè, quòd nullus unquam in hoc statu salutem suam operatus sit, nisi fortè ille, cui Deus, prout quidam propheta notat, per suam misericordiā abstulit cor lapideum, dedìtque pro eo cor carneum. Sed ulterius; quid est cor induratum? cor durum ipsum est, quod nec cōpunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, non cedit minis, flagellis duratur, ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, surdum ad correctiones. In rebus etiam inhonestissimis absqse pudore, in periculis sine timore, inhumanum in rebus humanis; temerarium in divinis; obliviscitur præterita; negligit præsentia;

nec

nec futura prævidet; de præterito nil in memoriam revocat, nisi injurias; de præsenti non cogitat, nisi quomodo seipsum perdat; in futurum vindictam meditatur; *& ut brevi cuncta horribilis mali mala complectar; ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur*. Ita Bernardus. Horror invadit nos, si tantum malum describi audiamus; sed quid à nobis sit, ut tanto malò non succumbamus? ipsi etiam clerici, & pastores sacri, in talem obdurationem cordis labi possunt, æquè ac alii simplices christiani. Ità est, ministri Domini! quicunque demum sitis, labi potestis in hanc miseriarum abyssum, seu duritiam cordis. S, Bernardus timuit, ne vel ipse summus Pontifex, quondam ipsius discipulus, in tali Ordine educatus, & nutritus, qui tunc temporis, pro omnibus, in regularitate, & pietate florebat, ad talem duritiam deveniret, quomodo ergo non etiam vos vobismetipsis timeatis? examinemus itaque

PUNCTUM II. Quomodo quis hanc obdurationem, & surditatem spiritualem incurrere possit. 1mo. incipit hæc spiritualis surditas, ac ordinariè initium ducit ex aliqua negligentia, & socordia in divino servitio. Uæ vobis, pastores, & ministri ecclesiæ, exclamat sanctus quidam episcopus, si sensim à devotione declinetis, & re-

ce-

cedatis! *væ tibi Episcope, si fons devotionis in te siccatus fuerit.* Barthol. Martyr. pisc. pastor. p. 2. c. 4. infallibiliter enim tui cognitionem, & obligationum tuarum amittes. Non ampliùs cruciaberis defectibus, & erroribus tuis; nullum vel modicum scrupulum, in certis rebus facies, quos tamen meritò habere deberes. Scìsne, ajebat S. Bernardus ibid. ad Eugenium Papàm, quo te perducere possint occupationes tuæ externæ, si orationem negligas, si in exercitiis pietatis langueas, vel ab iis remittas; eò te pertrahunt insensibiliter, quò ipsemet ire nolles; si ex me quæras: quo ergo? respondeo, ad duritiam cordis; *en quò te trahere habent hæ occupationes maledictæ! si tam pergis, ùt cepisti, ità dare te totum illis, nihil tui tibi relinquens.* Hæc S. Bernardi admonitio nos absque dubio longè magìs concernit, quàm sanctissimum hunc Papam. Quæcunque demum sint occupationes nostræ, tam necessariæ, tam utiles haud erunt ecclesiæ, quàm illæ hujus Pontificis. Itáque minimè negligamus orationem; hujus enim defectus obdurationis spiritualis initium facit. 2do. vires autem ex eo sumit, si quis nimirum mundo adhæreat. Quam primum anima ab amore mundi se abripi, & à falsis voluptatibus, honoribus, & caducis hisce bonis terrenis, fascinari

sinit,

finit, quasi furibunda obdurat aures suas, ne audiat vocem Domini, & salutaria hominum sapientûm monita, qui eam ab errore eximere, & in viam rectam, ac semitā salutis reducere vellent; *furor illis, secundùm similitudinem serpentis*, ait propheta, Ps. 57. 5. *sicut aspidis surdæ, & obdurantis aures suas.* 3tio. consummatur autem per impietatem. Potest quidem Deus pulsare ad portam talis indurati cordis; *ecce sto ad ostium, & pulso*, Apoc. 3. 20. tales nil prorsus respondent: *vocavi, & renuistis*. Omnia, quæcunque vobis adduxi, respuistis; absque fructu erant omnes correctiones meæ, ait Deus per os Sapientis, Prov. 1. 24. & 25. *despexisti omne consilium & increpationes meas neglexisti.* Vel si respondeant, eâdem hoc fit cum insolentia, ac ille impius & obduratus rex respondit, qui ausus est ità dicere ad Moysen Exod. 5. *quis est Dominus, ut audiam vocem ejus? nescio Dominum.* Et si nec verbulum ore proferant, saltem ità respondent per actiones suas, & pessimam dispositionem cordis sui. O quàm funestus, & deplorandus est status iste! sine dubio, absque horrore talia non audis? studésne autem te ab eo tantùm elongare, quantùm potes? magna miseria est, devenire in talem statum, nihilominus facilè etiam est, in eum cadere; hinc monet nos
eccle-

ecclesia quotidie per hæc verba prophetæ, quæ precibus, seu horis nostris canonicis præmittimus; *hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*, Ps. 94. 8. Pro præparatione ad Missam; stude ex hac admonitione proficere, ad quod te seriò invitat apostolus, quando Hebr. 3. 12. & 13. ait; *videte fratres, ne fortè sit in aliquibus vestrûm cor malum, incredulitatis, discedendi à Deo vivo; sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur*, ut non obduretur quis ex vobis, falláciâ peccati.

DIE SABBATHI.

Solutum est vinculum linguæ illius, & loquebatur rectè. Marc. 7. 35.

De detractione.

1. Quam sit commune vitium.
2. Remedia contra illud.

PUNCTUM I. RArò inveniuntur, de quibus in sensu morali dici possit, quod de isto homine evangelium asserit, cui Christus JEsus simul auditum, & loquelam restituit, quòd loquantur rectè. Plenus est mundus hominibus, qui malè loquuntur; desumamus hoc vel à nobis ipsis; & videbimus statim, valdè cõmunes, & ordinarios esse errores, quos in loquendo committimus; & quòd S. Jacobus jure merito dixerit: *si quis in verbo non offende-*

fenderit, hic perfectus est vir; lingua ignis est, universitas iniquitatis; inquietum malum, plena veneno mortifero. Jacob. 3. 2. & 6. Quis edicere valeat omne illud malum, quod lingua causat; maneamus hìc solùm in materia detractionis. Detractio, ait S. Thomas 2. 2. q. 73. a. 1. vitium est, quod reputationem & famam proximi denigrat per verba honori proximi injuriosa. Committitur hoc peccatum variis modis. 1mo. si innocenti crimen aliquod imponatur; & est *calumnia.* 2do. si alterius peccata exaggerentur, faciendo ex musca elephantem, id est, ex errore excusabili, vel levi. seu veniali, culpam mortalem. 3tio. si actiones proximi malè interpretamur, & bonum, quod facit, sinistrè accipiamus. 4to. si defectus aliquis occultus absque sufficienti ratione manifestetur; quia detractio non est, si iis manifestetur, qui remedium afferre possunt. 5to. si quis injuriosè sileat, nimirùm, cùm proximum laudare deberet, vel non nisi frigidè hoc faciat; vel laudando illud famosum, *nisi*; quod totum priùs allatum destruit. Vide nunc; an non aliquo ex istis modis malè locutus fueris de proximo tuo? quia maledicentia adeò vastè se extendit, ut non minùs inter clericos, quàm laicos, regnet; est quasi panis quotidianus modernæ conversationis, ut expressione,

seu illo loquendi modo, cujusdam prophetæ utar. Si sermo incidat de scientia, de pietate, vel de rebus de se indifferentibus, dici potest, quòd panis iste ferè quotidianus sit, in conviviis; ubique ferè in omni conversatione malè audit proximus; *devorant plebem meam, sicut escam panis.* Quod sunt etiam ex iis, qui pietatem colunt, quibus hoc vitium dominatur, nec scrupulum sibi de hoc faciunt, quamvis alia majora vicerint? ajunt, amare se veritatem; si autem amant, cur itaque angulos quærunt? ait S. Hieronymus Epist. 4. Rustico Monacho, *veritas angulos non amat; nec quærit susurrones.* Satìs clarè indicant, cor eorum plenum esse hypocrisi & mendacio; siquidē tenebras quærunt, ut bonos tantò crudelius denignare possint. *Acuerunt ùt gladium linguas suas. Intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in ocultis immaculatum,* Ps. 63. 4. Quàm turpe est, & ecclesiæ præjudiciosum, sacerdotes & etiam Religiosus, qui tamen quotidie Missam legunt, huic vitio tam infami, & honesto viro adeò indi gno, tàmque charitati christianæ opposito, deditos esse! deplora hìc cœcitatem eorum, & quamvis sibi ipsis, nescio, quàm illuminati videantur, cave, ne eos unquam imiteris; *nulli detrahas nec in eo te sanctum putes, si cæteros laceres,* pergit S. Hieronymo, ibid.

ibid. quia verò vitiū hoc adeò comūne est;

PUNCTUM II. Quænam remedia cōtra illud afferre oporteat, considera. 1mū. est pro clericis, ut nimirum bellum declarent huic vitio, illô ipsô zelô, quô idipsum fecit propheta regius, dum ità ad Deum dicebat: *detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar*, Ps. 100. 5, populòque suo ostendant, & declarent, quantorum malorum causa sit detractio; quamque difficulter hæc ipsa mala reparentur; faciliùs restituuntur cætera bona, quàm honor alteri ablatus; *qui detrahit alicui, ipse se in futurum obligat*, ait Sapiens Prov. 13. 13. 2dum, ut quis consortium detractorum evitet, quantùm fieri potest; *cum detractoribus ne commiscearis.* Et si cum iis præter voluntatem tuam conversari debes, conare discursum alio vertere, & sic impedire ne detractor finire possit historiam suam in ruinam illius, cui per eam nocere cupit; *conterebam molas iniqui*, dicebat Job. cap. 29. 17. *& de dentibus illius auferebam prædam.* Si silentium ei imponere non vales, talem te exhibe tuo modo agendi, ut planè colligi possit, te similia minimè approbare; hoc est consilium, quod Spiritus S. nobis dat per os Sapientis Prov. 25. 23. *ventus aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem.* Adeò exactus fuit S.

Auguſtinus in obſervatione hujus conſilii, ut Poſſidius referat, illum ſemper menſæ ſuæ ſuperpoſitos habuiſſe hos duos verſus:

Quiſquis amat dictis, abſentûm rodere vitam
Hanc menſam vetitam noverit eſſe ſibi.

3tium eſt, ut quis neque credat illis, neque audiat detractores. Non foret mundus adeò proclivis, neque auderet tantùm detrahere, ſi non tam faciles eſſemus in audiendo, vel credendo; *ſepi aures tuas ſpinis; & linguam nequam noli audire*, Eccleſ. 28. 28. neque dicas, hanc facilitatem audiendi, & complacentiam detrahentibus oſtenſam, defectum eſſe levem, & facilè condonabilem; ità enim reſpondet S. Bernardus l. 2. de conſid. c. 13. *detrahere, aut detrahentem audire; quid horum damnabilius ſit, non facilè dixerim.* 4tum eſt denique, nobis ipſis attendere, & cavere, ne de aliis ita loquamur, qualia de nobis dici minimè vellemus; *verbis tuis facito ſtateram, & frænos ori tuo rectos; & attende, ne fortè labaris in lingua, & cadas in conſpectu inimicorum inſidiantium tibi, & ſit caſus tuus inſanabilis in mortem*, Eccleſ. 28. 29. En media aliqua ad reprimẽdum pruritum malè de proximo loquendi! utere illis tam pro te, quàm pro aliis; quia verò ex te prorſus nihil potes, roga JEſum Chriſtum in præparatione tua ad Miſſam, ut linguam tuam attactu ſanctiſſi-

mi corporis sui sanctificare dignetur, ut eâ nunquam amplius utaris ad malè loquendum de proximo. Noli solummodo admirari effectus omnipotentiæ suæ, præcisè dicendo cum hominibus, qui hodierno miraculo interfuêre; *bene omnia fecit; & surdos fecit audire, & mutos loqui;* sed roga insuper ipsum, ut tui misereri, & labilem linguam tuam coërcere dignetur. Domine JEsu! cui soli cognita suut mala illa, quorum causa talis maledicentia existit, fac per gratiam tuam, ut quàm longissimè ab hoc vitio absimus. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meiis, ut non deinquam in lingua mea.* Doma, obsecro, linguā, quam ego ipsemet domare non possum; possum quidem vigilare, & frœnum aliquod ei imponere, & ad tempus illam coërcere; sed quis jactare seipsum valeat, quòd eam omninò ac integrè domârit, nisi ille, cui tu ad hoc gratiam tuam donaveris; *linguam autem nullus hominum domare potest,* Jac. 3. 8. nam ùt S. Augustinus serm. 55. de verb. ev. ait: *homo domat ferā, non domat linguam, domat ipse, non domat seipsū; ergo intelligamꝰ, quia, si linguam nullus hominum domare potest, ad Deum confugiendum est, qui domat linguam nostram.*

DOMINICA DUODECIMA POST PENTECOSTEN.

Fiducim autē talē habemus, per Christū ad Deum; non quòd sufficientes simus, cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est. 2. Cor. 3. 4. & 5.

DUO MEDIA AD CONFORTANDUM NOS, IN MINISTERIO NOSTRO.

1. Diffidentia de nobis ipsis. 2. Fiducia in Deo.

PUNCTUM I. PRima verba hujus epistolæ, toties à SS. Doctoribus citata, qui de divina gratia agunt, grandem in se instructionem, & doctrinam utilissimā continent; dum apostolus ait: *per JEsum Christum nos habere magnam fiduciam in Deo; non quòd simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed quòd omnis sufficientia nostra ex Deo sit,* docet quòd nobis ipsis diffidere, & in solo Deo fiduciam nostram ponere debeamus. Quæso, quomodo audebimus confidere in viribus nostris, cùm nequidem capaces, seu sufficientes ex nobis simus, vel unam tantùm bonam cogitationem concipere? tam grandis est paupertas nostra, ut de nobis ipsis aliud non habeamus, nisi mendacium & peccatum, prout quoddam concilium loquitur; *nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum,* Concil. Araus. 2. can. 22. certum est, exclamat author libri de imitatione Christi, id

de

de me ipso solùm cum veritate me affirmare posse, quòd nihil possim, *ex te*, ait l. 3. c. 4. *semper ad nihil tendis; citò laberis, citò vinceris, citò turbaris citò dissolveris. Non habes quidquam, unde possis gloriari, sed multa, unde te debeas vilificare; quia multò infirmior es, quàm vales comprehendere.* Talia de te ipso cogitare stude, quæ omnem christianum, maximè verò clericum decent; nam quò magìs elevatus es, & in sublimi stas, eò plùs timere debes infirmitati tuæ, & ne succumbas oneri ministerii tui, vel ipsis ãgelis formidando; *quantò magnus es, humilia te in omnibus; & coram Deo invenies gratiam;* ait Sapiens Eccles. 3. 20. diffide igitur viribus tuis, & luminibus tuis, in tot difficultatibus, & intricatis casibus identidem occurrentibus; agnosce humiliter coram Deo, quòd, si ipse te gratiâ suâ non sustentet, omninò impotens sis, ut tu tantis obligationibus tuis, & functionibus statûs tui debitè satisfacias. Nunquam obliviscere in confessionali, ad altare, apud ægrotos, & in omni simili occasione, infirmitatis, & inopiæ tuæ. Dic ad Deum: ô Domine! nil scio, nil possum; totum à te, & gratiâ tuâ exspecto, *non quod simus sufficientes, cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quia verò non sufficit, sibi ipsi solummodò diffidere;

PUNCTUM II. Adhuc aliud nobis S. Paulus ad manus dat medium confortandi nos in ministerio nostro, nimirum, ut totam fiduciam nostram in Deo collocemus, meritis D.N.J.C. inixi; *fiduciam talem habemus per Christum ad Deum.* Verum est, nos ex nobis ipsis nil posse; omnia autem possumus per auxilium gratiæ ipsius; *omnia possum in eo, qui me confortat,* Philip. 4. 13. supra quem textum hoc addit Concilium Tridentinum, Sess. 14. c. 8. pro instructione nostra, & consolatione: *quia ex nobis, tanquam nobis nihil possumus; eo cooperante, qui nos corfortat, omnia possumus.* Igitur nũquam despondeamus animum; Deus benedicet laboribus nostris, secundùm mensuram fiduciæ nostræ in ipso; quamcunque difficultatem in regendo populo nostro, & procuranda illius salute invenerimus, dicamus cũ S. Paulo Philip. 1. 6. *confidens hoc ipsum, quia qui cepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi JEsu.* Quodcunque periculum incurramus, manus nostras, oculosque in cœlum levemus ad eum, qui nos exinde liberare valet. Habent quidem boni clerici & pastores suos desolationis dies, ubi cum Paulo vehementissimè in Asia afflicto dicere possunt; *supra modum gravati sumus, ità ut tæderet nos etiam vivere.* Sed si, quemadmodum apostolus, quando-

que

que hanc sententiam mortis in nobis ipsis sentiamus, id propterea fit, *ut non simus fidentes in nobis; sed in Deo, qui suscitat mortuos*, 2. Cor. 1. 9. Felix ille clericus, qui agnoscendo paupertatem, nuditatem, miseriam, & ad omne bonum insufficientiam suam, à se ipso quasi discedit, ùt soli Deo inhæreat, in eòque omnem suam fiduciam ponat! experientur nimirùm effectus protectionis divinæ: *tantummodo confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos.* Pro Missa roga Christum JEsum, ut te in hac animi dispositione conservet, quâ omnia ab eo exspectas; ut augeat in te hanc tuam de se fiduciam, quam in infinitis meritis illius habere debes, & ut doceat te in omnibus ab ipso dependere. Ah Domine! nihil possum sine te! nil habeo absque te! nil boni ex me ipso habeo! omnia mihi desunt! ah; qui author es omnium bonorum, miserere mei! fac splendere misericordiam tuam supra nihilum meum, quod tamen donis tuis dotari, & effectus infinitæ bonitatis tuæ in se recipere capax est, ut quidam ait: *exceptorium bonitatis Dei*, S. Irenæus adv. hæres. l. 4. c. 24. Verum est, ex tam malo thesauro cordis mei aliud provenire non posse, nisi mala; tu autem, ô Domine! mutare potes corruptum cor meum, & illius inordinatos motus, & effectus re-

formare; fac Domine miraculosam hanc mutationem; hoc à te humiliter ac fiducialiter peto, hoc de magna misericordia tua exspecto; *fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te*, Ps. 32. 22.

§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§

FERIA SECUNDA.

Qui idoneos nos fecit ministros novi testamenti; non literâ, sed spiritu; littera enim occidit; spiritus autem vivificat. 2. Cor. 3. 6.

De ingressu in statum ecclesiasticum.

1. Non nisi sanctè dispositus amplecti debet statum Ecclesiasticum.
2. Interim plurimi vano fine, & ex respectu humano hoc faciunt,

PUNCTUM I. QUando S. Paulus dicit, Deum fuisse, qui eum dignum ministrum novæ legis fecit, satis ostendit, quòd non quilibet indiscriminatim aptus sit ad ministerium sacrū, sed requiri vocationem divinam, & debitas ad statum tam sanctum dispositiones. De hoc aliàs locuti sumus, sufficiat hìc dicere, has dispositiones adeò communes, & plebeias haud esse, ac sibi aliqui imaginantur, & ad hanc reflexionem occasionem nobis præbet expressio S. Pauli; *idoneos nos fecit ministros novi testamenti.* Non sumus tantùm ministri Domini, secundùm

litte-

litteram, prout in veteri testamento erant, sed secundùm spiritum gratiae; *non litterae legis,* addit S. Hieronymus in h. l. *sed spiritui gratiae ministrantes;* igitur facienda est aliqua electio inter eos, qui ad statum ecclesiasticum, & ad sacerdotium novae legis aspirant; oportet habere sanctam intentionem, & omninò puram serviendi ecclesiae, & Deo; nam, quia functiones sacerdotis omninò sanctae sunt, & divinae, debet etiam motivum iis se mancipandi, eásque exercendi, prorsus divinum esse. *Quis tanto muneri par esse queat, nisi divinus Spiritus animam illius illustrarit,* ait S. Isidorus Palusiota, Ep. l. 3. ep. 145. oportet eum, qui huic sacro ministerio satisfacere cupit, habere virtutem & fidelitatem omninò probatam; non debent ministri JEsu Christi, & ecclesiae desumi ex iis, qui primum aliquot diebus Dei esse ceperunt; *non neophytum,* prout apostolus 1. Tim. 3. 6. ait; praesertim, si se Deo adeò imperfectè dederunt, ut adhuc sui ipsius sint, & mundo huic adhuc in pluribus rebus adhaereant, adeò ut de iis dici possit cum Elia 3. Reg. 18. 21. *Usquequo claudicatis in duas partes?* fidelitas ista principalis illa est qualitas, quam Deus in & à suis ministris petit, & exspectat; *suscitabo mihi sacerdotem fidelem,* ait Deus 1. Reg. 2. 35. ad Heli, loquens de Samue-

le,

le, *qui juxta cor meum, & animam faciet.* In quo eodem sensu loquitur etiam S. Paulus, dum 1. Tim. 1. 12. ait, *fidelem me existimavit, ponens in ministerio;* & exhortando discipulum suum Timotheum, ut magìs ac magìs semper in gratia proficeret, comendat ipsi, ut fideliter custodiat depositum, ab ipso acceptum, doceátque ità alios, ut & ipsi docere possint alios; *quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere* 2. Tim. 2. eràsne ità dispositus, quando ecclesiasticum statum amplexus es? habésne talem fidelitatem saltem nunc? ésne constans in ministerio tuo? servísne Deo, & ecclesiæ? ah! quàm pauci sunt hodiedum in ecclesia, qui taliter & tam sanctè dispositi ad sacros Ordines accesserunt; & ut magìs adhuc te convincam;

PUNCTUM II. Conjice oculos tuos in eos, qui statum & officia ecclesiastica amplectuntur; & invenies majorē partem, non nisi ex motivis vilibus, terrenis, vel omninò peccaminosis, id facere. *Cæterum curritur,* ait S. Bernardus ad Henr. sen. arch. de off. ep. c. 7. *in clero passim ab omni ætate, & ordine, à doctis pariter, & indoctis, ad ecclesiasticas curas, tanquam sine curis jam quisque victurus sit, cùm ad curas pervenerit.* Quare sacerdotes, curati, beneficiati fiunt? anne,

anne, ut ecclesiæ serviant, & pro salute animarum laborent? nil minùs; ideo hoc fit, ut eo commodius vivere, mundóque eò liberius uti, & frui valeant sub prætextu servitii divini; *volunt frui mundo; uti Deo.* Ministerium sacrum aliter non considerant, nisi tanquam artem aliquam, vel opificium mechanicum, unde ditiores fieri queant, vel ab hominibus æstimentur, & in honore habeantur nonverò, ut exemplum virtutis; *sacrarium ipsum ambiunt,* ait S. Greg. Nazianzenus Orat. 1. *& circa sacrosanctam mensam sese invicem premunt, ac protrudunt, tanquam non virtutis exemplum, sed victûs parandi occasionem, & subsidium, hunc ordinem esse judicantes.* An non sic dignos se reddunt illa reprehensione Filii Dei, quam Judæi audire meruerūt; *quæritis me, non quia signa vidistis, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis,* Joan. 6. 26. *per eorum personam,* ait Gregorius M. l. 22. mor. c. 26. *Dominus illos intra sacram ecclesiam detestatur, qui per sacros Ordines ad Dominum propinquantes, non in eisdem Ordinibus virtutum merita, sed subsidia vitæ præsentis, exquirunt, nec cogitant, quid vivendo imitari debeant, sed quæ compendia percipiendo saturentur.* Anne ergo mirum deinde sit, tam parum fructûs ab ejusmodi clericis afferri? concionentur, consilia dent, exte-

ri-

rius functiones suas peragant; quia tamen hæc omnia interius Spiritu Dei destituta sunt, vana sunt, & inutilia; & iis impletur terribilis illa comminatio Domini; *de eis ubera arentia, & vulvam sine liberis*, Osee 9. 14. O quàm uberem materiam suppeditat hæc sententia, ingemisce coram Deo super tot personis, qui sanctitatem statûs nostri adeò profanat! vide autem, utrum non ipsemet per unam ex allatis viis illegitimis, & peccaminosis in illam ingressus fueris? si ità est, repara defectum hunc ingressûs tui, antequam ad altare accedas; & pro præparatione ad Missam cape hanc firmam resolutionem, deinceps in sacerdotio aliud non quærendi, nisi exercitium virtutum, salutem tuam propriam, & aliorum. *Sacerdoti pro opibus est virtutis ornamentum, pro voluptate castitas, pro luxu frugalitas, pro lætitia, eorum, quibus præest, ad virtutem incrementum. Quod si quis contraria his instituta sequens, sacerdotii nomine gloriatur, hic prophanus est, atque imperio indignus*, Isidorus Palusiota l. 3. epist. 354.

FERIA TERTIA.

Quòd si ministratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ità ut non possent intendere filii Israël in faciem Moysi propter gloriā vultûs ejus, quæ evacuatur; quomodo

modo non magis ministratio spiritûs erit in gloria. 2. Cor. 3. 6, 7. & 8.

EMINENTIA MINISTERII ECCLESIASTICI, SUPRA MINISTERIUM VETERIS TESTAMENTI.

1. In quo consistat? 2. Quid à nobis requirat?

PUNCTUM I. EXtollit hìc S. Paulus ministerium evãgelicum, & ostendit excellentiam illius supra illud veteris legis, in tantùm, ut materiam nobis suppeditet consideratione & meditatione omninò dignissimam. Verum est, ministerium Mosaicum multâ gloriâ fuisse præditum; nam propheta hic adeò resplenduit, ut filii Israël in faciem ipsius non possent intendere, nihilominus erat solummodo ministerium mortis; *ministratio mortis*; gloria illius solummodò extrinseca, & exterior erat; *litteris deformata in lapidibus*; & duratio illius certo tempore circũscripta; nimirum usque ad adventum Domini nostri J. C. *propter gloriam vultûs ejus, quæ evacuatur*; pro eo, quod ministerium evangelicum tale est, cujus author ipse Spiritus Sanctus est, qui vitam & veram justitiam tribuit; *Ministratio spiritûs;* cujus duratio omninò & æterna est in Christo JEsu, & membris illius, ùt S. Augustinus, hom. 50. c, 3. explicat; *adjuncto scilicet corpore, cui caput est.* Quia totus Christus, id est,

Chri-

Christus JEsus, & electi illius, per totam æternitatem, sacerdotes erunt, & victima, offerendo se ipsos continuò in sacrificium soli Deo viventi, & vero, ut illi debitus honor, & gloria sine fine tribuatur. Ornamēta sacerdotalia ante legem gratiæ, tintinnabula, malogranata, lapides pretiosi, quos summus sacerdos in pectore gestabat, mithra, thiara, habitus, lamina aurea, sancta sanctorum, solitudo, & silentium, quod ibi erat in usu, erant quid venerabile, & terribile; si hoc totum autem comparetur, ait S. Chrysostomus, cum eo, quod est in nova lege, videbitur statim, quod valdè modicum sit; totùmque, quod gloriosum fuit, in sacerdotio Aaronis, nihil esse comparatum cum pretio supereminentis gloriæ sacerdotii JEsu Christi. Si Dominum nostrum in altari positum, & immolatum, sacerdotem hoc sacrificium celebrantem, populùmque tinctum, & sanguine isto pretioso rubentē, cernis, putásne te adhuc inter homines versari, & super terram? an non eodem momento raptū te in cœlū credis? exclamat hic S. Doct. l. 3. de sac. c. 2. sacerdotes, judaici immolabant victimas Domino; mactabant boves, oves, tauros, & sanguinem horum animalium super altare effundebant; nos verò hoc honore & gloriâ gaudemus, ut divinissimam carnem ipsius Filii Dei immola-

molare possimus; lingua nostra gladius spiritualis est, per quam perficitur hoc sacrificium; ipsi offerebant panes propositionis; & nos panem angelorum, & verum panem vitae offerimus. Levitae portabant diversas partes tabernaculi, & in humeris suis arcã Dei; & nos in manibus nostris portamus veram arcam, & pretium salutis nostrae; ipsi sanctificabant populum, per varias caeremonias, & purificationes; verùm sanctitas ista non nisi exterior erat, & legalis, illa quam nos conferimus fidelibus per sacramenta, interna est, & spiritualis; & nos sumus cooperatores Spiritûs sancti, ut lex divina in cordibus hominum insculpatur; *epistola ertis Christi, ministrata à nobis*, dicebat S. Paulus, 2. Cor. 3. 3. *scripta, non atramento, sed Spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Mirare hìc sublimitatem ministerii evangelici, & in puncto 2do. considera, ad quid te illa obliget?

PUNCTUM II. Omnes istae praerogativae, quae nos superiores faciunt sacerdotibus veteris testamenti, obligant nos ad conservandam gloriam ministerii nostri per sanctitatem vitae nostrae; *sint ergo sancti, quia & ego sanctus sum*, ait Dominus Levit. 21. 8. de sacerdotibus de stirpe Aaron; quales ergo esse debebunt ministri & sacerdo-

tes legis novæ? *si in figura tanta observantia, quanta in veritate?* ait S. Ambrosius, l. 3. offic. c. 10. *tantùm inter sacerdotem, & quemlibet probum virū interesse debet, qunatùm inter cœlum & terram, discriminis est*, ait S. Isidorus Palusiota, l. 2. epist, 205. quia gratia ministrorum sacrorum longè sublimior & abundantior est, illi etiam vita illorum proportionata esse debet, ait S. Ambrosius; virtus illorum offuscare debet laicorum virtutem, quemadmodum majus lumen minus; *debet præponderare vita sacerdotis*, sicut præponderat & gratia. *Erubescant sacerdotes*, ait Petrus Blessensis. l. de dign. sacer. c. 2. *si sacratioris vitæ inveniantur laici, qui sœculi hujus fluctibus immersi sunt.* Studeamus itaque honorare ministerium nostrū, non per hoc, ut instar sæcularium adeò scrupulosi simus, in exigendo respectu, & honore, nostro statui debito, sed per vitam ordinatam, regularem, & exemplarem; per pietatem sinceram; per patientiam magnā; per constantem mansuetudinem. Eniteat in & ex omnibus actionibus nostris modestia, & humilitas JEsu Christi; charitas & zelus pro gloria Dei; vivamus, ùt decet ministros Christi JEsu; eodem agamus spiritu, non solùm in cathedra, ad altare, in tribunali pœnitentiæ, sed in omni prorsus occasione. Conversatio nostra in mundo Christi

sti conversationi similis sit. Oratio nostra, uno verbo, tota vita nostra illum imitetur; & quia ministerium nostrum, quô nos dignatus est, æternùm durare debet, nunquā à memoria nostra abscedat æternitas; nil dicamus, nil faciamus, nisi quod ad illam tendat, ad eamque nos feliciter perducat. Talibus cogitationibus teipsum occupa pro præparatione ad Missam. O Domine, qui mihi ministerium adeò gloriosum concredisti, ne permittas, obsecro, ut tantam, támque augustam dignitatem per vitam indignam, dehonestem, & vilem faciam; sed fac per gratiam tuam, ut illo fideliter fungar, quamdiu super terram vixero, ut idipsum deinde continuare valeam in cœlo, modo infinities magìs perfecto, in persona JEsu Christi Filii tui, & ut membrū corporis ipsius gloriosi; id quod à te peto, per merita hujus summi Pontificis novæ legis, qui semper vivit ad interpellandum pro nobis. *JEsus autem, eoquòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium, unde & salvare in perpetuum potest, accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis*, Hebr. 7. 24. & 25.

FERIA QUARTA.

Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Luc. 10. 23.

DISPOSITIONES PRO devotè AUDIENDA MISSA.

1. Modeſtia corporis. 2. Devotio cordis.

PUNCTUM I. DEberent nobis verba iſta Chriſti ad diſcipulos ſuos dicta eſſe valdè familiaria; deberemùſque illis uti ad nos ipſos excitandos, & mutuò adhortandos; ad gratias Deo agendas pro iſto privilegio ſingulari, & gratia ſpeciali, quòd nobis myſteria ſua ſacroſancta revelaverit, & patefecerit res tam grandes, quales multi prophetæ & reges diu & ardentiſſimè videre, & audire deſiderârunt; *dico enim vobis, quòd multi prophetæ & reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt; & audire, quæ auditis; & non audierunt.* Verum eſt, nos hanc gratiã non habere, ut cum apoſtolis videre poſſimus JEſum Chriſtum ſub ſpecie propria & ſenſibili, & ex proprio ipſius ore percipere oracula veritatis, & verba vitæ æternæ; verùm legimus iſta in evangelio, & impleta videmus in eccleſia; poſſidemus in ſanctiſſima euchariſtia illum ipſum JEſum Chriſtum, qui tempore apoſtolorum vixit, & cum ipſis converſatus eſt; quotidie offerimus ipſum in ſacris altaribus noſtris, quæ aliud non ſunt, niſi thronus corporis & ſanguinis JEſu Chriſti, prout quidam ex antiquis Patribus loquitur: *quid eſt altare, niſi*

ſedes

sedes corporis & sanguinis? quanta felicitas nostra, testes nos esse posse tot mirabilium? *beati oculi qui vident, quæ vos videtis,* Optat. Milevit. l. 2. contra Parm. Proficiamus exinde, & consideremus in particulari, quomodo sacro sancto Missæ sacrificio assistere debeamus? prima dispositio, quam afferre debemus, est modestia corporis, quæ secundùm SS. PP. consistit 1mo. ut nunquã ad ecclesiam veniamus, nisi in vestitu decenti; *in ecclesiam oportet venire, virum, & mulierem honestè indutos, silentium amplectantes, castos corpore, castos corde, ad Deum rogandum aptos,* ait S. Clemens Alexandrinus, Pædag. l. 3. c. 11. Clerici nunquam ibi comparere debent sine tunica & superpelliceo, nisi sint in itinere constituti, aut alia prudenti ratione quoad hoc dispensentur; semper tamen habitum modestum, & statui ipsorum convenientem gestare debent. 2do. oportet ibi servare profundum silentium, durante Missa; *tibi silentium laus.* Si opus sit aliquid loqui, hoc fiat non nisi submissè, & paucis verbis. Quod etiam in sacristia observari oportet, quæ est pars ecclesiæ, & locus recollectionis, ubi ministri altaris se præparare debent ad celebrationem sacrorum mysteriorum; *silete à facie Domini Dei, quia præparavit Dominus hostiam, sanctificavit vocatos suos,* Sophon.

1. 7. 3tio. durante Missa genua flecti debēt, exceptis duobus evangeliis, sub quibus erecti stamus. *Mihi curvabitur omne genu*, Is. 54. 23. si sit officium solenne, talis compositio externa observari debet, qualem chorus observat; genuflectendum, si sanctissimum sacramentum pertranseundum; caput detegendum; facienda inclinatio; cæteræque aliorum cæremoniæ observandæ cum gravitate quadam, ac devotione tanta, quantam meretur majestas Dei, in ecclesiis nostris habitantis; *pavete ad sanctuarium meum*, Levit. 2. 6. 4to. durante Missa non debemus huc illuc circumspicere, sed continere oculos nostros, & ità exterius, quoad totum corpus, esse dispositi, ut ex omnibus eluceat pietas aliqua, & devotio animæ cum Deo conversantis. *Omnes in templo se ità componant*. ait Concilium Rhemēse, A 1583. de cultu divino, *ut sibi non cum homine, sed cum Deo rem esse intelligant*. Observastine modestiam talem modò descriptam, támque necessariam, ut ecclesia prohibeat sacerdotibus legere Missam, si illi, qui adsunt, exterius non ostendant, non solùm corpore, sed etiam spiritu, & sancta cordis attentione, præsentes se esse, Concil. Trid. sess. 22. decr. de observ. & evit. in celebr. Missæ. quia autem hæc exterior dispositio nondum sufficit;

PUN-

PUNCTUM II. Considera, quòd externæ compositioni corporis adjungere oporteat devotionem cordis; inhærere nos totos oportet meditabundos infinito Dei amori, qui Filium suum nobis dat, ac infinitæ charitati hujus ipsius Filii! qui seipsũ absque ulla reservatione nobis communicat; & offerre sacrificium Missæ ad illum quadruplicem finem, in quem institutum fuit, omnémque obligationem nostram in se claudit. 1mo. igitur ab initio Missæ usque ad offertorium *adoratio nostra* fiat; agnoscamus infinitam Dei bonitatem, & supremũ dominium, ac potestatem illius in omnes creaturas; quòdque omnia ab eo dependeant, & consequenter quidquid habemus & quidquid sumus, ab eo esse; contestemur humiliter nos insufficientes esse ex nobismetipsis ad dignè laudandum & glorificandum magnum hunc Deum, qui non nisi per JEsum Christum Filium suum dignè honorari, & laudari potest, prout Lactantius l. 4. instit. c. 29. ad paganos scribens ajebat; *summus ille, ac singularis Deus, non potest, nisi per Filium, coli.* Offeramus ei hunc suum Filium, tanquam hostiam laudis; quæ sola supplere potest id, quod adorationi nostræ, ac debito homagio deest. *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium*

nomini ejus, Hebr. 13. 15. 2do. ab offertorio usque ad consecrationem humilem Deo gratiarum actionem exhibeamus, dicendo cum propheta; *confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia ejus*, Ps. 135. jungamus voces nostras cum ecclesia, unàque cum illa *gratias agamus Domino Deo nostro*; vel potiùs cumChristo JEsu sequentes consilium Pauli, Ephes. 5. 20. *gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini JEsu Christi, Deo, & Patri*. 3tio. post consecrationem usque ad communionem oportet petere à Deo veniam ad exemplum publicani, percutiendo pectus nostrum, & dicendo; *propitius esto mihi peccatori*. Ingemiscamus, & misericordiam imploremus per illum, qui misericordiæ viscera induit, dum factus est pro nobis homo; quique adhuc super altari non aliter, quàm in cruce existit, tanquã victiã propitiatoria non pro nostris tantùm, sed & pro totius mundi. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto*, Luc. 1. 4to. à communione usque ad finem Missæ, si non communices realiter, fieri hoc debet spiritualiter cum sacerdote, assumendo pro exemplari centurionem illum evangelicum qui se indignum judicavit, recipere JEsum in domum suam; *Domine non sum dignus &c.* deinde petendæ sunt gratiæ nobis, & aliis neces-

necessariae, & quidem firmâ hâc fiduciâ, recepturos nos certò easdem, si eas in nomine D.N.J.C;petierimus *si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, Jo. 16.23. alia adhuc methodus Missam devotè audiendi, quae hic omittenda non est, & quae specialiter pro clericis est, illa est; ut quis seipsum uniat, seu conjungat cum sacerdote, omniaque unà cum illo faciat, quae ipse facit, & dicit; humiliare nos debemus, orare, laudare, gratias agere, offerre, immolare, cõmunicare, necessitates Deo & indigentias nostras commendare, unô verbô, in omnibus ipsum sequi, & comitari, certò de hoc persuasi, nos non ideò solùm in ecclesia congregatos esse, ut Missae sacrificio praesentes simus. sed insuper, ut id ipsum unà cum sacerdote offeramus Deo, illìque sacrificium corporis & sanguinis JEsu Christi immolemus. Habuistíne hanc devotionem in auditione Missae? an non è contrario astitisti absque ulla devotione, cum distractionibus voluntariis; phantasiam tuam mille aliis inutilibus cogitationibus occupando; mille aliena negotia tecum tractãdo; vel etiam peccaminosa desideria, & passiones in corde tuo fovendo? examina defectus ex hac parte commissos, & propone emendationem. Pro praeparatione ad Missam; considera, quòd si tam magna &

ſedula diſpoſitio ad illam benè audiendam requiratur, quid Deus à te requirat, ut ipſe dignè celebrare poſſis! *terribilis* eſt locus, in quo Deo Patri ejus unigenitus immolatur; ideò quiſquis accedit, ad tantæ ſanctificationis miniſterium, neceſſe prius habet deponere omnem immunditiam operũ mortuorum, Petrus Bleſ. ep. 123.

§.*§.*§.*§.*§.*§.*§.*§.*§.*§.*§.*§.*§

FERIA QUINTA

Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo? at ille dixit ad eum: in lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis? Luc. 10. 25.

De sacra scriptura.

1. Debet eſſe regula deciſionum noſtrarum.
2. Pauci ſunt ex clericis, qui hanc regulam ſequuntur.

PUNCTUM I. Mirare, & imitare ſapientiſſimum agẽdi modum Chriſti JEſu! venit ad eum quidam legis doctor, & ut eum caperet in ſermone, propoſuit illi dubium quoddam momenti ſanè maximi, nimirum, quid ſibi facto opus ſit, ut regnum cœlorum conſequeretur? Salvator remiſit eum ad decalogum, obligavítque ſic eum, ut ſuam propriam quæſtionem ipſemet ſolveret; *in lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis?* en totum id, quod iis, qui nos conſulunt, dicere debeamus! neque aliud nobis reſpondere pote-

runt,

runt, nisi quod hic legis doctor respondit: *diliges Dominum Deum &c.* Nos autem adjungere debemus; vide igitur, utrum simul & Deum, & pecunias diligere possis? utrũ permissum tibi sit, hoc vel illo modo pecunias corradere? vide utrum hoc sit amare Deum, si vindictam sumere velis de iis, quibus ex præcepto divino ignoscere debes? vide, utrum hoc sit diligere Deum, si statũ clericalem, hoc vel illud officium aggrediaris contra ipsius voluntatem? per fenestram, & non per ostium? vide, utrum hoc sit amare Deum, si medietatem temporis tibi concessi in vanam & inutilem conversationem, vel otium impendas, vel perdas? hæc est illa principalis regula, & primum principium, ex quo omnes casus nostri, & occurrentes difficultates solvi, & decidi debent; principium istud ad omnes casus particulares applicari debet; hoc SS. PP. observarunt, ùt videre est in eorum scriptis, seu libris moralibus, in magnis & parvis regulis S. Basilii; hoc ipsum ipsemet Deus nobis præscripsit; nam post datam Hebraico populo legem expresse eis per Moysen præcepit, ut nullâ aliâ regulâ uterentur in suo modo vivendi, & agendi, ac nunquam proprio suo sensui acquiescerent; *non facietis singuli, quod sibi rectum videtur &c. sed facies, quæcunque præcipio tibi,* Deut. 12. In

hunc

hunc ipsum finem Dei Filius discipulis suis in nova lege claris terminis dixit, quòd nunquam sequi debeant neque proprium judicium, neque consuetudinem, neque fallacem hominum opinionem, sed unicè verbum, quod eis locutus fuit, & annuntiavit, futuram esse regulam decisivam de illorum felici vel infelici æternitate; *sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die*, Joan. 12. 48. Infelices igitur sunt, qui alibi, quàm in lege Dei, & sermone illius, regulas vivendi, ac morũ suorũ quærunt! felices autem illi, qui ex toto corde se applicant, ut verum sensum divinorum præceptorum penetrent, dum ea legunt, aliis consulunt, aut studio divinæ scripturæ incumbunt; haurient enim ex illa lumẽ necessarium, tum ad se dirigendos, tum ut alios quoque instruere valeant; *beati, qui scrutantur testimonia ejus; in toto corde exquirunt eum*, Ps. 118, Quamcunque difficiles, & diversæ sint ægritudines spirituales, & morbi animarum, invenient ibi remedia, & congrua, & efficacia ad iis medendum; *neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia*, Sap. 16, 12. Id, quod ansam dedit S. Basilio, Epist. 1. ad Gregor. Naz. dicendi, oportere S. scripturam non aliter considerari, & æstimari, quàm instar officinæ medi-

ca-

camentariæ; *in quacunque re se unusquisque indignum esse senserit, si in illis conversatur, velut ex communi medicamentaria officina, medicamentum ægritudinis commodum, reperit.* Gratias igitur Deo agamus, quòd nobis de tam potenti, ac tam necessario remedio providerit ad regulandos mores nostros, & nostrum vivendi modum instruendi. Ingemiscamus autem simul, quòd tam pauci inveniantur clerici, qui hanc regulam sequuntur; prout mox videbimus.

PUNCTUM II. Sacra scriptura liber est librorum; liber est sacerdotum; & juxta pulcherrimam expressionem S. Dionisii, & Concilii secundi œcumenici Nicæni, fundamentum, substantia, & fulcimentum sacerdotii; *nostræ hierachiæ substantia sunt eloquia divinitùs tradita,* lib. de eccles. Hierarch. c. 2. deberet omninò continuò in manibus nostris esse, & consolari nos, in omni pressura ministerii nostri, *pro solatio habentes libros sanctos, qui sunt in manibus nostris,* 1. Machab. 12. id quod cum Machabæis dicere deberemus. Interim major pars clericorum hôc contenti sunt, si illam in bibliotheca sua habent, quin illam legere velint; vel si legunt quandoque, hoc non nisi raptim, & festinanter fit, absque debita reflexione. Sacra scriptura oraculum est veritatis; & juxta prophetam, os Domini.

Os Domini locutum est, If. 1. 20. per illam enim explicat Deus, & anuntiat hominibus intentiones, & voluntates suas. Sed, ubi sunt illi clerici, qui hoc divinum oraculum consulunt, prout oportet, ad quod ipse Christus JEsus nos remisit, ad quærendum in illa intelligentiam mysteriorum, & veritatum suarum: *scrutamini scripturas; illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*, Joan. 5. 39. Habetur scriptura divina pro libro erudito, & scientifico, ubi discimus memorabilia illa, quæ à creatione mundi successivè evenerunt; in quo declarantur nobis veritates speculativæ, & mysteria, quæ capacitatem intellectus nostri superant, & transcendunt; non verò consideratur à nobis tanquam liber directivus, cujus principalis finis, & intentum est, ordinare, & regulare mores nostros; indicare nobis obligationes nostras; ostendere nobis viam salutis; illiùsque semitas nobis demonstrare, ne aberremus à via, quæ ducit ad vitam, prout ait propheta: *lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis* Ps. 118. Hinc est, quòd lectio S. scripturæ negligatur, ac pro eo, quòd testimoniis illius innitantur, sequantur non nisi alios authores, qui sæpissimè pro suis probationibus aliud non afferunt, quàm quòd unus alterum citet; & cùm vitiis bellum indicere deberent,

po-

potiùs videantur ex professo subministrare velle media, quibûs justificentur; & passionibus hominum satisfiat, tractando similia, quasi solùm problematicè. Longè aliter se gesserunt SS. PP. hinc ajebat S. Augustinus ad S. Hieronymum epist. 82. nov. edit. scribens; *alios autem ità lego, ùt quantalibet sanctitate, doctrinaque polleant, non ideò verum putem, quia ipsi ità senserunt, sed quia mihi, vel per illos authores canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Imitare hunc S. Doctorem; neque tam facilis sis in decidendo; consule Caustas suo tempore; sed benè tecum expende, & examina rationes illas, quas afferunt, utrum scripturæ divinæ, & legi Dei conformes sint; ità agendo & evitabis laxitatem, & nìmiam severitatem in materia morali; *homo timens Deum, voluntatem ejus in scripturis sanctis diligenter inquirit,* Idem l. 2. de doct. christ. Pro præparatione ad Missam; roga Dominum, ut tibi hunc prudentem agendi modum inspiret; & propone deinceps, quolibet die lectionem aliquam ex S. scriptura peragere, ut veritates illius intelligendo & penetrando etiam alios docere possis; *attende lectioni, & exhortationi, & doctrinæ,* 1. Tim. 4. 13. O Domine, qui abscondisti in libris sacris scientiam salutis, inspira mihi ardens desideriũ

hu-

hujus sacræ lectionis; fac me ità intelligere sensum illorum verborum, ut neque me ipsum legendo, neque alios docendo & instruendo decipiam; ùtque non solùm firma fide credam veritates inibi contentas, sed pariter etiam fideliter easdem exequi studeam, támque purè id ipsum alios doceam, ut nihil à me omittatur, quatenus sic promerear magnus fieri in regno tuo cœlesti; *Jota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant; qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum; qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum,* Math. 5. 18. & 19.

FERIA SEXTA

Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet eâdem viâ; & visô illô præterivit; similiter & levita, cum esset secùs locum, & videret eum, pertransivit. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secùs eum, & videns eum, misericordiâ motus est. Luc. 10. 31. 32. & 33.

De amore proximi.

1. Duritia sacerdotis, & levitæ.
2. Charitas samaritani.

PUNCTUM I. DOctorem hunc, de quo evangelium istud, quærentem à Christo Domino, quis suus esset proximus, quem lex præcipit dili-

diligere, eò adegit Salvator, ut ipse per semetipsum hanc propositam quæstionē solveret, dum ei proposuit historiam de quodam homine, descendente ab Jerusalem in Jericho. Incidit hic in manus latronum, qui despoliaverunt eum, multìsque affectum vulneribus, semimortuum dereliquerunt. Præteriêre tres personæ, sacerdos, levita, & samaritanus, ex quibus non nisi hic ultimus compassionem cum illo habuit, eìque auxilium tulit. Quis ergo ex istis tribus proximum se exhibuit huic homini adeò miserabili, ajebat ad illum Salvator? ille, qui misericordiam ei exhibuit, respondit legis Doctor; *vade, & tu fac similiter*, subjunxit Christus. Illusio itaque est, siquis credat, quòd amet proximum suum, erga quem se indifferentem exhibet; opera nimirùm lingua cordis sunt; & quemadmodum non omnes, qui dicunt: *Domine, Domine, intrabunt in regnum cœlorum*, sic neque illi, qui compassionem solummodo aliquam ostendunt proximo, absque actuali auxilio: ex fructibus, & non ex foliis æstimatur arbor, & bene bonitate illius judicium fertur. *Qui habuerit substantiam hujus mundi; & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* 1. Joan. 3. 17. *Si frater, & soror, nudi sint, & indigeant victu quotidiano; dicat au-*

tem aliquis ex vobis illis, ite in pace; calefacimini, & saturamini; non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori; quid proderit? Jacob. 2. 15. & 16. an non talis mendax est, & fallax? putátne, Deum verbis solummodò contentum fore? an non exspectandum ipsi erit judicium sine misericordia, quia absque misericordia fuit? *judicium sine misericordiâ ei, qui non fecit misericordiam.* Non igitur amemus, quemadmodum sacerdos iste, & levita, qui quidem ad aliquam compassionem movebantur; ad hoc enim sufficit, ut quis præcisè homo sit; verùm, qui in hoc solummodò quieverunt, & homini huic adeò miserabiliter sauciato, quem in via invenerunt, nullum prorsus auxilium tulerunt. Qualis confusio erit pro istis duobus ministris antiquæ legis, quòd sibi coronam hanc eripi permiserint, quam illis divina providentia offerebat, præbendo eis tam pretiosam occasionem exercendi charitatem? quanta autem erit confusio, imò desperatio tot clericorum nostri temporis, qui tot bonis ecclesiasticis gaudent, magnis redditibus abundant; insuper magnô patrimoniô fruuntur, qui tamen tot pauperes negligunt consolari, qui præ fame, & aliis miseriis moriuntur? qui ferrea erga tales viscera ostendunt? qui nequidem dignantur eos vel unicô obtutu? quos vel

ante januas propriæ domûs præ fame tabeſcere ſinunt, dum ii interim inſtar divitis epulonis, non niſi genio ſuo indulgent, & opiparè vivunt? *bibentes vinum in phialis, & optimò unguentò delibuti; & nihil patiebantur ſuper contritionem Joſeph,* Amos 6. 6. Dum miſeri plebei, pauperes viduæ, ſua omnia, ſanitatem, & quibus ipſi indiguiſſent, dant, ut neceſſitatibus proximi ſubveniant? *ideo ipſi judices veſtri erunt,* Math, 12. 27. Ita eſt, iterum repeto, ſimplices laici, Calviniſtæ, Lutherani, imò idololatræ exurgent in judicio contra tales duros, & plùs quàm barbaros decimatores, qui nec eccleſiæ, nec pauperibus parochiæ vel beneficiorum ſuorum, ex quib9 tam pingues redditus percipiunt, quidquã applicant; *ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam,* Math. 12. 42. Deplora tantam duritiem, & vide, utrum non ipſe in hoc genere reus ſis? poſtea

PUNCTUM II. Admirare charitatẽ ſamaritani, qui huic miſerabili homini totum ac omne id præſtitit, quòd vel à ſacerdote, vel à proprio fratre ſperare potuiſſet. Quamprimùm eum vidit, commota ſunt viſcera illius præ commiſeratione; acceſſit ad eum, infudit vinum & oleum in plagas ejus, faſciis eas obligavit; jumento ſuo eum impoſuit; ad hoſpitium duxit, magnam il-

lius curam gessit; deditque hospiti expēsas pro eo, additâ promissione, se etiam reliqua persoluturum, quæ supererogaturus esset pro eo. En quid sit habere charitatem! en quid sit amare non solùm mente, vel verbo, sed effectivè, prout scriptura præcipit! *non diligamus verbô, neque linguâ, sed opere, & veritate*, 1. Joan. 3. 18. Nos locum tenemus hujus samaritani, cujus exemplum nobis ad imitandum proponit Salvator; nostrûm igitur erit, curam in nos suscipere pauperum, & miserabilium personarum; hæc enim una est ex principalioribus obligationibus clericorum, præsertim pastorū, prout notant sacra concilia; *ut curam agant miserabilium personarum*, Conc. Trid. sess, 23. c. 1. item. 1. 2. q. 1. gloria episcopi. Et verò, cur tot sunt bona, & reddit9 ecclesiæ, nisi ut applicentur iis, qui talibus indigent; igitur applicemus nos ad iis subveniendum; nostráque charitas non solùm extendat se ad miserias ipsorum temporales, & corporales, sed & ad spirituales, quæ longè majores sunt, quamvis non ità sensibiles; remedium iis afferamus per elemosynas, maximè autem per instructiones, correctiones & administrationem sanctorū sacramentorum. An non miseria maxima sit isto tempore, quo tam claram mysteriorum fidei cognitionem habemus, dari tan-

tam

tam ignorantiam ex defectu, & negligentia clericorum, qui nullâ compassione tanguntur ob spirituales ejusmodi miserias proximi, neque laborent, ut easdem tollant. Vide, quid tu ipse contuleris de bonis tuis, de authoritate tua? quomodo visitaveris ægrotos, pauperes, & peccatores? non requiritur, ut eos absolutè cures, vel convertas; opus enim hoc est altissimi; curam tamen, & solicitudinem aliquam adhibere, & ostendere debes. *Curam illius habe, curam exigeris*, ait S. Bernardus, l. 4. de consid. c. 2. *non curationem*. Resolve te igitur ad majorem deinceps zelum ostendendum; motivum satìs urgens habebis, si ad altare accedas, ubi Christus quotidie officium subit samaritani, respectu tui. En, qualiter proprium sanguinem det & adhibeat, ut te ab infirmitatibus tuis sanet? potésne igitur te ipsum, vel tua denegare ad succurrēdum necessitatibus fratrum tuorum? proximus esse non potes, nisi facias misericordiam, ait S. Ambrosius de pœnit. l. 1. c. 10. *nemo enim potest esse proximus, nisi qui curavit; si autem vis dici proximus, dicit tibi Christus, vade, & tu fac similiter.*

DIE SABBATHI.

Et appropians alligavit vulnera ejus; infundens oleum, & vinum. Luc. 10. 34.

QUALITER SE GERERE DEBEANT CONFESSARII ERGA SUOS PÆNITENTES?

1. Debent miſcere manſuetudini ſeveritatem.
2. Et quare hoc?

PUNCTUM I. POſſumus hìc meditari cum ſanctis, qualiter ſe gerere debeant confeſſarii erga ſuos clientes, & quomodo tractare debeant plagas ſpirituales animarum pœnitentium; modus enim iſte agendi clare nobis proponitur in parabola hujus ſamaritani, Gre. M. Paſtor. p. 2. c. 6. Diſcimus ex oleo & vino, quod in vulnera hujus miſeri hominis, quem ſemimortuum in viâ offendit, infudit, temperamentum maſuetudinis & ſeveritatis, quibus erga peccatores uti oportet. Oleum denotat dulcedinem, vinum acrimoniam; ſi ſolum oleum adhibuiſſet, non curaſſet plagas hujus vulnerati; ſi ſolo vino uſus fuiſſet, nimium ei cauſaſſet dolorem, & vulnera illius exaſperaſſet; utitur autem oleô, & vinô; oleô, ut leniat; vinô, ut purificet. Ita oportet conjungere, & unire ſimul dulcedinem & efficaciam; rigorem & condeſcendentiam; initium faciendum eſt ab oleo, conſolando peccatorem, quem peccata ſua conturbant, horrorémque, & terrorem incutiunt, ut totam fiduciam ſuam ponat in meritis infinitis D.N. J.C. in auxilio hujus omnipotentis medici,

cui

cui nihil insanabile est, ùt S. Augustinus loquitur; *omnipotenti medico nihil est insanabile;* loquendo cum illo amorosè, & tenerè de virtute, & efficacia hujus pretiosissimi sanguinis, quo nos lavit à peccatis nostris; sed etiam vino opus est; *oportet, ut priora sibi vindicet compassionis affectus, deinde rectitudinis zelus;* debet peccator adstringi ad poenitentiam, & ad satisfaciendum divinæ justitiæ; *erga subditos suos inesse rectoribus debet, & justè consolans misericordia, & piè sæviens disciplina,* ait S. Gregor. M. debet bonus pastor, & bonus dux spiritualis simul conjungere severitatem patris ad conservandam disciplinam, & dulcedinē, ac suavitatem matris, ut poenitentes Deo lucrentur. Severitas nunquam usque ad crudelitatem se extendere debet, neque mansuetudo ad mollitiem; æquè peccatur severitate, ac suavitate, si ab invicem disjungantur, id est, debet afferri, & observari tale temperamentum, ut poenitentes non exasperentur per nimiam severitatem; neque per nimiam indulgentiam mollescant; *miscenda ergo est lenitas, cum severitate; faciendum quoddam temperamentum ex utroque, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur,* Greg. ibid. *in arca simul & manna est,* adjungit idem S. Pontifex; *sit itaque amor, sed non emolliens;*

ſit zelus, ſed non immoderatè ſæviens; ſit pietas, ſed non plus, quàm expediat, parcens. O quam utilis foret eccleſiæ hæc mixtura, ſi illâ uti ſciremus. Sed ut melius adhuc intelligamus obligationem noſtram, hæc duo inter ſe miſcendi;

PUNCTUM II. Conſidera hunc modum agendi cum peccatoribꝰ fundari 1mo. in eo, quòd nos ſimus mediatores Deum inter & homines. Qualitas iſta, ſeu officiū, obligat nos ad habendum zelum, pro reparanda injuria Deo illata, qui nobis cauſam ſuam commiſit. Eo ipſo tempore, quô conamur implorare miſericordiam illius pro peccatoribus, debemus hoc facere ità, ut juſtitiæ ipſius ſatisfiat, & honor illius vindicetur. Non ſumus Domini gratiæ, ſed nōniſi diſpenſatores; ergo non poſſumus eam concedere, ſeu dare hominibus, niſi hac conditione, quòd hoc ipſum etiam Deus velit; non exercemus miniſterium noſtrū, niſi nomine, & authoritate Chriſti JEſu, igitur Spiritu illius moveri, & agere debemus, qui eſt Spiritus manſuetudinis, & zeli, quô purificantur ſordes animarum, prout ſcriptura ait Iſ. 4. item ſpiritu amoris & judicii; *ſi abluerit Dominus ſordes filiarum Sion; in ſpiritu judicii, & in ſpiritu ardoris.* 2do. in exemplo JEſu Chriſti, & ſanctorum; erat Salvator noſter verus Moyſes; manſuetiſ-

ſimus

simus omnium hominum, qui unquam fuêre. Nihilominus vide, utrum aliquem, quicunque demum ille sit, exceperit à faciendâ pœnitentia? *pœnitemini, & credite evangelio &c.* Marc. 1. 15. *nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis,* Luc. 13. 3. An fortè remisit, aut omisit aliquid divinus hic medicus à sua arte, vel severitate doctrinæ suæ, eoquòd repugnantiam aliquam in nobis invenerit? anne mansuetiores sumus nos ipso S. Paulo, qui omnes fideles in visceribus suis portavit? cujus affectio, & teneritudo, illam Matrum longè superavit? qui majori gaudio perfusus non fuit, quàm si quotidie immolare se posset pro salute fidelium?& tamen nonne quãdoque etiam rigore usus fuit? *quid vultis? in virga veniam ad vos? an in spiritu lenitatis?* 1. Cor. 4. 3tio. denique, hic est spiritus ecclesiæ, hæc sancta mater vult ministros suos uti dulcedine, & indulgentiâ erga peccatores; vult autem simul, hanc mansuetudinem esse justam, prudentem, plenam circumspectione, indulgentiam salutarem; *in ipsa ecclesia, ubi misereri quàm maximè decet,* ait S. Ambrosius, *teneri quàm maximè debet forma justitiæ,* in Ps. 118. Non concedit veniam, nisi hæc petatur, secundùm legem divinam; *de lege tua miserere mei,* addit S. Ambrosius; *de lege miseretur, qui cum sapien-*

 tia

tia & justitia miseretur. Amplectere igitur hunc modum agendi, sine quo confessarius neque proximi salutem securam reddere potest. Verùm, quia sumus homines, qui debitos ac præscriptos limites transgredi possunt, ora Dominum in præparatione tua ad Missam, ut tibi prudentiam istam, quâ indiges, concedere dignetur; *da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam*, Sap. 9. 4. & in particularibus eventibus, seu casibus, inhæreamus Spiritui Christi JEsu, ut nos medium hoc doceat, & temperamentum hoc adeò necessarium. Quòd si errorem aliquem admittamus, prout facilè contingere potest, humiliemus nos coram Deo; sed animum haud despondeamus; ponamus fiduciam nostram in bonitate JEsu Christi, & speremus charitatem nostram, quam peccatoribus exhibuimus, operturam multitudinem peccatorum istorum, & defectuum nostrorum, per merita infinita sanguinis ipsius, quem in hoc sacramento dispensamus, *charitas operit multitudinem peccatorum*, 1. Petr. 4. 8.

ADDI-

ADDITIO.

MEDITATIONUM
pro Festis quibusdam hoc tempore occurrentibus.

XI. Junii.

DE S. BARNABA APOSTOLO.

Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae. Math. 10. 16.

S. BARNABAS HABUIT.

1. Mansuetudinem agni.
2. Prudentiam serpentis.
3. Simplicitatem columbae.

PUNCTUM I. Mittens D.N.J.C. apostolos suos, praedicare in mundo evangelium suum, eosque instruens, qualiter se gerere deberent, ut homines à vitiis suis revocarent, commendat ipsis peculiariter, ut in modo suo agendi exhiberent mansuetudinem agni, prudentiam serpentis, & columbae simplicitatem,

tem, hæ virtutes homini apoſtolico adeò neceſſariæ excelluerunt in S. Barnaba. *Erat vir bonus, & plenus Spiritu S. & fide,* Act. 11. 24. primò erat, genii & naturæ extremè dulcis, talémque ſuavem agendi modum habuit, ut facilè lucraretur aliorū corda; hâc ipsâ ſuâ manſuetudine, & teneritudine affectûs erga animas, confirmabat diſcipulos, qui Antiochiæ erant, in ſervitio Domini; hinc ille magnus numerus converſionum, de quo mentionem facit S. Lucas in Actis; *& appoſita eſt multa turba Domino.* Enituit hæc illius manſuetudo in aliqua occaſione, quam ſacer textus omninò annotare, & nobis palàm facere voluit. Joannes Marcus ipſius conſobrinus diſceſſit ab ipſo, & à S. Paulo in Pamphilia in mediis laboribus, ubi vel maximè illo indigebant; fuit hic talis error, quem S. Paulus omninò puniendum eſſe cenſebat, ut diſcipulum hunc firmiorem in officio miniſterii & obligationis ſuæ redderet. S. Barnabas autem metuens, ne animô caderet, quidē voluit eum unácum ipſo reprehendere; ſibi tamen eum delegit pro ſocio itineris ſui. Quilibet horum apoſtolorum rationes pro ſe habebat; & S. Chryſoſtomus hom. 34. in Acta non vult, ut nos decidamus, quinā ex ipſis majorem pro ſe habuerit. Neque nos ex alio fine hoc factum referimus, niſi

ad

ad oſtendendum, proprium S. Barnabæ caracterem fuiſſe ipſius manſuetudinem. O quantam vim, & efficaciam habet virtus iſta! agnoſce hic indigentiam tuam, & quã tibi neceſſaria ſit illa ad utiliter laborandum pro ſalute animarum. Neceſſaria tibi eſt tam pro confortandis infirmis, quàm pro revocandis ſeu convertendis peccatoribus, ac denique pro perferendis perſecutionibus, quæ ordinariè iis accidunt, qui propugnandæ divinæ gloriæ, & animarum ſaluti procurandæ incumbunt; pete illam à Deo per interceſſionem S. Barnabæ.

PUNCTUM II. Habuit prudentiam ſerpentis. Exponit ſerpens totum corpus ſuum, ut caput ſuum integrum conſervet. Totum conſecrare, & amittere debet chriſtianus, ut animam ſuam, ac fidem illibatam conſervet. Habuit hanc prudentiam S. Barnabas; omnia ſua bona, & poſſeſſiones dimiſit, ut ſalutem ſuam ſecuriorem redderet, & theſaurum illum evangelicum ſic compararet. Habebatur ab apoſtolis pro illo fideli, & prudenti ſervo, quem cõſtituit Dominus ſuper familiam ſuam; elegerunt proinde illum, unàcum S. Paulo, ut elemoſynas illas primis chriſtianis Antiochiam perferrent, quas Judæi illis tempore famis miſerunt, Act. 11. 30. Signa dedit hujus ſuæ prudentiæ non ſolùm in iſta

occa-

occasione, sed toto tempore, & cursu ministerii sui. Quamquàm fuerit valdè illuminatus, illùmque scriptura in numero doctorum ecclesiæ nascentis ponat; nihilominus noluit incipere functiones apostolatûs sui, nisi à Spiritu S. ad hoc missus esset, qui per ora prophetarum, & apostolorum eum segregari jussit ad hoc ministerium; Act. 13. 1. *ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dicit illis Spiritus sanctus: segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos*, ibid. v. 2. O quos fructus ipse attulit deinde post talem vocationem, & missionem? secuti sunt missionem hanc fructus omninò extraordinarii, zelus efficacissimus, conversiones innumeræ. Quos fructus hodiedum etiam producerēt clerici nostri, si Spiritûs S. esset, à quo ad hoc divinum ministerium eligerentur? & si curam, ac diligentiam adhiberent, hoc suo ministerio pari prudentia cum S. Barnaba fungendi! verùm, ut à temetipso non discedas; habuistine hanc cœlestem prudentiam, quæ est *lignum vitæ his, qui apprehenderint eam*, prout legimus in libro proverbiorum cap. 3. 18. regulantùrne verba, & actiones tuæ regulis virtutis hujus, quæ est quasi dux, & magistra omnium aliarum virtutum? sequerísne lumen illius, certò persuasus, sine prudentia te non nisi fal-

falsos gressus facturum, prout clarè nos monet Sapiens, dum Eccles. 21. 20. ait; *os prudentis quæritur in ecclesia?* zelus tuus, occupationes tuæ, studia tua, visitationes tuæ, discursus tui, uno verbo, quidquid demum facis, estnè hoc sale conditum? vide, ut imposterum saltem id facias. *Habete in vobis sal*, Marc. 9. 49.

PUNCTUM III. Habuit denique S. Barnabas simplicitatem columbæ propter rectitudinem intentionis, & gemitus cordis sui. Nunquam in apostolicis suis laboribus aliud quæsivit, Quàm Dei gloriam, & animarum salutem, prout videre est in illa relatione S. Pauli, Act. 14. & 15. & ipsius coram concilio Jerosolymitano de magnis mirabilibus, quæ Deus per ministerium ipsorum operatus fuit. Columba *sine amaritudine sævit*, ait S. Augustinus, in Joan. tr. 6. O quoties sanctus hic apostolus teneritudine plenus, & amore, pro Judæis ingemuit super eorum cœcitate, quæ etiam causa fuit, quare relicto populo hoc infideli gentibus evangelium annuntiârit. Quot lacrymas coram Deo profudit, antequam iis cum S. Paulo dixerit: *vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes*, Act. 13. 46. Gratias Deo age, quòd apostolū hunc

spi-

ſpiritu manſuetudinis, prudentiæ, & ſimplicitatis repleverit; & quia illum ipſum fructum in eccleſia afferre debes, quem apoſtoli tulerunt: pro præparatione tua ad Miſſam roga Chriſtum JEſum, ut te imitatorem facere dignetur virtutum apoſtolicarum. O ſapientia æterna, doce me, obſecro, quomodo me gerere debeam in exercitio functionum mearum, ut partem aliquam habere merear meritorum apoſtolorum tuorum. Fac ô divine Salvator, ut hauriam è ſacro altari tuo fontem luminum, ut cognoſcere valeam, qualiter me pro gloria tua, & ſervitio eccleſiæ tuæ applicare debeam. *Ibi me docebis; & dabo tibi poculum ex vino condito.* Cant. 8. 2.

XXIV. JUNII.

DE S. JOANNE BAPTISTA.

Erit magnus coram Domino. Luc. 1, 15.

De excellentiis S. Joannis.

Erat magnus 1. ob gratias acceptas.
2. Ob virtutes exercitas.
3. Ob ministerium, quod obivit.

PUNCTUM I. NOn Angelus solùm, sed ipse Christus elogium fecit S. Joanni Baptistæ, dum de Joanne dixit: *inter natos mulierum non surrexit major Baptistâ.* Matth. 11. 11. DEus ac Dominus ipsius Panegyrista illius fuit, & excellentias illius manifestavit, dum eum Prophetam appellavit, & plusquàm Prophetam; novum Eliam; testem suæ divinitatis; lucernam ardentem, & lucentem. Posito elogiò istô vix aliquis excedere potest in laudando hoc præcursore JEsu Christi, aut nimium de illo dicere. Benedicamus igitur DEum, & gratias agamus Domino ob eminentia illa dona, quæ in hoc vase electionis, & primario opere gratiæ suæ inclusit. Uniantur nobiscum Angeli, & adjuvent nos in laudando, & prædicando hoc magno consilii Angelo, amico sponsi, solitariorum Patriarcha, vinculo veteris & novi testamenti, imperterrito prædicatore veritatis, castitatis

glorioso Martyre, tali denique Sancto, qui ab utero matris suæ sancto Spiritu repletus, tales à se emittit radios, ut moneri debeant homines, ipsum non esse Messiam; fieri enim aliàs potuisset, ut errore hoc decepti, in idololatriam se abripi paterentur, eúmque pro DEO, & vero Messia in lege promisso adorarent. Disce ex hoc, in quo consistat vera magnitudo, seu excellentia? non consistit, prout mundus sibi imaginatur in magna nobilitate, in splendore honorum, & bonorum, seu divitiarū hujus sæculi, neque in ulla alia ejusmodi coram oculis hominum magni æstimata excellentia; sed in donis DEI, ac gratiis, quas ipse nobis infundere dignatur, & in bono usu illarum; *non enim, qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem DEus commendat*, 2. Cor. 10. 18. Quò fidelius gratiæ divinæ corresponderis, tantò major coram DEO eris; hoc modo major effectus fuerat S. Joannes; magnus erat non solùm ob gratias à DEO acceptas, sed insuper.

PUNCTUM II. Ob virtutes, quas exercuit. Quis describat vitam hanc planè cœlestem, quam in deserto duxit? abstinentiam admirabilem, orationem continuam, delicias spirituales, & tentationes, quibus expositus erat, jejunia, austerita-

tes?

tes? jacebat ſuper nudam humum, operimentum, aliud non habebat, niſi pellem cameli, id eſt, rude, ac durum cilicium; cibum alium neſciebat, quam locuſtas, & parum mellis ſilveſtris, ſitim aliter non extinguebat, niſi aquâ, quam torrens ſubminiſtrabat. Ecce, qualiter ipſis triginta omninò annis vixerit; hinc dixit ipſemet Salvator, Joannem adeò rigoroſè jejunaſſe, ut de ipſo dici potuerit, eum neque manducaſſe quidquam; *venit Joannes, neque manducans, neque bibens*, Matth. 11. 18. Non minus erat humilitas in ipſo, ac pœnitentia. Judæi in admirationem rapti ob ipſius ſanctitatem mittunt ad eum legationem quamdam extraordinariam, ut experirentur, an non eſſet ipſe Meſſias, ut ſic eum illi honorem deferre, & exhibere poſſent, qui tantæ Majeſtati deberetur. Qualis tentatio! facile eſt, reſiſtere vanæ gloriæ, ſi nemo nos laudet, vel ſi careamus qualitate aliqua minùs conſpicua; ſi quis verò talenta omninò rara poſſideat, adeò ut ipſæ laudes nos quærant, quin à nobis quærantur, ſeu affectentur, ah, quàm difficile eſt, tale incensũ recuſare, & à ſe abjicere, quod ultrò offertur, & manere in humilitate, quam habere oportet! hoc ipſum autem fecit S. Joannes, oculi illius non erant propterea elati, neque exaltatũ cor

illius ob opinionem istā, quam alii de ipso habebant; respondebat absque ulla hæsitatione, se nonnisi vocem esse, sonū quemdā, qui in aëre dissipatur, & finem habet; verbô, se esse nihil; *& dixit: non sum.* Humilitas ipsius talis non erat, qualis nostra est, nimirum mollis, timida, & aliis placere studens, adeò ut nequaquam auderet resistere excessibus, & intrepidè increpabat, & reprehendebat præcipuos status Judæorū, quin eis ullo modo adularetur; *progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructum dignum pœnitentiæ,* Matth. 3. 7. Non magìs parcit Principi, seu Regi, quàm subditis; non dissimulat excessus, & scandala ipsius; penetrat in ipsam curiam per medios milites, custodes palatii; in faciem ipsius exprobrat, scandalosum ac incestuosum commercium, & monet eum, ut tam horrendū scandalū tandem tollat, & à tam gravi scelere desistat, dicebat enim Joannes Herodi: *non licet tibi habere uxorem fratris tui,* Marc. 6. 18. Anne virtutes tuæ virtutibus S. Joannis similes sunt? ah! quanta differentia inter utrasque? ubi est pœnitentia tua, humilitas tua, zelus tuus in reprehendendo vitio? si benè te ipsum examines, facilè invenies te tam pauperem, ac denudatum omnibus virtutibus esse, ac

dives

dives in illis, & magnus coram Domino fuit S. Joannes.

PUNCTUM III. Denique magnus fuit S. Joannes ob suum ministerium, seu officium, quod obivit. Quanta, & qualis gloria, esse præcursorem Filii DEI unigeniti, & quasi auroram, quæ solis justitiæ adventum añuntiat? propriis manibus baptizare Filium DEI altissimi? testimonium perhibere descensûs Spiritûs S. supra ipsū, organum, seu instrumentum illius esse, ad formandum illi populum perfectum? digito demonstrare agnum DEI, qui tollit peccata mundi? annuntiare mundo, felix illud momentum liberationis, seu redemptionis illorum advenisse? terrā renovatā esse per adventum Messiæ, ante quatuor mille annos promissi? quod hæc genuerit suum Salvatorem? cœli justum tanquam rorem depluerint? venisse Sanctum, Redemptorem Israël, spem, & asylum omnium peccatorum? ô quàm fidelem se exhibuit præcursor hic in exequendo officio ministerii sui! quantum gratiæ, & unctionis habuerunt verba illius! quantùm efficaciæ, & energiæ ad convertenda corda, & revocandos incredulos ad prudentiam justorum! *verbum ipsius, quasi facula ardebat,* Eccles. 48. Ipse etiam, utpote Clericus, fungi debes officio præcursoris; præpara-

re vias Domini, in femitis juftitiæ; an huic tuœ obligationi, & officio fatisfacis, ùt S. Joannes? an curas faltem, & diligentiam adhibes, ut te ad hoc capacem reddas? fortè in aliquo feminario, vel convictu vivis, ubi te præparare debes, & difponere, quemadmodum S. Joannes in fuo deferto, ad minifterium futurum; facisne hoc? DEus te pofuit in hac fchola pietatis, ut te perficias, ac proficias, & fpiritum clericalem haurias, quô omnes actiones, & functiones tuæ animari debent, quam curam adhibes, acquirendi fcientiam, & virtutes illas, tibi tantoperè neceffarias, ut dignè obire valeas fuo tempore functiones Ordinis, & minifterii tui? cape adhuc hodie refolutionē, efficacius deinceps laborandi, ad propriā perfectionē tuā, & ut regnum DEI, & Chrifti propagetur; quia verô ex temetipfo non nifi arundo fragilis, imò ipfa fragilitas es, ad eū recurre, qui folus te confolidare, & firmare poteft; colloca folam, ac totam fiduciam tuam in gratia Salvatoris, & in virtute, feu efficacia fanctiffimi facrificii, quod paulò poft celebraturus es, & oblaturus. O JEfu! fac mihi hanc gratiam, ut infiftere valeam veftigiis fancti præcurforis tui; ut omnes vires adhibeā, prout ipfe, ad controvertenda omniū corda ad ipfum, qui folus beare hominem, ac

felicem

facilem reddere potest. Fac me instar S. Joannis lampadem ardentem simul, & lucentem; quia satìs intelligo, haud sufficere, solummodò lucere, vel solùm ardere; sed totum consistere in eo, ut quis simul & luceat, & ardeat; hócque id ipsum esse, quod specialiter à Clericis exigis, & exspectas. Erat lucerna ardens & lucens: *est enim tantùm lucere vanum; tantùm ardere parum; ardere & lucere perfectum*, S. Bernardus serm. in nat. S. Joan. Bapt.

XXIX. JUNII.

DE SS. PETRO & PAULO APOSTOLORUM PRINCIPIBUS.

Constitues eos Principes super omnem terram. Ps. 44. 17.

1. Quare elegerit Christus JEsus SS. Petrum & Paulum in principes Ecclesiæ.
2. Quid eis ut talibus debeamus.

PUNCTUM I. ADora judicia æterna divinæ providentiæ, in electione ista horum duorum Apostolorum, quos hodierna die veneramur, ut essent principes & protectores Ecclesiæ; lumina christiani orbis, & quasi oculi corporis mystici JEsu Christi, ad hoc destinati, & ordinati, ut totum universum illustrarent, hominibusque viam veritatis, & semitam salutis demonstrarent; *isti sunt Petrus & Paulus, duo magna luminaria, quos*

DEus in corpore Ecclesiæ suæ constituit, quasi geminum lumen oculorum, ait S. Bernardus in festo SS. Petri & Pauli serm. 1. *hi mihi traditi sunt in magistros & mediatores quibus sanè me committere possim; quia & notas mihi fecerunt vias vitæ, & mediantibus illis, ad illum mediatorem ascendere potero, qui venit pacificare per sanguinem suum, & quæ in cœlis, & quæ in terris sunt.* Consideremus nunc, cur Dominus noster dederit nobis pro magistris & ducibus nostris, hos adeò famosos peccatores ob pecata sua, quæ antea commiserunt, dum unus negavit Dominum ac magistrum suum; alter autem Ecclesiam ipsius persecutus fuit. Factum hoc ideò ajunt SS. PP. 1mò ad docendum nos, humilitatem esse petram fundamentalem christianismi; per exercitium virtutis hujus vult DEus: *Ecclesiam suam usque ad finem mundi humilitate crescere, & ad promissum regnum humilitate pervenire*, ait venerabilis Beda l. 4. c. 54. in Luc. 12. exemplum istud eò magìs nobis erat necessarium, quia *pauci sunt* pastores, ùt S. Bernardus in cant. serm. 29. n. 10. advertit, *qui utiliter; pauciores, qui humiliter præsint.* 2dò factum hoc fuit ad demonstrandum nobis per mutationē hāc, ac conversionem horū duorū Apostolorum, quòd etiam maximi peccatores evadere

possint

possint in maximos Sanctos, consequenter, quòd nullus de salute sua desperare debeat; hanc ipsam rationem dat etiam S. Paulus. Venit Christus JEsus, ait in hunc mundũ, peccatores salvos facere, quorum ego primus sum, & maximus ex omnibus; *sed ideò misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus JEsus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt in vitam æternam.* 1. Tim. 1. 16. 3tiò ut in illorum persona instruantur omnes Clerici præsertim pastores, ut magnam peccatoribus exhibeant charitatem, desumendo, ac judicando ex eo, quod ipsi fuerunt, qualem erga alios habere debeant compassionem. *Propterea dedit mihi DEus homines istos, qui in se ipsis, & de se ipsis discerent, qualiter aliis misereri deberent,* ait S. Bernard. in festo SS. Petri & Pauli serm. 1. Benè tecum examina rationes istas, ut tibi pro regula serviant in exercitio ministerii tui, ad temetipsum humiliandum coram DEO; *ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus,* 1. Cor. 2. 9. pari ergo prudentia & charitate erga alios uti debes. Pete hanc à DEO gratiam per intercessionem horum duorum Apostolorum. Et

PUNCTUM II. Considera, quid nos his principibus, magistris, ac protectoribus fidei nostræ debeamus? 1mum est, ut eos

imitemur, in ipſorum zelo, propagandi E-vangelium, prædicando illud ubique, quò nos DEI providentia miſerit, cum omni fidelitate, ſequendo ſanam doctrinam illam, quam ipſi nos docuerunt, & adhuc docent quotidie, prout S. Bernardus ibid. loquitur; *hi ſunt magiſtri noſtri, qui à magiſtro omnium vias vitæ plenius didicerunt & docent nos uſque in hodiernum diem.* 2dum, ut continuò legamus ſcripta illorum, & epiſtolas, quas nobis tanquam compendium aliquod chriſtianæ diſciplinæ, ſeu doctrinæ moralis, reliquerunt. Omnes SS. PP. & Doctores, ſpeciali devotione dediti erant huic ſacræ lectioni; *neque enim nos, quæ ſcimus,* ait S. Chryſoſtomus, Procem. in epiſt. ad Rom. loquens de epiſtolis S. Pauli ad populum ſuum, & clerum, *ſi quæ ſcimus, ab ingenii bonitate, atque acumine ſcimus, ſed quod illi nos viro, impensè affecti, ab illius lectione nunquam diſcedimus.* 3tium, ut in omni occaſione honoremus, & veneremur magnā illam poteſtatem, quam à Domino JEſu acceperunt, ut omnes gentes obedirent fidei; & ut inviolabiliter inhæreamus fidei ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quam ſua prædicatione ſtabilierunt, ſudore, & laboribus ſuis excoluêre, ac ſanguine effuſo condecorarunt. *Propterea admiror hanc urbem,* ajebat S. Chryſoſtomus, in epiſt. ad Rom.

ſerm.

ſerm. 33. *non propter copiam auri, ſed propter columnas illas Eccleſiæ.* Quod adhuc magis reverentiam noſtram erga hanc Eccleſiam, & ut ei inſeparabiliter inhæreamus, augere debet, hoc eſt, nempe prærogativa illius ſuper omnes alias Eccleſias, quas Apoſtoli fundarunt, quòd pura ſemper permanſerit, ac virgo, & exempta non ſolùm ab omni errore, ſed vel à ſuſpicione, etiam ſola, erroris; ita quidem, ut ſemper habita fuerit pro Matre & Magiſtra omnium aliarum eccleſiarum. Omnes illi, qui eam non audierunt, veritatem amiſerunt; qui verò eam dereliquerunt, & ab illa ſe ſeparaverunt, charitate exciderunt. Non poteſt quis eſſe de numero filiorum DEI charorum, qui non eſt de numero filiorum hujus Eccleſiæ; id quod SS. PP. omni ſtudio docuêre, tum exemplo ſuo, tum ſcriptis ſuis fidelibus temporum ſuorũ inculcarunt. Ignatius epiſt. ad Rom. Iræneus l. 3. c, 3. Auguſt. contra ep. fund. c. 4. Greg. M. l. 4. ep. 12. Hoc ipſum etiam Clerici populo ſuo inſpirare, & docere debent, ut ità ſuos præmuniant, ac præſervent ab hac miſeria, in quam Novatores tot chriſtianos trahunt, qui ab Eccleſia Romana infeliciter ſoparati, adhuc in ſchiſmate, ac hæreſi ingemiſcunt. Pro præparatione ad Miſſam, vel comunionem reno-

va in

va in & apud te ipſum reſpectum illum, ſubmiſſionem, & adhæſionem, quam Eccleſiæ huic ſanctæ, & capiti ejus viſibili, à quo regitur, debes. *Nos autem non ſumus ſubtractionis filii in perditionem, ſed fidei, in acquiſitionem animæ.* Hebr. 10. 39. O Domine, qui ſublimaſti S. Petrum ad primatum Apoſtolatûs, & S. Paulum Doctorem gentium conſtituiſti; conſerva nos puros, firmos, & inconcuſſos in fide illa, quā prædicarunt, & nobis annuntiarunt; fac nos, quæſumus, hæredes, & ſucceſſores zeli, ac charitatis im̃enſæ, quam pro ſalute animarum habuerunt. *Da Eccleſiæ tuæ, eorum in omnibus ſequi præceptum, per quos religionis ſumpſit exordium*, Orat. eccleſ.

XIX. JULII.

DE SANCTO VINCENTIO à PAULO.

Evangelizare Pauperibus miſit me. Luc. 4. v. 18.

1. Neceſſitas Miſſionum.
2. Fructus Miſſionum.

PUNCTUM I. ADoremus Chriſtum Dominum, ultimîs vitæ ſuæ annîs, ſublimium rudi populo religionis dogmatū prædicatione unicè occupatum ac ſuos quoque *in omnem civitatem & locum quo erat ipſe venturus*, mittentem diſcipulos, ut & illi, hujuſce prædicationis miniſterio, diſponerent corda hominum,

num, ad recipiendum cum fructu Evangelium, à suo Divino Magistro annuntiandum. Hanc Salvatoris nostri bonitatem quis memori, ut par est, animô non amet, non admiretur? Sed consideremus primò Missionum necessitatem, quam sibi à Patre æterno impositam recognoscebat ipsemet Christus Dominus, & nobis notam esse voluit illis, Lucæ 4. 43. verbis: *Oportet me evangelizare Regnum DEI, quia ideo missus sum.* Missionis & evangelizandi *necessitas mihi incumbit* inquiebat Apostolus 1. Cor. 9. *væ enim mihi, si non evangelizavero.* Ac si diceret: Me nimis reum & infelicem nisi Evangelium prædicavero. Talentum enim ad hocce mihi à DEO datum, si absque fructu retinuero, & abscondero, eô ipsô extinguam in me lumen divini Verbi, cujus Minister constitutus sum inter gentes; resistam Spiritui Sancto, qui me ad hoc vocavit; & supremo omniū Domine, qui me convertit, ut alios per me converteret, rebellis fiam. *Væ mihi si non evangelizavero.*

Apostoli Pauli vestigiis insistens S. Vincentius à Paulo, nec minimùm dubitavit, quin eadem & illi necessitas Missionum incumberet. Profundam religionis nostræ mysteriorum ignorantiam in populo, & obstinatam hominum perituris terræ bonis, ac fallacibus sæculi voluptatibus adhæsionē non aliunde magis perspexit pul-

lulâsse, quam ex defectu Ministrorum, qui allatum à Christo lumen mundo ferrent, ac diffunderent, quique invigilarent evellendo lolio, quod inimicus Patrisfamilias semini bono immiscuerat. Atque ideò vir ille Apostolicus continuis ferè tum per se, tum per alios Missionibus totam, in vinea Domini operando, consumpsit vitam. O! Bone DEus! quot jam nunc animæ æterna fruuntur beatitudine, quæ æternis miserè sepelirentur in ignibus, nisi eas, dum in mundo degerent, hic servus DEI ad meliorem frugem reduxisset. Hoc certè exemplum viros Ecclesiasticos percellere deberet. Sed echeu! quàm paucos repe- rias, qui tantum exemplar imitentur. *Sacerdotales viros quærimus, qui plures habemus Sacerdotes: plures, inquam, numerô, non meritô*, exclamat S. Bernardus (de excel: SS. Sacram: & de Sacerd: dignit: t. 5.) Attamen non deberemus ignorare: quòd non pro nobis, sed pro aliis sumus Sacerdotes; & quod earum, quas ministeriô Sacerdotii salvare potuissemus, quasque interdum nostra perire sinit socordia, animarum sanguinem de manibus nostris ultor requiret DEus. Si curam animarum cum beneficio suscepisti, examina te ipsum: an & qualiter verbum DEI annunties? an & qualiter Sacramenta administres? an &

quali-

qualiter peccantes corrigas, ignorantes catechiſes & inſtruas? Hæc ſunt propria curatorum munia, quibus ex toto, aut ex parte neglectis nulla eſt potior medendi ratio, quam ſi bonos accerſamus operarios evangelicos, ut exercitiis Miſſionum noſtras culpas reſarciant. Si verò non ſit annexa animarum cura beneficiis, quæ poſſidemus, ex iiſque percipiamus, plùs quàm honeſtæ ſuſtentationi noſtræ foret impendendū ſuperfluum illud, quod ſanè noſtrum non eſt, vix unquam meliùs erogabimus, quàm aut fundandis aut inſtituendis Miſſionibus pro ſpirituali bono degentium in iis locis, in quibus poſita ſunt noſtra beneficia. Sed ut ardentiorì animô tam glorioſum proſequamur conſilium, uberrimos, ſimul ac mirificos Miſſionū fructus conſideremus.

PUNCTUM II. Accom̄odatæ ad captum rudioris populi catecheſes, minùs exquiſitæ, zeloſiores tamen conciones, ſeria de peccatis com̄iſſionis & omiſſionis examina, totius quoque anteactæ vitæ confluentiū hominum Confeſſiones, hæc ſunt præcipua & ordinaria Miſſionū exercitia. Sed illa quales & quantos cum ſuperno auxilio operantur effectus? Illa diſcutiunt denſiſſimas errorū tenebras & in calliginoſis mentibus fidei accendunt facem, il-

la

la emolliunt corda duriora ſaxis, difficillima ſalutis diſrūpunt obſtacula, & de peccatoribus obſtinatis in vitio ferventiſſimos transformant pœnitentes, illa inveteratiſſimos abuſus tollunt è medio, & pietatis in DEum, atqué charitatis erga proximū introducunt officia; illa implicatas ambagibus componunt lites, acerrima complanant diſſidia, & cruentiſſimos adinvicem inimicos reconciliant. Illa res alienas ſeu mala fide poſſeſſas, ſeu illicita ablatas cupiditate, abſque mora reſtituunt, illa, inquam, Miſſionum exercitia in ſemitas justitiæ reducunt aberrantes, ſuſtentant vacillantes, corroborant imbecilles, animant fortes, & eos, qui perfectionis viam nequidem audebant ingredi, magnis in ea conducunt progreſſibus.

Mirandi haud dubiò ac nunquam ſatis deſiderandi in vinea Chriſti fructus; illorū autem veritatem felices tot Miſſionū Vincentii ſucceſſus comprobant. O! quot ille ad fidem revocavit hæreticos? quot ſpirituales cæcos illuminavit? quot ſurdis aures cordis aperuit? quod claudis, in via mandatorum Domini, greſſum reſtituit? quot in peccato mortuos ad gratiam reſuſcitavit? quot per eum mirabiles mutationes? & exemplares converſiones? quot extincta odia & ſinceræ ac firmæ reconciliatio-

ciliationes ? quod demum alienorum reſtitutiones inſperatæ? En dignos Miſſionū fructus, utinam vel ab ipſis Eccleſiaſticis Viris feriò conſiderandos. Quis enim Sacerdotum hæc piè conſiderans, animum non concipiet incumbendi tam ſancto miniſterio? quis tanto & propriè ſacerdotali negotio manum admovere negabit? O Sacerdotes! O miniſtri Domini! quid impedit ne eam inter vos ineatis Societatem, ut junctîs viribûs unammodò, modò alteram ruris Parochiam, modò ipſas urbes percurratis, Miſſiones ibidem peracturi? utique hôc Apoſtolicô & vobis commiſsô miniſteriô illuminarentur tenebræ ignorantiæ, quæ in multis graſſatur, eradicaretur & peccati lolium, quod ubiqué excrevit. An non timetis rationem DEO reddendam pro animabus, ex inopia ejusmodi à vobis auxilii, perituris? *Væ mihi, quia tacui.* Iſaiæ 6. 5. Ah DEus juſtiſſime quam tremenda ſunt tua judicia! proximorum noſtrorum ſalutis curam Sacerdotii noſtri miniſterio commiſiſti, quod ſi illorū animæ redemptæ pretioſo Filii Tui JEſu Chriſti cruore, deficiente autem illis neceſſaria ac debita à nobis ope in æternum perierint. Quid tandem accuſaturis noſtram coram te incuriam reſpondebimus? *Si dicente me ad impium morte morieris, non*

anuntiaveris & neque locutus fueris, ut avertatur à via sua impia & vivat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Ezech. 3. 18. Ah Pater misericors ne permittas, ut surdi talia monita audiamus, quinimo adauge gratiam, & quem à nobis exigis cooperandi in salutem proximorum nostrorum animum, tu ipsemet inspirare, conformare, & fovere digneris. Tempore Missæ Sacrificii orabis pro omnibus Missionariis, eos, eorumque opera DEO commendando, ac impensè efflagitando cælestem Patremfamilias ut bonos, qui nunc sunt rari, & necessarii, multiplicet operarios. *Messis quidem multa, operarii autem pauci, rogate Dominum Messis: ut mittat operarios in Messem suam.* Matth. 9. 47.

Hæc meditatio cum deesset in exemplari latino; desumpta est ex originali Gallico, editionis tertiæ, ab ipso authore correcto & augmentato.

DE S. MARIA MAGDALENA, VIDE PARTE SECUNDA, FERIA QUINTA POST DOMINICAM PASSIONIS,

XXV. JULII.

DE S. JACOBO MAJORE APOSTOLO.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? dicunt ei: possumus. Matth. 20. 22.

BIBIT

BIBIT S. JACOBUS CALICEM DOMINI.

1. Per suos labores apostolicos.
2. Per conformitatem mortis suæ cum morte Magistri, ac Domini sui.

PUNCTUM I. SI scire cupis, quomodo S. Jacobus biberit calicem Domini per labores suos apostolicos, longè aliam tibi formare debes ideam de vita apostolica, quàm defactò sibi eã plurimi ex clericis imaginentur, volo dicere, scire debes illam esse vitam, plenam laboribus, & cruciatibus. Pauperẽ sequi, pauperem Dominum, illum in itineribus, & missionibus suis; adhærere homini, quandoque propter miracula quidem in honore habitum, tamen sæpius persecutiones passum, & contemptum ob miserias illius; laborare de die, vigilare, & orationi incũbere de nocte; aliam consolationem in malis perpessis non habere, nisi quòd quis tãdem obdurescat in illis, per longam consuetudinem & habitum, renuntiare omnibus cōmoditatibus, & deliciis hujus vitæ; totum relinquere, & sacrificare pro Evangelio, portare quotidie crucem suam, se ipsum oblivisci, & contemnere, imò se ipsũ odisse, toto vitæ suæ cursu aliud non prævidere, nisi concatenatos labores, passiones; persecutiones, carcerem, & mortem; en! hoc ipsum est, esse Apostolum; & quia

omnia iſta expertus & paſſus fuit S. Jacob, ideo bibit calicē Domini. Oſtendit ſanctitate vitæ, & ſplendore virtutum ſuarum, quòd vitā vel maximè auſteram duxerit, S. Epiphanius Hæres. 68. c. 4. & 78. c. 13. nobis hoc indicat, & per ardentiſſimū zelū ſuū, pro converſione Judæorum, & infidelium palam fecit, haud ex vano, vel fruſtra à Salvatore ſe vocatum fuiſſe filiū tonitrui; *impoſuit eis nomina Boanerges, quod eſt, filii tonitrui*, Marc. 3. 17. Potens fuit in opere; vox tonitrui hujus concuſſit deſerta, & dejecit cedros Libani, Judæòsque, & Synagogas eorum ſubvertit. Quantum rumorem, quem terrorem non cauſavit vox iſta tonitrui, in conſcientiis peccatorum ſuperborum, & induratorum? demonſtravit aliis divinitatem JEſu Chriſti per talia prodigia, quæ ab aliis negari non potuêre; aliis indicavit, & notas fecit crudeles; & æternas inferni pœnas, quæ eos exſpectarent, qui in hac vita nollent obedire Evangelio. O quanta paſſus fuit in omnibus hiſce occaſionibus! Miniſtri Domini! poteſtis æquè, ac Apoſtolus iſte, bibere calicem Domini? ſi fideles eſtis in miniſterio veſtro, haud vobis deerunt ſimiles occaſiones. Verum eſt ad populum incredulum, & rebellem, ad converſionem Judæorū, & infidelium vos haud mitti; ſemper tamen invenietis ani-
mas,

mas, quæ in oblivione ſalutis ſuæ vivunt, quas excitare oportebit à ſopore ſuo, per timorem Domini, & pavorem judicii divini. Imperterritè tales, quis alloquatur? fortè nonniſi repulſam, irriſiones, & contemptum reportabit; ſed hic eſt calix, quem ad exemplum S. Jacobi bibere debet; nunquã tamẽ tot, ac tanta patietur, prout Apoſtolus iſte. Calicem Domini bibit, & per labores ſuos apoſtolicos, & per conformitatẽ mortis ſuæ cum morte magiſtri ſui.

PUNCTUM II. Fuit S. Jacobus non ſolùm primus ex Apoſtolis adeò felix, ut pro eo mori potuerit, & primus ex agnis iſtis innocentibus in medio luporũ miſſis, ut eſſent præda ipſorũ; ſed inſuper fuit immolatus, ad inſtar divini magiſtri ſui ſuo tempore, quo ſolebat immolari Agnus paſchalis, figura Chriſti JESU cujus ipſe fidele, ac vivum erat ectypon. Mortuus eſt, ut ille, in civitate Jeroſolyma, & excepta S. Jacobo minori, ſolus ille fuit ex Apoſtolis, qui hoc privilegio gaudere potuit, ut ſanguine ſuo, locum illum tingeret, ubi ſuum profudit divinus illius magiſter, ac Dominus. Si huic circumſtantiæ temporis ac loci jungamus etiam perſonas, invenies quaſi eadem nomina perſecutorum, qui utramque mortem inter ſe ſimillimam reddidêre. Herodes e-

nim fuit, qui JEſum in infamia ſua ad necem quæſivit, erat etiam alter Herodes, qui eum ſprevit, & inſtar ſtulti eum tractavit in paſſione ſua; tertius alius Herodes juſſit amputari caput S. Jacobo, & ultimo hoc ſuo ſcelere, coronam præteritis ſuis ſceleribus impoſuit. Addamus adhuc alias convenientias. Chriſtus JEſus mortuus eſt, ut Eccleſia naſceretur, quæ ex latere ſuo lanceâ aperto prodire debebat; S. Jacobus mortuus fuit, ut creſceret Eccleſia recens nata; nam mors ipſius in cauſa fuit, cur Apoſtoli aliã diſpoſitionẽ fecerint. Ab illis enim poſtea in omnem terram diviſis fuit Evangelium prædicatum in univerſo mundo. Brevi tempore finẽ miniſterii, & prædicationis ſuæ fecit JEſus, & etiam S. Apoſtolus omniũ Apoſtolorũ primus curſũ prædicationis ſuæ conſum̃avit; *conſummatus in brevi explevit tẽpora multa*, Sap. 4. 13. Moritur Chriſtus, non solùm pro inimicis ſuis, ſed pro ipſis oratqui eũ cruci affixerunt; & S. Jacobus non ſolùm carnificem ſuum amplexus fuit, morti proximus; ſed per hunc ipſum amplexũ eum ad fidem convertit. O amor miraculoſus! ô conformitas perfecta diſcipuli cum magiſtro ſuo! ô ectypon omninò abſolutũ JEſu Chriſti, qui fuit caput martyrum! adoro, & benedico te Domine, quòd deſiderium Apoſtoli modo infinitè meliori adim-

pleveris, quàm ipse olim voluerit, dum eũ primum tibi sociasti in passione, & sedere eum fecisti ad dexteram crucis tuae, ut sic eum produceres ad regnum cælorũ. Dona nobis, quæsumus, talem fortitudinem, ut pariter bibere valeamus calicem passionis; hunc enim omnibus propinas; *calix in manu Domini vini meri plenus mixto*, Ps. 47. 9. Vis, ut omnes ex illo bibamus; id, quod justissimè petis. Sumus enim omnes peccatores, & quidem peccatores supra modum; *bibent omnes peccatores terræ*, ibid. Verùm, ô Domine, nunquam hoc à nobis utiliter fiet nisi tu nobis animum inspires, ac submissionem, & patientiam ad hoc necessariam concedas, ut id impleamus, quod à nobis requiris; *sine te nihil est conatus meus; adjutor meus esto, ne derelinquas me, nec despicias me, DEus, salutaris meus*, S. Augustinus in Ps. 26. Pro Missa, memor esto, Dominum JEsum Christum nobis in sanctissima Eucharistia aliũ propinare calicem, qui omnia quæ in statu nostro quamcunque ingrata, & amara esse possint, dulcorare valeat, & aufferre. Accede igitur cum magna devotione, ut sanctè hoc calice inebrieris; experieris enim tunc id ipsum, quod ipse per Prophetam sutum regium dicit: *& calix meus inebrians, quàm præclarus est*, Ps. 22. 5.

XXXI. JULII.
DE S. IGNATIO LOJOLA, FUNDATORE SOC. JESU.

Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur? Luc. 12. 49.

DE ZELO S. IGNATII AD LABORANDUM.

1. Pro sua propria. 2. Et aliorum conversione.

PUNCTUM I. SAnctus iste, quem hodie veneramur, totus erat inflammatus, & accensus igne isto divino, quem Christus JEsus venit mittere in hunc mundum, & proprius illius caracter erat zelus gloriæ divinæ, & salutis proximorum. Erat autem zelus ipsius omninò sapiens, & prudentissimus, optiméque persuasus de hoc principio, neminem aliis prodesse posse, qui sibi ipsi nocet; *qui sibi nequam est, cui bonus erit?* Eccles. 14. 5. Cœpit nimirum primùm laborare pro sua propria salute, antequam se ad aliorum conversionem applicaret. Secutus primò fuerat militiam, & generoso spiritu heroum suæ familiæ agitatus, non nisi obsidiones, & prælia spirabat, nec aliud cogitabat, quàm ut in professione ista omninò periculosa quoquô modô excelleret; verùm DEus destinavit illum ad hoc, ut dux & caput evaderet militiæ omninò spiritualis; dejecit juvenē hunc militē, instar

alicu-

alicujus Saulis; pilâ tormenti cujusdã bellici vulneratus, in defensione Castelli Pampelonensis eò adactus fuerat, ut deportari debuerit Lojolam, ubi, ut tædium sibi levaret, & in doloribus seipsum solaretur, petiit aliquẽ ex iis infelicibus libris, quorũ tota ars in eo consistit, ut variæ in legente excitẽtur, & acuantur passiones; providẽtia verò divina, quæ apud suũ grande ordiri cœpit in eo, permisit, ut alius non inveniretur, nisi vita Sanctorum. Affertur; Ignatius in eo legit, initio quidem nause abundè, deinde curiosè, denique cum aviditate, & magno gustu. Commotus igitur tot ac tantis actibus heroum istorum nostræ religionis, inflamari se sensit desiderio illos imitandi; fidésque illius, vix adhuc conservata, in medio libertatis aulicæ, de novo accendebatur exinde. Quid? ajebat intra semetipsum instar Augustini adhuc peccatoris, cur non idipsum facias, quod fecerunt alii tui similes, in omni statu, ætate, & sexu? fuerúntne illi alterius naturæ? an alteri Domino servierunt? anne ad aliam hæreditatem aspirabánt? *tu non poteris, quod isti, & istæ?* talibus igitur exemplis animatus, resolutionẽ capit, renuntiandi mundo pro semper; ut autem se periculo, audiendi vana, & sæcularia mo-

tiva alterius fratris sui sæcularis, qui haud neglexisset, proponere ipsi splendorē nativitatis suæ, & spem totius Hispaniæ, loca ista, quæ testes fuêre celsitudinis suæ non aliter deseruit, ac fugit, quàm vitari ab aliis promptè solent loca peste infecta. Dimisit itaque omnes vitæ hujus cōmoditates, & delicias, & viam arctam crucis, humiliationis, & opprobriorum ingressus est; viam sensibus, & naturæ nostræ omninó horribilem, verùm viam securā, sanguinéque ipsius JEsu Christi, & Sanctorū omniū signatam. Iniit, & juramento firmavit perpetuum divortium cum mundo, inimico Christi, authore omnis superbiæ; luxûs, voluptatis, omniúmque delitiarum, & ad statum prorsus stupendum, paupertatis, vilitatis, & omnimodæ indigentiæ, & passionis se se reduxit. Anne & nos ità obedientes fuimus divinæ gratiæ? secutáne est apud nos talis conversio, postquā toties restitimus DEO, solicitanti, & ad ostium cordis nostri pulsanti? relinquimus peccatum, si nobis jam in tædium versum est, sed cautè declinamus, & fugimus humiliationes, & labores illos, quos pænitentia post se trahit. Non ita S. Ignatius; juvenis, optimis dotibus instructus, aspectu pulcher, integris viribus, æstimatus in aula, in proxima exspectatione primario-

rum

rum aulæ officiorum, haud aliter hæc omnia considerat, quàm ùt stercora; vestes suas donat pauperi; saccùm pro iis induit vilissimū, fune illum ligat, hospitale quoddā intrat, servitio se addicit ægrotorū præ aliis miserabiliorum; & non nisi gustu solius mortificationis, ut ita dicam, saturatur. Unus ex majoribus abusibus, quem SS. PP. in iis notarunt, qui post longos errores ad DEum revertuntur, ille est, quòd post primos motus, seu impulsus gratiæ divinæ, quos in se experiuntur, póstque infirma adhuc mutationis & conversionis suæ concepta desideria, zelo quodam indiscreto anhelent, ac festinent ad laborandum pro salute proximorum, vix alas quasdam ipsi adepti, statim præsumunt, alios docere, quomodo volare debeant. Falsa hæc est, & ridicula charitas, ait S. Bernardus, quæ pro eo, ut aliquid de sua plenitudine com̄unicet, instar conchæ, in instanti quasi se ipsum totum effundit, instar canalis. Agnovit Ignatius artificium hoc tentatoris, ideo intra semetipsum ajebat, non est neophyti, & peccatoris, qualis ego sum, alios docere viam justitiæ. Elongat igitur se à conspectu hominū, & in atram speluncam se ipsum includit, ut pænitentiam ibi agat. Quamnam autem pœnitentîam! solitudo hæc Manresana experta

est,

eſt, & audivit ſonitum ſanguinolentarum diſciplinarum, & inflammatorum illorū deſideriorū, ex quibus eam menſurare poſſumus. Adde his piis, & devotis crudelitatibus, quas in ſemetipſum exercuit, illius internas deſolationes; nam permiſit DEus, quo illū tanquā aurum in fornace probaret, ut graviſſimis tentationibus, ſcrupulis, triſtitiis, ariditatibus, terroribus, deſperationibus, furioſis ſuggeſtionibus dæmonū exagitaretur; unô verbô, omnes omninò cruces vitæ ſpiritualis ſimul & ſemel in ipſū irruebant; perſecutiones illius exteriores non minùs fuêre terribiles; traductus fuit corā tribunali S. Inquiſitionis, accuſatus de cabala, ſortilegio, & hæreſi; librum, quem compoſuerat, prorſus admirabilem, videri, continere doctrinam novā, & veneno peſtifero plenā. Ita nimirū præparabat Dominus & excolebat ſervū ſuum, ad magna illa molimina, quæ pro ſalute proximi poſtea in ſe ſuſcepturus & executurus fuerat. Vide nunc obiter, qualē tu pœnitentiā egeris poſt converſionē tuā, antequā ſtatū eccleſiaſticū amplexus fuiſti, & ad laborandū pro ſalute animarum te accinxiſti? &c.

PUNCTUM II. Conſidera, quòd ſi S. Ignatius tantum pro ſua propria converſione zelum habuit, non minorem oſtenderit,

derit, quando pro aliorum converſione ipſi laborandum erat. Zelus iſte animarum adeò ardens in ipſo fuit, tam exceſſivus, ipsúmque quaſi comburens, ſi ita loquî fas eſt, ut ſæpiùs teſtatus fuerit, ſe nec in minimo hæſitaturum, ſed ſi optio daretur, incertū ſalutis ſuæ hìc manſurū ſuper terrā, modò ſpem haberet, lucrandi Chriſto JEſu animas, quám ut ſtatim ad regnandū cum illo in cælum evolaret. Quàm perfecta, quàm heroica hæc eſt reſolutio! malle ſervire ſponſæ, quàm regnare cū ſponſo; quale ſacrificiū ſupergreditur ſacrificiū ipſius Abrahami, qui filium ſuū Iſaac im̃olare paratus erat; nec timeo dicere, æquale eſſe illi ſacrificio S. Pauli, qui cupiebat anathema eſſe pro fratribus ſuis, hoc eſt, ſeparari à Chriſto JEſu ad tempus quoddā, ut eorū ſalutē procuraret; non omittamus hìc, ſtupendā quamdā illius charitatē, quam Pariſiis exercuit. Poſtquā illi innotuit, eſſe quemdā ſibi benè notū, qui fæminæ cuidā extra urbē turpi com̃ercio addictus eſſet, poſtquam omnia tam humana, quàm divina motiva, ad tā turpe com̃ercium illi diſſuadendū, frùſtra ac inutiliter adhibuiſſet, ad ripā ſtagni, quò pertranſire debebat impudicus iſte, ſe collocavit, illius adventū exſpectans; quē cùm adventantē cerneret, ſubitò depoſitis omnibus ſuis veſtibus, col-

lo te-

lo tenus se im̄ersit in stagnū istud, illo tempore frigidissimo fermè congelatū, eúmque proximè adventantē, ità allocutus est; quò vadis infelix! an non audis, & times fulgur capiti tuo im̄inens! an non vides gladium divinæ justitiæ propediē contra te evaginandū, & infernū sub pedibus tuis apertū! postea altius adhuc extollendo vocē clamabat: ito ergo, exple infamē passionem tuam, & turpissima desideria; ego interim pro te hìc pænitentiam agam. Ad hæc terribilia verba & clamorē subsistit impudicus; rubore suffunditur, & dolorē de peccato suo validū concipit; desistit à via cepta cum firmo proposito, omninò mutandi vitam suam. An quid simile invenire est in antiquis monumentis ecclesiasticis actui huic heroico? legimus quidem S. Benedictū nudum se volutasse inter spinas, & S. Franciscū nivibus se im̄ersisse, factū autem hoc fuerat, ut in se ipsis extinguerent turpes concupiscentiæ carnalis flam̄as, quibus succumbendi, & consentiendi periculū timebant; sed martyriū tale subire, & tolerare pro alio? ah! meretur sanè is, qui tale quid audet, nominari martyr charitatis. Quale spectaculū, quale gaudiū pro Angelis! qualis confusio, qualis desperatio pro dæmonibus! quale exemplar pro nobis! ô ignis & flam̄a charitatis, quam aquæ omnes,

mnes, & glacies non solùm non extinguere, sed nonnisi magís inflam̃are potuêre! ah corripe nos! consume nos! ex instinctu isto hujus ardoris inmmensi, quô flagrabat ad sanctificandũ totũ orbẽ, collegit, & associavit sibi homines apostolicos adeò generosos, qui minimè dubitarent portare gloriã nominis divini, in unum & alterum usque hemisphæriũ; & ut fructus ille, qui ab his operariis evangelicis exspectabatur, & sperabatur, permanens foret, & in futurũ etiã duraret, voto eos obstrinxit, & novũ institutũ erexit, æquè ecclesiæ, ac statui politico utile, cujus unicus finis esset, laborare ad propriã perfectionẽ, & ad salutem aliorũ. Verùm subministrando, & providendo ecclesiæ, de hoc novo subsidio, ipsemet iis tali præivit exemplo, optavitque tales eos etiã esse erga omnes fideles, qualẽ seipsũ ii erga se experirentur. Gratias agamus DEO, quòd ecclesiæ suæ hunc magnũ sanctum dederit. Adoro te Domine Deus meus in hoc dono infinitæ misericordiæ tuæ; fac, quæso, per gratiã tuã, ut ad exemplũ S. Ignatii fidelis inveniar in vocatione mea, & omnibus obligationibus meis simili zelo satisfaciã. Eundẽ in corde meo bonũ effectũ causet lectio vitæ illius, qualẽ in corde illius produxit lectio vitæ sanctorũ. Com̃unica mihi aliquid de Spiri-

Spiritu pœnitentiæ, & ardentiſſimi zeli illius, quem contra omnia ſcandala, à quibus facies eccleſiæ fœdabatur; ſemper exercuit; ante omnia autem fac, obſecro, ut in omnibus, & omni tempore aliud non quæram, niſi majorem DEI gloriā. Pro cōmunione, vel Miſſa; optandum foret, ut majori reverentia ad talia myſteria accederemus, quali S. Ignatius ea reveritus eſt. Vitæ illius, ſcriptor narrat, ſocios illius recepto S. Ordine Presbyteratûs unà cum ipſo, ſtatim primas ſuas Miſſas celebrâſſe, S. Ignatium verò plùs adhuc temporis inſumpſiſſe in id, ut ſe ad dignè celebrandū præpararet, quamvis jam à tot annis tanto cum fervore & ardore DEO ſervierit; non exiſtimabat nimirum ſeipſum adhuc ſufficientem & ſatis diſpoſitum, ut tremendum hoc ſacrificium DEO offerret; & ideo non hebdomadas, vel menſes aliquot ſibi delegit, ſed annum integrum, ut ſe dignè diſponeret ad tā grandem actionem. Qualis inſtructio pro nobis! diſcamus ſaltem non amplius eſſe ita ſocordes, ſed mortificare paſſiones noſtras majori cura, & diligentiâ, ut percipiendo divina hæc myſteria, majorem S. Spiritûs infuſionem acquirere, & recipere mereamur, *pinguis eſt panis Chriſti, & præbebit delicias regibus.*

IV.

DE S. DOMINICO INSTITUTORE FF. PRÆDICATORUM, SEU DOMINICANORUM.

Solicitè cura, te ipsum probabilem exhibere DEO, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis. 2. Tim. 2.

S. DOMINICUS DOCET CLERICOS:

1. Quomodo se ad officium prædicationis præparare.
2. Et quomodo illud obire, seu exercere debeant?

PUNCTUM I. S. Dominicus à DEO ad hoc destinatus, ut in Ecclesia renovaret Spiritum prædicationis ad officium, & functionem istã se præparavit, & disponere studuit omnî cùrâ, & solicitudine, qualem S. Paulus discipulo suo comendavit; *solicite cura temetipsum probabilem exhibere Deo*; certò de hoc persuasus, oportere aliquã perfectionẽ jam acquisitã habere, qui hoc laboriosũ ministeriũ aggredi velit; conciones suas, quas habuit, semper præveniebat vitâ suâ exemplari, ac bonis operibus plenâ. Possumus id ipsum cum veritate de illo dicere, quod S. Gregorius Nazianzenus de S. Basilio dixerat, fuisse prædicationẽ tonitru, vitam fulgur; *tonitru erat ejus sermo, & fulgur vita*, Orat. 20. in laud. Basil. M. Disposuit se ad prædicandũ Evangeliũ, instar alterius S. Pauli, per orationem & mortificationem.

Rogabat DEum pro felici ſucceſſu annunciationis, & prædicationis myſteriorū JEſu Chriſti Filii ejus; *ut DEus aperiat oſtium ſermonis, ad loquendum myſterium Chriſti*; Coloſſ. 4. Mortificabat ſe, caſtigabat corpus ſuum, inque ſervitutē redigebat, ne, dum aliis prædicaret, ipſe reprobus efficeretur, 1. Cor. 9. Orabat in hunc finem, ut cum fructu prædicare poſſet, nunquamque os ſuum ad loquendum aperuit, quin prius in talem ſe ſtatum poneret, ut attraheret ad ſe Spiritum hunc vivificantem, ſine quo verba prædicatoris non ſunt, *niſi æs ſonans, & cymbalum tinniens*. Mortificabat ſe ipſum, ut per pœnitentiam ſuam obtineret à DEO converſionis gratiam, peccatoribus adeò neceſſariam, ut tenebræ intellectûs illorū illuminarentur, & duritia cordis illorum emoliretur. Adhuc Canonicus Osmenſis nunquam domô exibat, niſi ad ſuccurrendū proximo; nunquā deambulationis, aut puræ viſitationis gratiâ charam ſibi ſolitudinē deſeruit; aliud non optâſſet, niſi mori poſſe in nidulo ſuo, quem ſibi elegerat; *in nidulo meo moriar*, ajebat cum Jobo cap. 29. nunquam domū illius ingreſſa eſt fœmina ulla; unicæ illius deliciæ erant, cum Deo ſolo converſari; meditari die ac nocte ſanctam Dei legem; adorare cum timore & tremore tremenda

Dei

Dei judicia; legere continuò divinas scripturas; orare cum lacrymis, & implorare gratiã Spiritûs S. ab eóque petere intelligentiã sibi, pro sua propria ac aliorũ instructione necessariã; semper in se ipso recollectus, & modestissimus. Pactũ iniit cum oculis suis, ut ne quidem cogitaret de virgine; tantùm abest, ut familiaritatem quamdã cum altero sexu contraxerit. Estne hæc vita, & modus ordinarius agendi etiã Canonicorũ, Prædicatorũ, & Clericorũ nostrorũ? hũc tamẽ tenuit Dominicus ut sic mereretur à Deo approbationẽ in prædicationibus suis; id, quod ei omninò copiosam à Deo benedictionẽ obtinuit; & lumina prorsus extraordinaria in exercitio hujus sui officii. Perge illuc, ô magne sancte, quò te Spiritus Dei vocat, & ducit! vita tua solitaria, pauper, casta, humilis, & pœnitens, quam ducis, satis clarè in antecessum enuntiat, de futuris prædicationibus tuis, & conferentiis spiritualibus. Convertes nimirum ad imitationẽ S. Joannis Baptistæ, plurimos filiorum Israël, quia cor tuũ omninò ad illum conversum est, eique inhæret. Nostrum nunc est, examinare, quales ad ministeriũ prædicationis nostræ attulerimus dispositiones? qualiter aggressi simus ecclesiasticas functiones nostras? prædicare verbum DEI

absque vocatione , sine prævia debita præparatione , & dispositione , temeritas est detestanda ; polluere officium nostrum per actiones tales, de quibus erubescere deberemus, scandalosa impietas est, annuntiare evangeliū ex longè alia intentione, quàm pro gloria Dei, & proximorū salute, profanatio est omninò scelerata. Studeamus igitur ad exemplū S. Dominici, gratos & acceptos nos reddere Deo, antequā huic officio nos addicamus; *solicitè cura, temetipsum probabilem exhibere Deo &c.* Didicimus ab isto sancto, quomodo nos ad hanc grandē functionē præparare debeamus; discamus insuper ab ipso, quomodo ipsa prædicatio obeunda sit, & exercenda?

PUNCTUM II. Oportet ministrū evangelicū, ubique lumē ex se diffundere; ait quidā S. Abbas; *sit lucerna in corde, sit in manu, sit in ore; lucerna in corde, est pietas fidei; lucerna in manu, exemplum operis; lucerna in ore, sermo ædificationis.* Guerric. Abbas serm. 1. de Purif. int. apud S. Bernard. Talis fuit S. Dominicus; semper unitus erat Deo; causæ divinæ magnus zelator; vidit injurias ab hæreticis, & libertinis Deo illatas; deploravit eas, & valdè illis tangebatur, ac vivum dolorē sentiebat exinde. Quanto dolore affectus erat, dum unà cum

Episco-

Episcopo suo in Galliã veniens pulcherrimã ex illius Provinciis hæresi Albigensium infectam invenit? dum oculos suos ad Tolosam convertit, civitatẽ olim adeò infidelẽ, ac religioni Patrum suorum firmiter inhærentẽ, viditque altaria illius profanata, ecclesias igne crematas, virgines dehonestatas, sacerdotes vel furori barbarorũ immolatos, vel apostatas effectos! faciẽ sanctorũ locorũ adeò depravatã, ut vel in ipso templo vix templũ inveniret. Triste sanè, sed dignũ zelo S. Dominici objectũ, & spectaculũ! en igitur, quomodo pœnitentiæ suæ opera adaugeat! in campum egreditur alia secum arma non deferens, nisi crucifixum, & rosarium; declarat vitiis apertum bellum; hæresin aggreditur; currit, imò volat in omnem partem, ut zizania evelleret, quæ inimicus homo in agro dominico superseminavit; nullum laborem fugit, modò ministerium suum impleat, neque injuriæ, quas patitur, neque contradictiones, quas reperit, neque pericula, quibus se ipsum exponit, nihil, unô verbô, eum retinere potest, omninò resolutum, & paratum, vel vitam suam per martyrium DEO sacrificare, vel illi animas lucrari. Quot conversiones effecit? dicant hoc nobis schismatici, Ecclesiæ uniti, hæretici devicti, avari, simoniaci, libertini, impudici,

dici, quibus tot proficuas, & utilissimas dedit doctrinas justitiæ, devotionis, pietatis, castitatis, & pænitentiæ. Potens in opere, & sermone, quoties rete prædicationis suæ expandit, multitudinem piscium spiritualium cepit; diceres, eum molitum hoc esse, ut domos redderet desertas, hominésque claustris inferret, ditarétque spoliis Ægypti. Quamprimum audîta fuit vox hominis istius Deo dilecti, diffluebat glacies animarum etiam durissimarum; ipsiusque cor intra semetipsum omninò ardens erat. An non cuilibet ex illius concionibus applicari possit id, quod S. Bernardus de ultimis verbis cujusdam Apostoli dìxit, quòd semper conservârit in seipso cor illud igneum, & linguam ignitam, quam à S. Spiritu accepit; quidquid de ore ipsius procedebat, *erat ignis vibrans, non lingua loquens.* O virtutem! ô potentiam! ô efficaciam prorsus admirabilem verbi divini in ore S. Dominici, ad convertendas animas peccatorum, & reducendos hæreticos in sinum Ecclesiæ! *fuit vir potens in opere, & sermone.* Benedictus sit DEus, quod ecclesiæ suæ sanctum hunc Patriarchā, hunc novum Apostolum, & magnum prædicatorem donaverit! Domine DEus meus! ego adoro te, & benedico tibi, quòd S.

Domi-

Dominicum tot beneficiis spiritualibus, & gratiis affeceris, eumque tam prodigiosa fœcunditate dotaveris! dona, obsecro, ecclesiæ tuæ plures tales operarios in vinea Domini! renova in diebus nostris hunc spiritum prædicationis, magnam originem conversionis animarum; da ministris tuis zelum, & talenta necessaria, ad dignè obeundam functionem tam sanctam. Ante omnia concede nobis gratiam proficiendi ex prædicatione verbi tui; aufer à nobis cor lapideum, & spinas illas, à quibus cœleste hoc semen suffocatur, ut ex integro ad te convertamur. Pro communione, vel Missa hauriamns è sanctissima Eucharistia vires nostras, quibus indigemus ut discursus, seu conciones nostras parùm de se utilitatis ferentes fulciamus, vitæ sanctæ exemplo, quæ ùt Patres Concilii Tridentini loquuntur est; *perpetuum quoddam prædicationis genus.* Instanter petamus à Christo JEsu hanc gratiam, & postquam illam receperimus, rogemus insuper, ut cordi nostro profundè imprimat hanc excellentem regulam seu principium S. Hieronymi, Epist. ad Nepot. *non confundant opera nostra, aut cogitationes nostræ sermonem nostrum;*

ſtrum; ſacerdotis Chriſti os, mens, manúſque concordent.

VI. A U G U S T I.
DE TRANSFIGURATIONE D. N. J. C.

Vide Dominicam ſecundam Quadrageſimæ.

X. A U G U S T I.
DE S. LAURENTIO DIACONO ET MARTYRE.

Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte; igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas. Pſ. 16.

1. Ardens deſiderium martyrii in S. Laurentio.
2. Quàm obligati ſimus, vivendi in ſimili ſpiritu martyrii.

PUNCTUM I. S. Laurentius, cujus martyrium illuſtravit totum mundum, ùt S. Auguſtinus, ſerm. 30. de SS. ſibi elogium fecit, dum de hoc minimè cogitaſſet, cùm ardenti deſiderio impulſus, miſcendi ſanguinem ſuum, cum ſanguine Xyſti, Pontificis ſui, qui ad martyrium ducebatur amorosè contra eum conqueſtus, oculis lacrymantibus dixit; quò vadis, mi Pater, abſque

que filio tuo ? an ferale pegma tuum conſcendes abſque tuo Archidiacono, qui ſine eo nunquam ſacrificium offerre conſueveras ? quid enim diſplicet Paternitati tuæ in me ? proba me, utrum idoneum miniſtrum elegeris, an non ? ſi mihi diſpenſationem ſanguinis JEſu Chriſti concrediditi, putásne me, tam ſocordem futurum, ut proprio ſanguini parcere velim ? *experire, utrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti dominici ſanguinis diſpenſationem.* Verba prorſus admiranda, quæ oſtendunt in compendio omnes qualitates Diaconi prorſus perfectiſſimi! principalis functio illorum temporum erat, ut Diaconi fidelibus ſacra myſteria, & verbum DEI porrigerent, curàmque ſpecialem pauperum, & viduarum gererent. Quàm ſolicitè ſatisfacere huic ſuæ obligationi ſtuduit S. Laurentius ? quanta puritate diſtribuit carnem ſacratiſſimam Agni immaculati ? qualis erat devotio illius, & quanta religio in domo Domini ? an ipſi Angeli majorî reverentiâ ferebantur erga hæc ſacroſancta, & tremenda myſteria, ac ipſe? nec minori fidelitate diſpenſabat patrimonium JEſu Chriſti, quám SS. corpus, & verbum illius. Si charitativus, & fidelis diſpenſator omnia abſque ulla reſerva-

tione diſtribuere debet, an non hoc ipſum fecit S. Laurentius ſumma extrema exactitudine, nunquam aliter ſe ipſum conſideravit, niſi tanquam canalem liberalitatis fidelium, & ùt proviſorem pauperum, oculus erat cœco, pes claudo, & communis Pater omnium miſerorum. O quàm bené hoc oſtendit paucis illis diebus ante mortem ſuam, percurrebat plateas civitatis; inquirebat ægrotos, & infirmos in hoſpitalibus, & ex omni parte collegit, & congregavit pauperes chriſtianos, ut illis theſauros Eccleſiæ communicaret; adeò, ut etiam ſacra vaſa vendiderit pro illorum ſolatio. Venite ad hoc ſpectaculum, divites beneficiati! vos omnes, qui bona eccleſiaſtica poſſidetis! venite, & diſcite à S. Laurentio uſum illorum; *aurum Eccleſia habet, non ut ſervet, ſed ut eroget, & ſubveniat neceſſitatibus*, ait S. Ambroſius l. 2. off. c. 28. Eccleſia tot bona manibus veſtris haud concredidit, ut abſcondantur, vel conſanguinei exinde ditentur, ſed ut pauperibus diſtribuantur; *hi ſunt theſauri Eccleſiæ, & verè theſauri, in quibus Chriſtus eſt; in quibus Chriſti fides eſt &c. hos theſauros demonſtravit Laurentius, & vicit, quod eos nec perſecutor potuit auferre*, ibid. Ex hac ratione digniſſimus hic mi-

nister altius meruit ascendere, volo dicere, obtinere martyrii coronam, ad quam tantopere anhelabat. Nolo hic referre omnes circumstantias hujus martyrii; sufficiat dicere, tyrannum hac invincibili generositate sancti istius vehementissimè irritatum, præparari jussisse machinam quamdam, ferreæ craticulæ similem, illíque subjici prunas semiextinctas, ut eò lucentiùs, assaretur martyr, & longiori tempore torqueretur; *ut per cratem ferream*, ait S. Leo, serm. in fest. S. Laurentii, *quæ jam de fervore continuo vix in se habebat urendi converso-rum, alterna mutatione, membrorum fieret cruciatus vehementior, & pœna productior.* Laurentius adeò non expavit ad conspectum tam horribilis lecti, supra quem ponendus, & extendendus erat, ut potiùs illum aspiceret, tanquam cœli januam; hinc præ gaudio exclamavit: *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui*; & dignum me judicâsti mori in hoc mundo pro te, ne in æternum ardeam in inferno. O miraculum supra omne miraculum! ardor flammarum, qui vel animosissimum quemque horrore concutiîsset, gaudium, & tranquillitatem affert Laurentio! *superari charitas Christi flammâ non potuit; segnior fuit ignis, qui*

foris

foris ussit, quam qui intus accendit, S. Leo ibid. Quod tyrannus iste invenit ad extorquendam Laurentii DEI abnegationem, illi non nisi adjumento fuit ad concipiendum novum fervorem, & vires ad confitendum DEO, & ùt S. Leo ait: *transierunt in ornamenta triumphi, etiam instrumenta supplicii.* O Domine, qui S. Laurentium fortitudine tam miranda decorâsti, æternum sis benedictus, quod Ecclesiæ tuæ concesseris, qui triumpho suo Romam ita reddidit celebrem, quantùm glorificata fuit Jerosolima S. Stephano primo Martyre; communica nobis scintillas aliquas de hoc igne divino, à quo tam feliciter consumptus, & absumptus fuit. Quis ex nobis non se sentiat omninò inflammatum ardentibus carbonibus craticulæ S. Laurentii; id est, animatum tali, tantóque exemplo! discamus saltem obligationem nostram vivendi in & cùm spiritu martyrii.

PUNCTUM II. Si benè id capimus, & comprehendimus, quòd obligati simus, diligere DEum amore tam perfecto, quàm nobis possibile sit, facilè etiam intelligemus obligationem nostram, quam habemus, vivendi in spiritu martyrii, volo dicere, dispositi ac parati, exponendi vitam nostram pro gloria DEI, & servi-
tio

tio illius nos consecrandi, id quod signum est perfectissimi amoris, prout ipse Christus JEsus id annotavit, Joan. 15. 13. Certè mortuo DEI Filio pro nobis omnibus justum omninò est, ut qui professionem discipulatûs ipsius fecimus, pariter dispositi simus, mori pro ipso, si occasio sese offerret. *Qui me confessus fuerit coram hominibus*, ait in Evangelio; *confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est*, Matth. 10. 32. Quamvis illa tempora modò non vivamus sanguinolentarum persecutionum; in quibus totus infernus conjurâsse visus erat contra Ecclesiam; hæc tamen nunquam fuit, neque erit exempta à persecutionibus, quousque finem non accipiat iniquitas. Quodlibet sæculum suas particulares habet persecutiones, quemadmodum etiam suum specialem modum confitendi JEsum Christum, & illi, qui prætendunt & putant, obligationem nostram, reddendi Christo Domino testimonium, his verbis expressam: *omnis qui confitebitur me coram hominibus*, non nisi ad tempus nascentis Ecclesiæ, & primorum martyrum se extendisse, satìs clarè indicant per hoc; quòd nolint esse martyres veritatis, & quòd timeant persecutionem Crucis Christi sustinere; *tantùm ut crucis Christi*

perse-

persecutionem non patiantur; Galat. 6. 12. Indifferentia enim illa pro fide nostra, inordinatus quietis amor, turpis repugnantia cum doloribus, & humiliatione Christi JEsu, os illorum turpiter occludit; habet etiam pax, Ecclesiæ martyres suos. Martyr est, qui potiùs mori vellet, quàm DEum offendere, & propugnare veritates Evangelii, & opponere se abusibus, scandalis, & excessibus hominum vitiosorum & corruptorum; martyrium est, mortificare carnem, & inordinatas passiones, & ad mortem usque perseverare in hac pugna, pro amore D. N. J. C. denique martyrium est, tolerare patienter miserias, & labores vitæ huic, ac statui nostro annexos, injurias, calumnias, persecutiones &c. ferre. Examina teipsum modò, utrum vixeris in hoc spiritu martyrii? quid toleraveris hucusque pro Christo JEsu? pro defensinone Evangelii? pro praxi, seu exercitio virtutum christianarum? si vel modicam facias reflexionem supra tuam vivendi rationem, fortè invenies, quòd omninò timenda sit tibi illa exprobratio Filii DEI, quam inspectante cœlo & terra audient illi, qui pluris æstimaverint amicitiam & gloriam hominum quam DEI quem hic in terra confiteri ausi non

sunt;

ſunt; *qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui me erubuerit, & ſermones meos, hunc Filius hominis erubeſcet*, Matth. 10. 33. Luc. 9. 26. O debiles chriſtiani! & vos ſocordes, & timidi Clerici! vos tangit, & exſpectat hæc confuſio! vos confundemini, & pro eo, quòd noluiſtis confiteri veritatem in terris humiliatam, humiliabimini à veritate in cœlis triumphante! *negabo & ego eum.* O ſortem infauſtam ac terribilem! an non moveat nos? ut animum noſtrum erigamus ſupra omnem reſpectum humanum, & quascunque prætenſiones hujus ſæculi? & ad abſtrahendum nos à vita hac miſerabili, & ad inducendum nos, ut nosmetipſos ſacrificemus pro illo, qui tale támque pretioſum pro nobis obtulit ſacrificium, quòdque adhuc quotidie in altari renovat, & repetit. Pro communione vel Miſſa, hanc fac reflexionem; ſi amor noſter adeò infirmus eſt, & languidus, ubi ſolùm agitur de vincenda levi quadam tentatione, & quamlibet eſpugnam modicam recuſat, hoc inde eſſe, quia non ſtudemus nos confortare SS. Euchariſtia. Petamus per interceſſionem S. Laurentii à DEO gratiam meliùs deinceps hâc utendi; eſt enim di-

vinum

vinum illud nutrimentum, cui SS. PP. hanc ipsius invincibilem fortitudinem, & extraordinariam generositatem, quam super craticulâ ignitâ ostendit, attribuunt. *In illa ergo longa mòrte, in illis tormentis, quia benè manducaverat, & benè biberat, tanquam illâ escâ saginatus, & illo calice ebrius, tormenta non sensit* S. Aug. tract. 27. in Joan.

XV. AUGUSTI.

PRO FESTO ASSUMPTIONIS B. V. MARIÆ.

Veni de libano, sponsa mea, veni de libano; veni conaberis. Cant. 4. 8.

TRIUMPHUS MARIÆ.

1. In lecto mortuali.
2. In sepulchro.
3. In cœlo.

PUNCTUM I. GAudeamus simul cum tota Ecclesia de triumpho, quem in hac die Assumptionis suæ reportavit sanctissima Virgo. Obtinuit à DEO tres favores, ac speciales gratias, quæ nobis utilissimam meditandi materiam suppeditabunt. Prima gratia & favor specialis fuit genus mortis, omninò novum, quâ pulcherrima hæc anima à corpore suo fuit separata; quia factum hoc non fuit neque per violentiam mortis alicujus, neque ex defectu virium naturalium, sed vi quadam amoris divini, quòd vitam suam mortalem clauserit. Mors illius morti nostræ haud similis erat, cùm hæc sit poena peccati, & supplicium peccatis debitum;

morimur nos, quia peccatores sumus, & in illa damnatione inclusi, quam incurrit primus homo post violatam divinam legem, *in quacunque die comederis morte morieris*, Gen. 2. 17. MARIA autem utpote præservata à peccato originali in sua Conceptione, & nullius unquam in vita sua commissi peccati rea, longè ex alio & diverso principio, seu causâ moritur, ut homagium nimirum præstaret morti JEsu Christi Filii sui. Moritur, ut honoraret per destructionem sui esse humani, esse supremum, & inalterabile DEI sui, & ut uniretur illi, per totam æternitatem, hoc est, mors illius erat effectus puri amoris DEI, quo cor illius consumebatur; ignis iste divinus absumpsit holocaustum hujus puræ, & innocentissimæ victimæ. In ipsa quoad literam verificatum fuit illud Salomonis, Cant. 8. 6. *fortis, ut mors dilectio*, seu, ùt Albertus M. ait, *fortis fuit in Virgine, ut mors dilectio, siquidem præ amore obiit.* Non est hæc solùm sententia, seu opinio quædam particularis celeberrimi hujus Theologi, secutus enim quoad hoc fuit doctrinam SS. PP. S. Bernardus serm. 1. de Purif. dicit in terminis formalibus, alium non fuisse gladium, qui pectus ipsius pertransiit, nisi amorem DEI; *est gladius amor*

DEI,

DEI, qui Mariæ animam non modo confixit, ſed etiam pertranſivit, ut nullam in corpore virgineo particulam vacuam amore reliquerit. O pretioſam mortem Mariæ, ubi neque luctus, neque ullæ lacrymæ, nec ullus dolor, locum habuit! ubi, ſi languor aliquis intervenit, hic non niſi effectus erat puriſſimi ac ſanctiſſimi amoris, quem nobis imaginari poſſimus; *nuntiate dilecto meo, quia amore langueo.* Cant. 2. 5. Verum eſt, nos haud mori poſſe per vim amoris divini; privilegium hoc eſt ſolius beatiſſimæ Virginis, poſſumus tamen aliquo modo accedere, ſeu imitari genus iſtud mortis tam perfectæ. Debet in hunc effectum Clericus ſolicitus eſſe, ut taliter DEO unitus ſit, & obligationibus ſuis ſatisfaciat, ut mori paratus ſit in exercitio, & actibus hujus ipſius virtutis, ſeu amoris DEI. Si aliis fidelibus ſatis eſt, mori in ſtatu gratiæ, & in charitate habituali, DEus à ſuis miniſtris exſpectat mortem longè perfectiorem, & ſanctiorem, Levit. 6. 11. *altare quippe DEI*, ait S. Gregorius, Moral. l. 15. c. 7. *eſt cor noſtrum, in quo jubetur ignis ſemper ardere; quia neceſſe eſt, ex illo ad Dominum charitatis flammam indeſinenter aſcendere,* Pete à DEO gratiam iſtam per interceſſionem beatiſſimæ Virginis.

PUNCTUM II. Secundum privilegium, quod beatiſſima Virgo à divina bonitate hac die accepit, eſt incorruptio corporis ſui. Dignum planè erat, Virgo ſanctiſſima, & juſtum, ut corpus tuum, quod excellentiſſimo & primario operi divinæ gratiæ ſervierat, quódque concepit, & portavit DEum, ſanctificatúmque fuit modo prorſus ineffabili, diſtingueretur ab aliis, & exemptum manſerit à putredine, ad quam nos omnes damnati ſumus; *non enim pro te, ſed pro omnibus, lex hæc eſt conſtituta*, Eſther 15. 13 Non, non decet ut corpus tam ſanctum corrumperetur; *non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, Pſ. 13. Quamvis nos poſt mortem noſtram non ſtatim participes eſſe poſſimus hujus privilegii ſoli ſanctiſſimæ Virgini conceſſi, medium tamen adeſt, hoc promerendi, ut redacto corpore noſtro in cineres, illud renaſcatur, gloriosúmque ac immortale è ſepulchro reſurgat. Nimirum, ſi illud modò in vita præſenti purum conſervemus. Quia júxta S. Paulum 1. Cor. 15. 50. *Caro & ſanguis regnum DEI poſſidere non poſſunt, neque corruptio incorruptelam poſſidebit*; ideo oportet, chriſtianos omnes, maximè autem ſacerdotes, corpus ſuum ſpeciali prorſus curâ, & ſo-

& ſolicitudine conſervare purum & exemptum ab omni etiam minima impuritatis labe, fugere oportet vel minima quæque à quibus puritas iſta maculari, vel offuſcari queat, adeò, ut ab ejusmodi inquinamento quàm longiſſimè abſint. Si Angeli ſunt in terra, & illis aliquando in cœlis aſſociari cupiunt, debent, prout primum œcumenicum Concilium Nicænum loquitur, vitam hic in terris agere prorſus cœleſtem; æmulari debent modo ſuo vivendi id ipſum, quod ſpiritibus hiſce cœleſtibus conditione naturæ ſuæ competit; taliter eos in corpore mortali & terreſtri vivere oportet, ac ſi eſſent abſque corpore; vel minimas ſordes, quas non contrahere, quamdiu in hoc ſæculo vivimus, vix poſſibile eſt, ſtudiosè levare, & purificare debent, ita ut ex tota vita ipſorum eluceat, mortali odio eos perſequi id omne, quod vel in minimo eorum caſtitatem, & puritatem lædere poſſet; *Clerici maximè in ſacro ordine conſtituti debent eſſe typus, & imago cœleſtium.* Hoc tecum firmiter ſtatue, & ut magìs adhuc ad hoc animeris,

PUNCTUM III. Intuere gloriā hanc, ad quam elevata fuit beatiſſima Virgo in hac ſua triumphali die. Eſt enim in cœlo Regina Angelorum, & Sanctorum o-

mnium; sedet ad dexteram JEsu Christi Filii sui, tanquam advocata apud ipsum, & dispensatrix omnium gratiarum. Si mensura gloriæ, quam quis in cœlo obtinet, à mensura gratiarum, quas quis in terra obtinuit, desumitur, quibus fideliter cooperati sumus, quid cogitare debemus de gloria beatissimæ Virginis, quæ in gratiis & meritis omnes Sanctos, imò ipsos Angelos adeò superavit? quid aliud nobis restat, nisi admiratio, & ectasis quædam, in consideratione gloriæ illius immensæ, quâ DEus illam condecoravit, & remuneratus est! adoro te Domine, ac benedico, quòd omnia quæ de batissima Virgine cogitâsti, plenè consummaveris; adoro magnificentiam illam, quâ dona tua in ea coronasti; humilitate eam voluisti prævenire, & ascendere, ad culmen, & complementum gloriæ suæ; dona mihi, per ipsius merita, virtutem hanc mihi tantopere neçessariam. Recordare, Virgo sanctissima, filiorum Evæ, qui in hoc exilio adeò ingemiscunt, pondere peccatorum suorum pressi & aggravati; permitte obsecro, ut me tibi conjungam, ad benedicendum & laudandum Altissimum, quòd ostendere voluerit in te magnitudinem misericordiæ suæ; fovere in perpetuum divitiis immensis regni cœlestis;

lestis; constituta illic es dispensatrix gratiarum; obtine mihi hanc gratiam, ut imitari valeam vitam tuam sanctissimam, & fideliter id exsequi, & exercere, quod JEsus Christus Filius tuus nobis mandavit. Vocati sumus ad participationem gloriæ B. V. Mariæ; offertur nobis illa, & promissa nobis est, ejúsque arrham in sanctissima Eucharistia accipimus, verùm sub conditione, si easdem vias ambulare velimus, quas beatissima Virgo ambulavit; oportet tenere viam regiam humiliationis, & passionis, & neutiquam ab ea declinare; *si tamen compatimur, ut & conglorificemur*, Rom. 8. 17.

XX. *AUGUSTI.*

DE S. BERNARDO, ABBATE CLARAVALLENSI, ET S. PATRE ECCLESIÆ.

Dedit illi scientiam, honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius. Sap. 10.

S. BERNARDUS ACCEPIT SCIENTIAM SANCTORUM IN GRADU EMINENTI.

Scivit conjungere 1. Vitam solitariam cum laboribus, & functionibus apostolicis.

2. Quietem contemplationis cum vita laboriosa, seu activa.
3. Humilitatem cum suis honoribus.

PUNCTUM I. ID, quod extremè humilis Bernardus de seipso dixit, perfectissimè, ac optimè nobis caracterem illius exhibet, & demonstrat. Dolor, quem sentiebat ex eo, quòd se toties avulsum, & extractum à sua solitudine cernebat, quam suam vocabat Rachelem, exclamare illum coëgit, in suis tumultuosis, & fastidiosissimis occupationibus, & negotiis; *factus sum chimæra sæculi mei*; vita mea monstrosa clamat ad vos; prodigii instar sum in mundo; vivendo neque regulariter, neque sæculariter. Ita est, magne Doctor, verè prodigium, & quidem maximè stupendum, quod unquam patrâsti, hoc ipsum est, quòd ita simul unire, & sociare secum noveris res tales, quæ secundùm suam naturam incompatibiles esse videntur; solitudinem cum actionibus laboriosissimis; humilitatem cum summo respectu, & honoribus, quibus affectus fuisti, scientia omninò rara, quæ te etiam in futura sæcula toti mundo admirabilem reddit; *dedit illi scientiam Sanctorum &c.* Intulit Sanctus noster secum in solitudinem pulchritudinem

nem & florem innocentiæ suæ, obtulit DEO primitias adolescentiæ suæ, & quemadmodum olim Sanctus Paulinus de Sulpitio Severo Epist. 1. scripsit: *ætate florens, laudibus abundans, in ipso mundi theatro lethalia carnis & sanguinis vincula dirupit.* Quamvis innocentissimus, tamen in Abbatia Cisterciensi, velut in sepulchro, se ipsum inclusit, ubi tunc temporis rigida & exacta disciplina observabatur; jejunia sine intermissione, silentium perpetuum, solitudo impenetrabilis, labores indefessi, oratio continua. Hìc ergo se abscondit, & quasi se ipsum in DEO perdidit, & ut ipsius expressione, seu modo loquendi utar, *tanquam vas perditum*, quod nescitur, & ad nullum amplius usum valet; ita est, vir iste, quem DEus providit, & destinavit ad stabiliendum, & reformandum Ordinem monasticum; & ad tam insignia Ecclesiæ suæ præstanda servitia, & commoda, se ipsum aliter non considerat, aut æstimat, nisi tanquam servum inutilem, cui nullus prorsus in domo DEI concedi debeat locus. Et nihilominus hæc ipsa schola fuit, in qua Spiritus scientiæ ferè absque limite & mensura eidem fuit communicatus, ad intelligen-

tiam S. Scripturæ, ad enodanda mysteria fidei nostræ, ad dilucidandas quæstiones theologicas obscuriores, & intricatiores, ad confortandum fideles, ad confundendos aut lucrandos hæreticos, & schismaticos. A finibus terræ veniebant ad eum, volo dicere, ex fundo Hiberniæ & Daniæ, ad audiendam sapientiam hujus novi Salomonis, adeò ut se obligatum, & coactum senserit transeundi à vita solitaria ad functiones apostolicas, ut extraheret mundum ex abysso iniquitatis, in qua tunc jacebat sepultus. Instar Apostolorum nullum determinatum, aut stabile domicilium habet, percurrit totam Europam, ut Ecclesias ordinaret, & restitueret in moribus & doctrina, ubicunque turbulentum quid accidit, eò vocatur, ut moderatorem causæ, & judicem agat; ex omni parte recursus ad eum fiebant, & more Apostolico vox prædicationis ipsius in omni terra insonuit; reges & potestates hujus mundi, præ aliis formidabiles, alloquitur absque ullo pavore, scribit epistolas admirabiles ad Episcopos; instruit ipsos summos Pontifices, & obligationum suarum eos admonet. Quidam JEsu Christi Vicarius honori & gloriæ sibi duxit, recipere à Bernardo lectionem & instru-

instructionem ; libros illius de considera-tione, eidem inscriptos, haud aliter su-spexit, quàm opus à cœlo sibi submis-sum ; videbatur sibi illud legendo, uti & alia ejusdem opera, ambulare per terram promissam, quæ fluit lacte & mel-le. Homo iste prout ipsemet ait, qui pro suis magistris alios non habuit, nisi quer-cus & fagos, evasit in doctorem Eccle-siæ ; in oraculum quod vel sapientissimi etiam consuluerunt, os, per quod locu-ti sunt summi Pontifices, flagellum hæ-reticorum, vivus thesaurus scientiæ Ec-clesiasticæ. Homo iste, qui seipsum po-suit sub modio, benè gnarus, officium, & vocationem Monachi esse, plorare & docere, positus fuit supra candelabrum, ut esset lux totius Ecclesiæ. Ita est, pa-rum est pro te, magne Sancte, si solùm religiosos tuos dirigas, si pœnitentibus istis dux præeas ; quos odor sanctitatis tuæ ex omni parte ad desertum tuum attraxit ; destinavit, & providit te DE-us, ut instar Apostolorum esses sal ter-ræ, ut prodigia stupenda patrares, & con-versiones absque numero efficeres ; ob-tine nobis gratiam, ut ad tui imitatio-nem simul conjungere valeamus solitu-dinem, & vitam apostolicam.

PUNCTUM II. Dico 2dò, Sanctum

nostrum

noſtrum pariter etiam conjunxiſſe quietem contemplationis cum vita activa omninò laborioſiſſima. Spiritu S. Bernardi aliquem repletum eſſe oporteret, ut dignè quis loqui poſſet, de ſublimitate contemplationis, de mentis elevatione, & ſpiritûs in DEum, de frequentibus raptibus, in quibus privatus ſenſibus ſuis, quaſi continuò tenebatur; quoties divina gratia illum ſibi ipſi ſubtraxit, & tales conſolationes divinas, ineffabilesque deguſtandas dedit, quas infirmitas humana tolerare non potuiſſet, ſi momenta hæc non fuiſſent abbreviata. Ah! dicebat tunc, ad ſe ipſum iterum reverſus, quàm pretioſæ ſunt horæ, & quàm breves, quas quis cum DEO tranſigit; *rara hora, brevis mora*; verùm hæc grandis, & ſublimis èlevatio ſpiritus, DEO conjunctum, & unitum illum conſervabat, & nihilominus minimè eum impediebat, quin humillimè ſimul pro bono Eccleſiæ laboraret, eam ædificando exemplo ſuo, inſtruendo prædicationibus ſuis, zelo ſuo animando; in iisdem cum Seraphinis diſpoſitionibus fuerat à Propheta Iſaia, in extraordinaria revelatione viſis, erant hi Spiritus immobiles, coram divino throno, *Seraphim ſtabant*; & tamen non ceſſabant à volatu, & continuo

tinuo motu. Quomodo hoc fieri potuit, quaerit S. D. noster; *si stabant quomodo volabant*; ah! respondet juxta sublimitatem scientiae suae; *stabant, quia charitas nunquam quiescit.* Talis erat dispositio hujus sancti Abbatis; unio, quam cum DEO habebat, minimè impedimento illi fuit, quin descenderet ad succurrendum indigentiae, & extremis necessitatibus Ecclesiae, conjungendoque contemplationem Mariae cum actione Marthae; gratum DEO, & JEsu Christo exhibebat servitium; cum una gustabat dulcedinem, in audiendo & meditando verbo DEI cum altera; pastores & ministri Domini! conjungite duas istas vitas etiam in vobis; habetis desuper non solùm exemplum S. Bernardi, sed insuper aliorum Episcoporum, absque numero, qui in hunc effectum simul conjungebant vitam monasticam cum cura animarum, Tales fuêre Basilii, Gregorii, Chrysostomi, Martini, Augustini, & tot alii, qui simul fuêre & illustrissimi Pastores, & sancti Religiosi. Imitemur illos saltem in aliquo, certò de hoc, cum S. Bernardo serm. 47. in Cant. persuasi, quòd *post bonum opus securius in contemplatione dormitur.*

PUNCTUM III. Denique scivit Bernardus,

nardus, conjungere maximos ſibi exhibitos honores cum humilitate omninò profunda; & hinc DEus quoque *complevit labores illius*, Vit. S. Bernard. l. 2. c. 1. Quis majori in honore fuit, quam Sanctus noſter? reges eum inquiſierunt in ſua ſolitudine, ſummus Pontifex in cella ipſius, cum tota curia ſua, ad monaſterium eum viſitatum veniens; adhibitus fuit in graviſſimis cauſis, & negotiis Eccleſiæ: an non ipſe fuit, qui canones, & decreta concilii Piſani, Trecenſis, Stampenſis, Rhemenſis compoſuit? ſymbola fidei formavit, triumphavit ſuper Henricum hæreſiarcham apud Lingonas, ſupra Guilielmum Aquitaniæ ducem, quē ex lupo rapaci agnum effecit; devicit Gilbertum Porretanum, & Petrum Abailardum. Nullum eſt ſcelus, quod non reprehendit; nulla odia, quæ non ſopivit; ſcandala nulla, quæ non ſuſtulit, hæreſis nulla, aut ſchiſma, quod non deſtruxit. Interim in mediis hiſce clariſſimis actibus humilitas ipſius adeò non fuit infirmata, & debilitata, ut potius exinde creverit. Laudatur ob virtutes ſuas, & miracula, quæ patrabat; ipſe verò rogat laudatores ſuos ut miſereantur animæ ſuæ; vult ut ſibi mala ſua confitenti magìs credatur, quàm aliis utpote qui de ſe ipſo non

ex

ex conjectura, sed ex propria sententia loquatur; *volo mihi credi magìs, quàm alteri; de me loquor, non ex conjectura, sed ex sententia.* Publicè & ex omniū sententia, judiciū fertur, de eminenti ipsius perfectione, & sanctitate; ipse verò in secreto rubore diffunditur, quòd amentur, & honorentur talia in illo, quæ non habet, sed habere putatur; *pudet, cùm sentio in me venerari, vel diligi; non quidem, quod sum, sed quod putor.* Fama sanctitatis ejus ubique se diffundit; ipse verò rogat DEum, ut erubescant illi, qui eū laudant, hominē talē, laude tā parùm dignū; *tam vilis, & abjectus vir appaream, quatenus pudeat eos, talem ita laudasse. Quis dabit mihi,* pergit ulterius, *apud homines de vitiis dignè humiliari, quantum de falsis dotibus me video indignè exaltari.* Diversa officia, quæ obivit in tota vita sua, adeò nullā in eo vanā causarunt complacentiā ob excellentia talenta, quæ in iis ostendit, ut potiùs ridendum se judicârit à suo sæculo; non sum neque in mundo, ait, neque extra mundum; neque solitarius, neque persona publica; neque monachus, neque aulicus; sed compositū quoddā prorsus monstrosum ex omnibus statibus, *monstruosa vita mea.* O humilitatē planè prodigiosā! qualis lectio, seu instructio pro nobis, qui humilitatis tā parùm habemus; & qui pro eo, ut nos ipsos

depri-

deprimamus, solumodò nos elevamus, & supra alios extollimus. Miserere nostri Domine, sana plagas, & vulnera superbiæ nostræ, quæ tantorū malorum nobis origo est, & causa; *Domine, miserere mei; sana animam meam, quia peccavi tibi.* Ps. 40. Pro comunione, vel Missa testatur S. Bernardus, invenire posse in sanctissima Eucharistia verū remediū omniū infirmitatum, & morborū nostrorū spiritualiū, si ad illā accedamus, prout oportet; *si quis vestrûm,* ait, *non tam sæpe modò, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo, & gaudeat, quod pessimum ulcus accedat ad sanitatem,* S. Bernard. serm. 9. in Cant.

XXIV. AUGUSTI.

DE S. BARTHOLOMÆO APOSTOLO.

Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei; & cùm dies factus esset, vocavit discipulos suos; & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit. Luc. 6. 13.

De vocatione ad ministerium ecclesiasticum.

1. Cur toties hanc materiam ob oculos nobis ponat Ecclesia.
2. Qualis fuerit vocatio Apostolorum.
3. Reflexio supra nosmetipsos.

PUN-

PUNCTUM I. MIrare conſilium eccleſiæ in electione evangelii pro hoc feſto. Non ceſſat continuò nobis ob oculos ponere neceſſitatem vocationis ad ſtatum eccleſiaſticum. Vix occurrit feſtum aliquod apoſtolorum, ubi non hanc graviſſimam veritatem, ſeu materiam nobis ob oculos ponat, vel in epiſtola, vel in evangelio. Vult piiſſima hæc mater per hoc nos docere, quòd quemadmodum vocatio apoſtolorum fundamentũ fuit totius felicitatis illorum, ità etiam noſtra vocatio ad ſtatum eccleſiaſticum aliter conſiderari haud debeat, niſi inſtar originis, & fundamenti omnium bonorum, quæ in hoc ſtatu deinceps facturi ſumus. Nullatenus igitur imaginari nobis debemus, fructum aliquem nos allaturos in hoc officio, in hoc beneficio, in hac parochia ſeu cura animarum, niſi Deo vocante talia deſideremus, ſolicitemus, & acquiramus. Nullus ſeipſum, ait S. Bernardus, de vita & mor. Cleric. c. 4. & 5. ad hunc honorem ſublimare debet, ſed ſtatum hunc ſolus ille amplectitur, & hunc honorem acceptat, qui à Deo vocatur, tanquam Aaron. Siquis per JEſum Chriſtum in hunc ſtatum intret, qui oſtium illius eſt, hic ſalvabitur, & paſcua inveniet; dum à contrariò ille, qui aliunde aſcendit, fur eſt & latro &c. prout

apoſtolus à Deo vocatus ad Corinthios 1. Ep. 1. 26. ait: *conſiderate vocationem veſtram*; ſic & nos, *conſideramus, an non vocati venerimus, & vocati à Deo.* Non vocatione quadam communi & generali, quâ vocat eos, qui prædeſtinati ſunt; *nec communem modò vocationem dixerim, quâ ſane juxta eundem Apoſtolum, quos prædeſtinavit, hos & vocavit;* ſed illâ particularî, per quam nos ad honorem Clericatûs vocat. Si autem hæc tantummodo conſiſtat in voluntate parentum, vel conſanguineorum, pergit S. P. vel in ſua cupiditate, quanta hæc temeritas? qualis ſtultitia, talem vocationem ſequi? *ubi ergo eſt timor Dei, ubi mortis memoria, ubi gehennæ metus, & terribilis exſpectatio judicii?* vel ipſa ſponſa non præſumit ingredi in cubiculum ſponſi ſui, ſi non ab ipſa perſona regis introducatur; *& tu irreverenter irruis, nec vocatus, nec introductus?* ibid. igitur ad propriam damnationem tuam curris, & feſtinas; *certa eſt damnatio.* Quicunque demum ſis, qui ſtatum eccleſiaſticum, vel officium aliquod aggredi meditaris. Meditare hanc veritatem; meretur ſanè atentionem, quia agitur de gloria Dei, de bono eccleſiæ, & de ſalute tua. Si omnes illi, qui ſtatum hunc amplexi ſunt, hoc feciſſent, non adeò dehonorata eſſet eccleſia per tot inutiles miniſtros,

quo-

quorum minimum peccatum est otiositas; per tot beneficiatos, quorum vita prorsus saecularis, & scandalizat populum, & fidei nostrae adeò nociva est; per tot sacerdotes malos & perversos, qui causa sunt, cur blasphemetur ab infidelibus nomen Domini; per tot pastores, seu curatos, qui non nisi nomen, & dignitatem pastorum habent, spiritu autem, moribus & modo vivendi hujus vocationis prorsus carēt. Iterū repeto, meditemur sedulò hanc veritatē; ecclesia illam toties non proponit, nisi ut longam & seriam super hoc instituamus reflexionem; *hoec meditare, in his esto.* Et ut fundamentalius adhuc quoad hoc instruamur;

PUNCTUM II. Conjiciamus oculos nostros in vocationem apostolorum; videamus, quomodo à Christo JEsu vocantur? 1mo. totam noctem in oratione transigit, ut nobis innuat gravitatem hujus negotii, & quanti momenti sit haec electio, quam prae manibus habuit, adquè indicandum nobis, quòd consulere debeamus Deum, si vel ipsi hunc statum amplecti, vel alios ad eundem promovere velimus. 2do. ex discipulis suis solummodo duodecim eligit in apostolos, *vocavit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis.* Per quod constat necessitas vocationis alicujus particularis, &

quòd non omnes apti sint ad hoc ministerium; *nunquid omnes apostoli?* 3tio. adverte, ad quid eos vocaverit; non ad fruendũ divitiis, honoribus, & voluptatibus hujus sæculi; neque ad commodiorem vitam, sed ad laborem, ad passionem, & omnis generis tolerantias; vult ut ducant vitam pauperem, humilem, & abstractam à mundo; mittit eos ad laborandum pro conversione animarum sine auro, sine argento, sine provisione, sine armis, tanquam agnos in medio luporum; & pro recompensatione seu præmio laborum, aliud iis non promittit, nisi crucem, contradictiones, & martyriũ; *eritis odio omnibus propter nomen meum*, Math. 10. Videamus hoc magìs in particulari; quando vocat S. Paulum, ait; *ostendam illi, quantum oporteat eum pati pro nomine meo*, Act. 9. 16. prædicit S. Petro, Luc. 22. 31. quòd cribrandus esset, & concutiendꝰ instar tritici, & ducendus, quò non vellet, id est, ad supplicium, ad mortem, à quo natura nostra adeò abhorret; *alius te cinget, & ducet, quo tu non vis*, Joan. 21. 18. Mathæus cogitur dimittere mensam suam nummulariam, & omnem substantiam suam, Math. 9. 9. S. Barnabas omnem substantiam suam ad pedes apostolorum attulit, Act. 4. 37. Alii vel ipsam etiam naviculam uam, & retia dimittunt; & S. Bartholomæ-

mæus, postquam se omnibus spoliavit, ut divinum magistrum suum sequeretur, patienter tolerat, detrahi sibi pellem propriam, & cursui suo apostolico, gravissimo, & omnium crudelissimo supplicio, coronam imponit. En! qualis fuerit apostolorum vocatio! nos nescimus omnia, & singula in particulari, quid fecerint ut vocationi huic suæ responderent; optandum foret, ut exactum diurnale totius vitæ ipsorum haberemus; id quod jure cum S. Joanne Chrysostomo in Epist. ad Philipp. optamus; *utinam non defuisset, qui nobis apostolorum historiam diligentissimè traderet.* Verùm modicum etiam illud, quod de illis scimus, satis nobis esse debet ad nos ipsos confundendos, & humiliandos. Hinc

PUNCTUM III. Reflectamus nos hìc parumper supra nosmetipsos! sumus successores apostolorum ad idem ministerium vocati, id est, ad laborandum pro salute animarum; comparemus nunc vitam nostrã cum vita ipsorum. Quid non passi sunt ipsi in omni genere, ut animas à potestate dæmonum liberarent, & Christo JEsu lucrarentur; audiamus S. Paulum, 2. Cor. 11. 26. *in itineribus sæpè; periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine; periculis in mari, periculis in falsis*

fratribus. In labore & ærumna, in vigiliis multis, in frigore, & nuditate. Idem etiam dicere poſſunt alii apoſtoli. Et quid nos reſpondere, & ad hoc dicere poſſumus? verùmne eſt, quòd inſtar apoſtolorum laboremus, volo dicere tanto zelo, tanta aſſiduitate, tantâ patientiâ, prout miniſterium noſtrum, cui nos obligavimus, à nobis exigit? potior pars clericorum his temporibus credunt ſatis jam eſſe, ſi male non vivant; verùm ſe ipſos decipiunt, aliter ſtatū eccleſiaſticum haud amplecti debemus, niſi ut bonum operemus; ſtatus hic non eſt locus requiei, & inactionis, ſeu non laboris; *poſui vos, ut eatis*, ait Chriſtus JEſus, Joan. 15. 16. *& fructum afferatis.* Quale iter peregimus? ubi eſt curſus noſter? ubi labores noſtri? ubi ſunt peccatores, quos convertimus? quem fructum reportavimus ex functionibus noſtris, & exercitio miniſterii noſtri? non poſſumus ignorare, quòd quemadmodum ad eccleſiam, ità etiam ad laborem vocati ſimus; ſi ergo laborare recuſamus, quid inde concludendum, niſi quòd non ſimus legitimè vocati? vel quòd haud fideliter, & prout decet, vocationi noſtræ reſpondeamus, & ſatisfaciamus? reparemus negligentiam noſtram præteritam; inducat nos devotio noſtra erga apoſtolos ad eorum imitationem; hanc igitur

nunc

nunc capiamus reſolutionem, ut melius ſpiritum vocationis noſtræ intelligere ſtudeamus, atque fidelius obligationibus noſtris deinceps ſatisfaciamus. Offeramus nos ipſos in ſacrificium Chriſto Domino, ut totum id, quod à nobis requirit, præſtemus; teſtemur illi deſiderium noſtrum, extendendi regnum ipſius, expenſis etiam propriæ vitæ noſtræ; *quis mihi tribuat, ut moriar pro te?* quòd ſi ei vel ipſam pellem noſtram dare nequimus, prout S. Bartholomæus id fecit, vivamus ſaltem in ſpiritu martyrii, quemadmodum omnes viri verè apoſtolici, mortificando carnem noſtram, & deſideria ipſius inordinata; ſupportando in omni patientia laborem, & ærumnas ſtatûs noſtri; immolandóque nos ſenſim pro gloria divini magiſtri noſtri. Hujuſmodi deſideriis, & propoſitis animati accedere poſſumus hodie ad altare, illud nobis ob oculos ponendo, quod S. Bernardus ſerm. 30. in Cant. dixit: *qui amat animam ſuam perdet eam vel ponendo, ùt martyr, vel ſe affligendo, ùt pœnitens; quamquam genus martyrii eſt, ſpiritu facta carnis mortificare, illô nimirum quô membra non ceduntur ferrô, horrore quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius.*

DE S. LUDOVICO REGE GALLIÆ.

Justum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Sap. 10.

1. Quales fuerint hæ viæ, quas S. Ludovicus ambulavit.
2. Obligatio nostra illum quoad hoc sequendi.

PUNCTUM I. Viæ istæ rectæ, de quibus sermo est in libro Sapientiæ, aliæ non sunt, nisi media, per quæ Spiritus sanctus duxit animas justorum ad perfectionem, easque dignas reddit regno cœlorum. Has ergo vias ambulavit sanctus hic rex, fidelitate prorsus integrâ. 1mo. vixit in magna innocentia, & puritate morum, in mediis aulæ deliciis, ac voluptatibus; non enervabant illum ejusmodi deliciæ, neque capi, & inescari se sinebat à Sirenum cantu, quæ tam blandè canere, & dementare solent. Erat in conditione, seu statu isto adeò eminenti regiæ dignitatis, ubi nonnisi exquisitæ, continuæ, ultrò quæsitæ, ac in magno numero inveniuntur voluptates, tam temperans, tam crucifixus, ut secretum hoc noverit, mutandi centrum quasi deliciarum in secessum, & solitudinem pœnitentiæ, austeritatum, & mortificationis; inter medias occasiones periculosissimas, & laqueos puritati illius tensos fortior erat Samsone, &

sapi-

ſapientior Salomone, Quamvis dæmon omni arte ſua uſus fuiſſet, munimenta hæc dejicere, Ludovicus tamen nunquam violavit caſtum illud fœdus, quod oculis, ac cogitationibus ſuis pepigit; inſenſibilis fuerat erga omnes illecebras, invulnerabilis contra omnia tela ignita maligni; invincibilis contra omnes carnis inſultus. Amplexus eſt in hunc finem omnes illas praxes, & exercitia quæ magìs ſervire ei poſſent pro tutela, contra corruptelam peccati. Si in domibus regum inveniuntur, qui mollibus veſtiuntur, & ſumptuosè, en regem! inimicum omnîs faſtûs! qui tam ſimplici veſtitu utebatur, ac quilibet ſubditorum ſuorum de plebe; ſi in monaſteriis, & in eremo, ac deſertis inſtrumenta pœnitentiæ inveniuntur, en regem mortificatum in medio florentiſſimæ cujuſdam aulæ! qui ultra jejunia, & abſtinentias conſuetas eccleſiæ, ſingulis feriis ſextis per annum, & quandoque etiam ſolo pane, & aquâ contẽtus jejunavit; qui ſingulis ferè diebus cilicium geſtavit; qui ſeipſum immiſericorditer flegellis cecidit; qui non ſolùm pro ſuis propriis peccatis pœnitentiam egit, quæ non niſi defectus etiam juſtis inevitabiles fuêre, ſed etiam pro peccatis populi ſui, quo ſe à Deo gravatum ſciebat, cujus pœnas, inſtar victimæ cujuſdam expiationis,

portare deberet, dando quandoque etiam in publicis processionibus. quibus demisso capite, nudis pedibus, lacrymantibus oculis, intererat, stupendum omnibus spectaculum regis, innocentis simul, & pænitētis. 2do. cōservavit rex iste magnus in cumulo sublimitatis, & supremæ dignitatis, ac honorum, humilitatem omninò profundam. Seipsum non solùm considerabat tanquam nihilum coram Deo, ad exemplum regis David, sed insuper, ùt miserabilem peccatorem, qui omnī misericordiâ Dei sui indigeat, non gloriabatur, nisi in solo Deo; longè minoris faciebat caracterem regis, quàm christiani; aliter se non subscribebat, nisi à loco nativitatis suæ, Ludovicus de Poissy. Quoties visus fuit ab officialibus suis bellicis, quin impediri potuisset, propriis manibus obligare vulnera militum suorum, in conflictu barbarorum vulneratorum; sepelire propriis regalibus manibus mortuos tanquam alter Tobias, benedicendo Dominum, etiam post integrum exercitum deperditum, exosculandoque amorosè manū illius, quæ eum feriebat? quoties deprehensus, & visus fuit in hospitalibus, coram pauperibus prostratus, adorare JEsum, illique servire, in eorum personis? tolerare irrisiones amaras? quin se moveri ab iis pateretur? potius eligens obligationum sua-

rum

rum admoneri à ſanctis, quales erant S. Thomas, & S. Bonaventura, quàm ſeduci à vanis applauſibus, & oleo peccatoris perfundi, & impinguari caput ſuum? ô humilitatem profundam! quæ tantùm abeſt, ut magnitudini ipſius quidquam detraheret, ut potiùs eam auxerit, & compleverit. 3tio. habuit zelum ardentiſſimum pro gloria Dei, mille monumenta adhuc hodie extant magnificentiæ ipſius piiſſimæ; juſtitiam in toto regno ſuo, admirabili omninò exactitudine, adminiſtrari fecit; omnem ſuam, quam à Deo accepit, in hunc finem adhibuit authoritatem, ut vitia, ac ſcelera, libertatem vivendi, & blaſphemias extirparet; juſſit ferro candenti liguam blaſphemorum perforari, & ad perpetuum eos ſilentium ſic condemnavit; prohibuit ludos aleatorios, & ſimiles à ſola fortuna pendētes, originem mille injuriarum, & exceſſuum; expulit comœdos, veros morū corruptores, qui pro inſtrumento ſerviunt diabolo, ad ſuccendendas paſſiones, præſertim impuritatis, præ cæteris deteſtabiliores, & pudendas. Denique hoc ipſo ſpiritu, & zelo animatus, votum emiſit, eripiendi, & liberandi ſanctum Domini ſepulchrum ab impio, & injuſto dominatu Saracenorū; quod votum etiam executus fuit contra omnem niſum, & reſiſtentiam matris regi-

næ

næ & servorum suorum, qui persuadere sibi non poterant, quomodo par futurus esse posset tam longæ navigationis, & inevitabilibus excessivis laboribus, tam operosæ expeditionis. Si vitam pro vita Salvatori suo dare non posset, volebat ad minus consecrare illi sudores suos; non poterat gaudere quiete in regno suo, quamdiu sanctã civitatem à barbaris occupatam cernebat, & quòd fratres ipsius christiani in vinculis, & ferro ingemiscerent; satisfiat tibi ô magne sancte! nequaquam frustraberis desideriis tuis! bibes calicem divini magistri tui, & quidem usque ad fœces; coronaberis coronâ tribulationis, vinculorum, & afflictionum, absque numero, quæ te in Oriente exspectant. Proficiscitur igitur, imò volat quasi illuc; & post aliquot favorabiles successus pugnam amittit, & à barbaris captivus abducitur. In nullo mutatus fuit magnus hic rex; ne minimum quidem, minus rectum verbum ex ore ipsius prodiit; talis comparuit in carcere, qualis prius erat victoriosus; imò major. Sacraceni hâc ipsius animi constantiâ capti & stupefacti, dubitant, an captivus, an verè Dominus illorum sit; desiderabantque eum habere pro rege suo. Verùm quia nil magìs variabile, quàm ingenium barbarorum, mille eum postea insultibus appetivêre, & inju-

riis affecerunt, quas omnes ſanctus rex tãta cum patientia toleravit, ut plurimi exinde fuerint converſi. O heroem! ô confeſſorem! ô martyrem JEſu Chriſti! ora pro nobis! obtine nobis gratiam à Deo, ut te imitari valeamus.

PUNCTUM II. Viæ, quas S. Ludovicùs ambulavit, aliæ non ſunt, niſi regulæ, ſeu doctriuæ fundamentales, & principia religionis noſtræ chriſtianæ, quas fideles omnes ſequi obligantur; ità ut quamvis omninò fuerit ſanctitas hujus magni regis, nullus tamen noſtrûm ſecum diſpenſare, aut excuſare ſe valeat ab illius imitatione. Debemus in hunc finem 1mo. conſervare magnam morum innocentiam; odiſſe peccatum mortale, illùdque plus deteſtari, quàm mortem ipſam ad exemplum S. Ludovici, nullùmque unquam committere; quæ eſt primaria, & momenti maximi obligatio chriſtiani. Minimum, quod facere poſſit pro Deo, poſt acceptam ab ipſo gratiam adoptionis, & aſſumptionis, in ſocietatem Fili ſui, hoc eſt ut totâ vitâ ſuâ Deo unitus, & conjunctus maneat, quin per ullum peccatum unquam ab illo ſeparetur; *prima libertas eſt*, ait S. Auguſtinus, tract. 41. in Joan. *carere criminibus.* Verùm eſt, quod ùt notat S. Jacobus, nos omnes in varios errores cadamus; ſed bonus chriſtianus

anus nullum ex iis criminibus committit, quæ uno actu occidunt animam; *mortifera peccata sunt, quæ uno actu perimunt; talia non facit bonæ fidei, & bonæ spei christianus*, idem serm. 29. de V. Apost. Ad hoc, ut obligationi nostræ in baptismo contractæ satisfaciamus, non satis est, ducere vitam criminibus expertem, oportet insuper juxta mentem hujus S. Doctoris, vitare peccata venialia, in quantum fieri potest; & ea, in quæ quis lapsus est, quotidie per bona opera expiare. 2do. vivere in humilitate christiana; nullum inordinatum affectum habere erga honores, voluptates, & bona hujus mundi, cor nostrum quotidie abstrahere ab ejusmodi ad imitationem S. Ludovici, qui pro eo, ut abuteretur ejusmodi temporalibus prærogativis, iis utebatur, & applicabat ad elemosynas, fundationes, & alia similia opera charitatis; qui pro eo, ut ex mensa sua gloriam aliquam quæreret, prout ordinariè à secularibus fit, imò sæpius etiam à clericis, ibi non nisi in actibus humilitatis se exercebat, superflua rescindendo, & quidquid luxum aliquem olere posset, in solatium pauperum erogãdo, cùmque ipsis aliquando manducando, eorùmque etiam pedes lavando. 3tio. habere magnum zelum pro gloria Dei; ad eum omnes actiones nostras fideliter referen-

ren-

rendo, nec quidquam aliud in iis omnibꝰ quærendo, quàm illi ſoli placere, & id ſolum facere, quòd à nobis requirit in ſtatu illo, in quo nos providentia illius poſuit. Quod ipſum fuit, in quo ſe S. Ludovicus prorſus admirabilem oſtendit, nil faciendo, niſi pro gloria Dei; ſuam authoritatem præcisè ad id applicando, ut illi ab omnibus in toto regno ſuo ſerviretur, ac impediendo, ne ab ullo unquam offenderetur. Dum aliquando rogaretur, ut executioni non daretur id, quod in blaſphemos ſtatuerat, de perforanda illorum lingua, reſpondit, vellem ut propria mea lingua ità perforaretur, modò poſſem ſic ex toto regno meo eliminare blaſphemias. En, quid ſit habere verum zelum! quid dicitis ad hoc vos chriſtiani, ſacerdotes, ac timidi, qui quotidie videtis, & auditis perjuros, & alia ſimilia peccata publica, quin vel verbum aliquod contrà proferatis? vel fortè etiam, quin vel minimum vos hoc tangat? & vos ô miniſtri Domini, qui ex vocatione veſtra ſpecialiter obligati eſtis, ad reprehendenda ſcelera, quid ſuo tempore reſpodebitis, ſi zelus veſter cum zelo S. Ludovici in cōparationem adductus fuerit? quid? an creditis? quòd ad vivendum, prout clericum decet, ſatis jam ſit, ſi Miſſam legatis, breviarium recitetis, de cœtero parum vobis

cu-

curæ ſit, quomodo alii vivant? accendite de novo zelum veſtrum pro gloria, & ſervitio Dei hodierna die; nolite omittere ullam occaſionem deinceps, in qua talem oſtendere, & exercere poſſitis utiliter; *auris zeli audit omnia*, Sap. 1. Pro communione vel Miſſa; optandum eſſet, ut fidem adeò vivam haberemus, qualem in plurimis occaſionibus ſe habuiſſe oſtendit S. Ludovicus, præſertim in ultima ac extrema ægritudine ſua; ubi accipiendo ſacrum viaticum dicebat, credere ſe tam firmiter, hoc eſſe verum corpus Chriſti JEſu, ac ſi videret ipſum JEſum Chriſtum, qualem apoſtoli in die aſcenſionis eum viderunt. Hoc eſſet verum medium proficiendi ex S. cōmunione juxta id, quod S. Auguſtinus tract. 25. in Joan. ait: *crede, & manducaſti.*

§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§

XXVIII. Auguſti.

DE S. AUGUSTINO EPISCOPO HYPPONENSI, & ECCLESIÆ DOCTORE.

Gratia Dei ſum id, quod ſum; & gratia eius in me vacua non fuit. 1. Cor 15. 20.

1. S. Auguſtinus ùt pœnitens, opus erat gratiæ.
2. Ut Epiſcopus, Doctor gratiæ.

PUNCTUM I. NUllus unquam ſanctorum majorem rationem habuit, applicandi ſibi ipſi hæc verba S. Pauli: *gratia Dei ſum id, quod ſum,*

quàm

quàm iste, cujus hodie festum celebramus. Excessus, quò eum perduxerant passiones suæ, noti sunt nobis, vel potius ipsemet toti mundo eos palàm fecit; *inhiabam*, ait Conf. l. 6. c. 6. *lucris, honoribus, conjugio;* quanta obstacula pro conversione illius! agebatur de superanda hac triplici concupiscentia, & de rumpendo hoc triplici vinculo, quod teste Spiritu S. defficile rumpitur. Vel solum impuritatis, & impudicitiæ vitium, cujus mancipium erat Augustinus, an non morbus est ferè incurabilis, ut cum S. scriptura loquar; *non dabunt cogitationes suas, ut convertantur ad Deum suum; quia Spiritus fornicationum, in medio eorum*, Osee. 5. 4. Nihilominus hic ipse fuit status, ex quo magnum hunc peccatorem extraxit gratia, fecítque ex eo post plures, variasque agitationes, & pugnas interiores, pœnitentem, præ aliis omnibus *contritum, humillimum*, & erga Deum *gratissimum*. Dixi, præ omnibus *contritum*, quia quamprimū conversio sua cepit, etiam lacrymæ fluere ceperunt; *oborta est procella ingens, ferens ingentem imbrem lacrymarum. Solitudo mihi aptior ad plorandum visa est; prostratus jacebam sub arbore quadam, ut commodius, & ad libitum plorare, & lacrymari possem*, Conf. l. 8. c. 12. Nullam consolationem invenire poterat; quòd tanto tempore tardaverit,

Deo se tradere; armabatur zelo justitiæ vindicativæ, nec aliud jam cogitabat, nisi quâ ratione seipsum crucifigere posset; *homo iratus sibi.* En, quinam sit Augustinus pœnitens! quis, quis unquam severius in seipso punivit peccata ante baptismum cōmissa? resolutus apud semetipsum fuerat, recedendi in quamdam solitudinem, vivùmque ibi se sepeliendi, ut satis plorare posset, reliquo vitæ suæ tempore, & deplorare excessus juventutis suæ. Verùm Deus, cujus alia consilia super eo erant, invenire eum tale secretum fecit, ut cum laboribus episcopalibus pœnitentiam anachoretarum etiam rigorosissimorum conjungere postea sciverit. Vita ipsius deinceps aliud non fuit, quàm continua visitatio, cursus, vigiliæ, jejunia, cruces, & mortes, adeò, ut verè cum S. Paulo dicere poterit; *quotidie morior.* Verùm profunda illius *humilitas* adhuc clarius nobis spiritum pœnitentiæ ipsius ob oculos ponit. An unquam auditum fuit ab aliquo pœnitente, qui toti mundo peccata sua nota fecerit, ut coram toto mundo, & in perpetuum propterea confusionem suam exinde reportaret? reflectamus nos parumper supra actum tam grandem, & tam parum consuetum, seu communem, Augustinus in innocentia sua baptismali ad sedem,

&

&dignitatem episcopalem coactus, publicam fecit confessionem, ad quam nequidem publici pœnitentes obligabantur. Fecit hoc, non in facie ecclesiæ cujusdã particularis, sed coram toto mundo; non per actum aliquem transeuntem, qui non nisi per momenta aliquot durasset, sed in libro quodam, cujus narratio usque ad finem mundi durabit. In perpetuum sciatur, Augustinum fuisse impudicum, pessimorum morum, & hæreticum. Nos nullam ad hunc actum S. Augustini attentionem facimus modò, quia eum gloriosum in cœlo suspicimus, cujus memoria inviolabilis super terram facta est; verùm si consideremus, hanc eum confusionem fecisse adhuc vivum, calumniis hæreticorum, & invidorum expositum; cujus pleraque peccata ex eo genere erant, quæ omni conatu alii, ob turpitudinem illorũ, abscondere solent, planè humilitatem adeò raram admirari, & obstupescere cogemur. Huic suæ humilitati par erat, *gratitudo* illius. Hanc invenies in qualibet quasi pagina, à sancto hoc poenitente in suis confessionibus expressam. Lege excellentissimum hoc opus, & invenies actus admirationis, bonitatis divinæ supra se, gratiarum actionis tam intensi amoris, ut vel ipsemet haud satis exprimere hæc à

ſe poſſe exiſtimârit, *Incredibile eſt*, ait Conf. l. 9. *quantum in me Deus excitârit amoris incendium*. Ubique teſtatur, linguam ſuam haud ſatisfacere cordi ſuo, & quòd planè ſatiari non poſſit in recordatione, & commemoratione miſericordiæ. & miſerationum divinarum ſupra ſe. Eſtne hæc diſpoſitio pœnitentium noſtrorum temporū? ubi inveniemus hodie lacrymas iſtas, & contritionem adeò perfectam? ubi eſt tanta mutatio vitæ, abſtractio talis à creaturis? deſiderium tam humile, & ardens ſatisfaciendi divinæ juſtitiæ? ah! tantùm abeſt, ut cum S. Auguſtino exceſſus noſtros hominibus patefaciamus, ut nequidem audeamus illos fateri coram confeſſario; vel ſi hoc facimus, tam coactè id à nobis fit, ut partem aliquam confuſionis nobis proptera debitæ omnimodo evitare ſtudeamus; & vix, dum Deo reconciliati ſumus, ſtatim iterum beneficii hujus reconciliationis noſtræ obliviſcimur. O quàm longè diſtamus à ſenſu S. Auguſtini. Agnoſcamus illum ùt pœnitentem fuiſſe perfectum, & abſolutiſſimum opus gratiæ divinæ; *Gratia Dei ſum id, quod ſum*, &

PUNCTUM II. Videamus inſuper, quomodò ùt epiſcopus Doctor fuit ejuſdem divinæ gratiæ; *& gratia ejus in me va-*

vacua non fuit. Non contentus fuit bonus iste pastor, pascere gregem, frangeréque populo suo panem verbi divini, ad extremam usque horam mortis suæ. Non obstantibus tot occupationibus suis, & grandi senectute suâ, conjungendo charitati corporali etiam spiritualem, succurrendo pauperibus ex propria paupertate sua, ùt Possidius ait, sibíque ipsi necessaria subtrahendo, ut haberet, unde eos solaretur; charitas ipsius eò progressa est, ut se etiam extra propriam suam dioecesin extenderit; charitatem nimirum S. Pauli imitatus, omnes totius mundi ecclesias complexus fuit. Omnes omninò homines, idololatræ, judæi, hæretici, schismatici, objectum zeli ipsius fuerant. Optat omnes parturire JEsu Christo, nec aliter nisi ut fratres suos eos habet. Erat in ore ipsius veritas catholica æquè gloriosa, quàm scripta ipsius contra coecitatem gentilium, subtilitatem philosophorum, pertinacinm Arrianoram, Manichæorum, Donatistarum, Priscillianistarum, Pelagianorum, & semiPelagianorum, victoriosa. Et contra hos ipsos ultimos hæreticos specialiter zelus ipsius enituit. Quia destinatus erat à Providētia divina ad debellandum Pelagium, intimè penetravit etiam fraudes omnes hære-

resiarchæ istius, æquè subtilis, ac periculosi, qui gratiæ divinæ subtrahere subjectionem suam, & Christo denegare volebat omne meritum, & virtutem sanguinis, seu sanctissimæ passionis suæ. Hæc erat ipsissima occasio, ubi sanctus hic se supra semetipsum quasi extollendo, planè divinè nobis detexit profundissima, & maximè occulta mysteria divinæ gratiæ, & adoranda secreta misericordiæ Dei super nos, adeò ut errorem hunc intra occultissimos receptus suos, & latibula sit aggressus; per quod sibi gloriam prorsus immortalem promeruit, prout eum exinde laudat S. Hieronymus, non minus utiliter pro ecclesia decertans; *macte virtute*, scribit ad eum Epist. 135. inter August. *in orbe celebraris; catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur, atque suspiciunt; & quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur.* Non episcopi solùm, sed & summi Pontifices, velut oraculum sæculi illius, ùt thesaurum luminis, ùt Doctorem Doctorum, ùt animam conciliorum, ùt vocem & organū, seu instrumentum totius ecclesiæ illum suspiciebant. Doctrina illius est, quæ produxit, & adhuc producit quotidie tot sapientissimos viros. S. Fulgentius, S. Prosper, S. Leo, S. Gregorius M. S. Bernardus,

dus, S. Thomas, gloriæ, & honori, ſibi ducebant, illius ſe eſſe diſcipulos. Dici poteſt, eum non ſolùm ſuſcitatum fuiſſe, per quem triumpharet veritas catholica de erroribꝰ ſui temporis, ſed etiam de iis, qui ad hunc uſque diem exorti fuêre, & exſurgent uſque ad finem ſæculorum. Ita eſt, erit Auguſtinus omni tempore terror hæreticorum; vel ſolùm nomen ipſius obſtupefaciet, & contremiſcere faciet corda inimicorum eccleſiæ; pugnat pro illâ etiam adhuc poſt mortem ſuam, tam feliciter, & glorioſè, ac in vita ſua pro eâ decertavit. Magna & præclariſſima illius opera in ævum permanebunt in archivis eccleſiæ, ad terminandas omnes quæſtiones controverſas, quæ exſurgere poterunt, & ad confundendos omnes rebelles luminis, & veritatis. Gratias Deo agamus, quòd eccleſiæ ſuæ aquilam hunc Doctorum, hunc illuſtriſſimum pœnitentem, hoc excellentiſſimum gratiæ divinæ opus donaverit. Adoro Domine glorioſa tua conſilia, quæ ab æterno ſuper hoc incomparabili ſancto formâſti, & vias illas admirabiles, per quas eum deduxiſti, vel ipſis cupiditatibus ejus utendo, ut finem imponeres cupiditatibus ipſius. Laudet te, Domine, Deus meus, & eccleſia, quæ in cœlis eſt, & quæ ſuper terram, & in æternum benedicant tibi ob

con-

conversionem hanc tam mirabilem, & mutationem adeò miraculosam. *Confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum*, Ps. 106. 15. Concede mihi, quæso Domine, hanc gratiam, ut imiter virtutes sancti hujus pœnitentis, ac hujus magni episcopi; ut partem aliquam zeli illius pro tua gloria habeam; ut illum sequar in amore veritatis, in intelligentia rerum sublimium, maximè autem in profunda ipsius humilitate, sinè qua scientia quæcunque adeò mihi nil prodest, et potius obesset, & noceret. Pro Missa; optandum esset, ut haberemus cor istud S. Augustini amore Dei omninò flagrantissimum; quòd si hunc amorem sancti hujus Doctoris afferre non possumus, qui potiùs seraphicus quidam, quàm humanus amor fuerat; afferamus saltem scintillam aliquam hujus divini amoris; & pro gratiarum actione contestemur Domino nostro JEsu Christo, quemadmodum Sanctus iste, dolere nos, quòd tamdiu tardaverimus eum amare; *Serò te amavi, pulchritudo tam antiqua, tam nova, serò te amavi &c. O amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris, charitas, Deus meus, accende me*, conf. l. 10. c. 17. 29.

INDEX.
MATERIARUM HUJUS PARTIS ÆSTIVALIS.

Ll *hujus*

FERIA QUINTA.

FERIA SEXTA.

DIE SABBATHI.

DOMINICA QUARTA POST PENTECOSTEN.

FERIA SECUNDA.

FERIA TERTIA.

FERI-

debet

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN.

sta-

De

cere

J. (✝) Z.